Digitized by Google

DE SANCTISSIMO ET ARCANO TRINITATIS MYSTERIO

DIVI PATRIARCHÆ AVGVSTINI S. R. E. Doctoris Maximi Axiomata Selecta.

Controuerſijs, & Dubijs explicata à P. Benedicto à S. Iacobo Ferrarienſi Congregationis Fratrum Eremitarum Diſcalceatorum Definitore Generali.

EMINENT.MO ET REVER.MO D.

D. CAROLO PIO

S. R. E. CARDINALI

Nationis Germanicæ Comprotectori, ac Prouinciarum S. Cæſareæ Maieſtatis Hereditariarum Protectori Dicata.

Comprato giulij 6 feb. 1680 filip Gruther

ROMÆ,
Ex Typographia Iacobi Antonij de Lazzaris Vareſij. MDCLXXIV.
SVPERIORVM PERMISSV.

VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

EMINENTISSIME
PRINCEPS

PIETATI Deo ſacra dicanda ipſa eius ratio, & natura demonſtrat: ea propter Sanctiſſimæ Trinitatis arcana ex Diuo Patre Auguſtino deprompta, breui incluſa opuſculo in lucem prolaturus, cum de Patrono illi deligendo deliberarem, illico Eminentiſſimum tuum Patrocinium implorandum eſſe Pietas ipſa ſuaſit, Iuſtitia tributum iure deuinctum oſtendit, omniumque Chorus Virtutum tibi debenda eſſe conſenſit. Quandoquidem teſtante Chryſologo *Panes Deum, nec Pietas ſine Iuſtitia, nec ſine Pietate Iuſtitia: cæleſti ſenſu ſine bonitate æquitas, ſine æquitate bonitas non habetur. Virtutes ſi ſeparatæ fuerint dilabuntur; Aequitas ſine bonitate ſæuitia eſt, & iuſtitia ſine Pietate crudelitas.* Cernens igitur in tanto Patrono harum omnium fœdera iuncta omnibus lætitiæ gradibus exhilaratus ad opus inceſſi, comperiens non caſum, aut fortunam, ſed virtutes ipſas votis reſpondiſſe; illas inquam, quæ Eminentiæ tuæ tantum dignitatis & ſplendoris contulerunt, vt meritò ſe felicem arbitretur, quem tuæ lætæ frontis benignitas patrôcinari non dedignatur; Et quis enim non ambiat illius Pij Generis protectionem, in quo veluti tranſmiſſa ab origine per ſucceſſiuos heroes immaculata Pietas cum Iuſtitia coniuncta, & iuſtitia cum pietate connexa eluceſcit: Quorum omnium mihi dolendum memorias, aut edaci tempore abſumptas, aut in archiuijs latentes ad meam non perueniſſe notitiam, ex his paucis,

quæ lectorum oculis ſubijcio, facilè diſcet Lector Pij Leonis, & Aquilæ magnitudinem. Piam fugam vt ad Religionis aſylum confugerent Eurides illa Conſtantij Imperatoris filia priſca Orphei Euridice iuſtior, ac fælicior, & Manfredus ex clariſſima Saxonum Ducum ſtirpe progenitus maritali fœdere iuncti arripuere. Rauennam appulſi eorum trinam prolem vno fœtu ortam benigno vultu Cælum aſpexit Pio enim virtutis locum tenente Pico & Papazono adſtantibus vnius pijſſimi generis tres clariſſimæ Perſonæ plurimorum Principum Protoparentes futuri apparuere. Horum aſpectus ſic cæſaream Conſtantij ad indulgentiam flexit maieſtatem, vt Trinam amplexatus prolem Natæ & Genero non tantùm innocua donarit errata; Verum & latiſſima terrarum ſpatia dulci Pietatis paternæ ſtimulis actus elargitus, Manfreddo etiam arces & oppida condendi imperiale munus conceſſerit. Hæc felix Piorum origo mirificè inter Proceres Lanfrancum vnum, & alterum excreſcens in Friderico ſucceſſiuo ordine adulta, in Manfreddo ſexto maximè enituit; Hic enim à Cæſare Generalis militiæ Dux, & Galliæ Ciſalpinæ Imperialis Vicarius conſtitutus Toſabellorum prauis artibus ſe opponens immeritò occupata paterna iura cedere coegit; exinde etiam à Ioanne Bohemorum Rege pro coercendis Tyrannis præfectura decoratus, quæ vi occuparant eripuit oppida, Mutinam libertate donauit, ciues ſeruauit incolumes; Tyrannidem ipſam longè latèque ſæuientem profligauit: Subditis iura, liberis pietatem, & amicis fidem ſemper illibata ſeruauit: Sub eius regimine Mutinenſes fæliciſſimè quieuere, illius auctoritatem vniformis eorum conſenſus venerari decreuit, eius virtuti fortunas, & arbitria moderandi ſponte iura ceſſere. Heroicarum virorum actionum æmulæ extitere Heroinæ. Eliſabet enim inter ſæculi, & domus pompas miro ordine Seraphicum Diui Franciſci inſtitutum inuexit. In Diui Patris Noſtri Auguſtini honorem Templum

plum erexit, quod Eremitanis vt veris tanti Parentis Filijs plurimis locupletatum redditibus elargita eſt: Cuius eximiæ probitatis hæres Camilla Primogenita filia non contra Pium, vt illa Volſcorum Regina, ſed pro pietate ipſa re, ac nomine ſemper verè pia decretauit: Diuinis enim iugiter intenta, aſſidua corporis caſtigatione ſicut Deo Spiritum, ità & Spiritui feruentiſſimo robore ſenſus ſubegit; cui ſemper ciliciorum, & flagellorum, atque inediarum aſperitates familiares fuere; Quæ pompas ſæculares contemnens in Seraphica Diui Franciſci Familia adſcripta, ad Innocentium Octauum Summum Pontificem Romam perueniens, extruendi inſigne ſuarum Monialium Cœnobium, facultatem obtinuit, quo munificentiſſima liberalitate electo, in eo actionum magnitudine, & Crucifixi Sponſi imitatione clariſſimum perfectionis ſpeculum ceteris omnibus ſe præbuit; cuius etiam nunc virtutum, & rectè geſtorum præclara monumenta teſtantur; Eorum non tam exploratrix, quàm Aemula Margarita ad eumdem ſcopum animum intendens, eaſdem Spiritus, & perfectionis ſemitas tenuit: quæ continuata ſerie in alijs propagatæ etiam nunc perſeuerant. Alberti Tertij pietatem quis dignis efferat laudibus; quæ Lutheranæ hæreſi ſemper infenſa infandum caput erigenti forti certamine reſtitit: Eraſmumque Lutherizantem ſæpè deijcere ſtuduit. Quam Leo huius nominis Decimus non niſi ſui Pontificij diplomatis teſtimonio meritis encomijs celebrari poſſe cenſuit. Eximiæ huius Fortitudinis & Religionis præclariſſimum alterum extitit lumen Rodulphus S.R.E.Cardinalis ampliſſimus iam ab ineunte ætate virtutibus omnibus ornatus, quem Sancta Sedes Apoſtolica ad depellenda hæreſum monſtra, & Sacroſanctum Generale Concilium indicendum ad Franciſcum Primum Galliarum Regem, exindè ad Romanorum Imperatorem Carolum Quintum legatione Pontificia digniſſimum deſtinauit: Cuius & hodie pia munificentia

tia Sacra Lauretana Domus, & munerum, & Sacerdotum numero aucta gaudet: Cuius protectioni inuictiſſimus Imperator Carolus Quintus & regna, & Romanum commiſit Imperium. Quem Summus Pontifex Paulus Tertius Niceam proficiſcens, quem totæ Eccleſiaſticæ ditioni,& ipſi Vrbi Legatum præficeret meritiſſimum inuenit: Quem Iulius Tertius egregium in omnibus heroem expertus pro componendis belli Parmenſis controuerſijs ad Cæſarem iterum Legatum tranſmiſit: Cuius iam defuncti eximia merita Beatiſſimæ Memoriæ Pius Quintus ſuo celebri non tam Epitaphio, quam Elogio digna iudicauit. Huic Carolus ſicut Purpuræ, ità & Pietatis ſucceſſor demandatam ſibi Piceni Prouinciam ea rexit prudentia, iuſtitia, & Religione, vt omnium plauſu & ære monumentum ad perpetuam præclarè geſtorum memoriam, & grati animi Teſſeram ciues erexerint: Cuius deuotione, & munificentia Diui Caietani Religioſi Filij Ferrariam adducti, & ad ſacra miniſteria celebranda commodiſſimo in loco conſtituti, herculea in via mirificè clareſcunt: E cuius proſpectu eiuſdem ope, & ſumptibus Diuo Carolo Borromeo ſacrum excitatum Templum refulget: Qui ſemper ergà cunctos & maximè viros Sacerdotali honore inſignitos, litteris & Chriſtianæ Religionis zelo ornatos non tam Protectoris, quam Patris munus, & partes exercuit: Nouumque Piarum Scholarum inſtitutum, quarum fructibus orbis Catholicus excultus perfruitur, ex Summi Pontificis indulto eximiè promouit. Protectio Regnorum Hiſpaniæ, Sacræ Congregationis Indicis per quatuordecim annos exercita Præfectura, ſacri & ampliſſimi Cardinalium Collegij Decanatus, vna cum Hoſtienſis Epiſcopatus dignitate totius orbis Theatro in pia ſtirpe tam ſæculari, quam Eccleſiaſtica dignitate fulgentes numquam defuiſſe Heroes monſtrauit, ſicut nec defuturos eſſe ſperamus. Huius germanum Fratrem, & Eminentiæ tuæ digniſſimum Genitorem Aſcanium

Digitized by Google

nium oculatus teſtis, nec dignis Encomijs celebrare poſſum, nec ingrato ſilentio præterire debeo; Cuius Beneficientiam ciuium familiæ ſenſerunt, & quilibet eam ingenuo grati animi teſtimonio concelebrat. Nec minor erga Deũm illius extitit pietas, quam inter cætera Monialium S.Claræ,quas Capucinas vocamus nouum excitatum cænobium oſtendit. Eius iacturam etiam nunc dolent virtute præditi, eterniſque elogijs teſtantur non interituras reſonare in dies acclamationes, quæ eo ſincerius pronunciantur, quo benefica grati animi vox iuſtius in laudes erumpit: Et merito vnus enim fuit, cuius virtus nulli intercluſa iacuit, de quo viuente concors cordium plauſus per ora volitaret, cuius antiquæ regulas prudentiæ,incorruptæ notas iuſtitiæ, liberalium artium ornamenta demirantur vniuerſi; Cuius defuncti triſtem ingentium beneficiorum amiſſionem Patria deplorat. Refloreſcere in Filijs Auitam Pietatem & Magnanimitatem non tantùm Ferraria, ſed & Catholicus Orbis lætatur. Nam & Chriſtiana Religio propugnata à Giberto contra infenſiſſimos hoſtes ſuos inuictum eius robur & Fortitudinem perpetuis & meritis laudibus celebrare non deſinit. Et Eminentiam Tuam tot Piorum Heroum coronam eſſe, negare nullus, niſi aut maximè inuidus, aut ſummè ingratus,poterit. Inter pueriles annos ſenilem geſſiſti vitam,in adoleſcentia non minùs liberalibus artibus, ac ſcientijs; quam virtutibus excultus more ſapientum in terras alienigenarum Gentium pertranſiſti. Cataphractorum equitum à Summo Pontifice Vrbano Octauo Tribunus electus non exigua diſcrimina perferens pro Sancta Sede glorioſè dimicaſti: Ab Innocentio Decimo ex ſæcularibus ad Eccleſiaſticas dignitates euectus Generalis Theſaurarij munere decoratus Cardinalatus dignitatem adeptus cunctis magnânimitatis, & Pietatis clariſſimum lumen effulges; quas adhuc Vrbinatenſes, in quos non tam Legati, quam Patris partes exercuiſti, vniuerſæ conditionis, ac ſexus Perſonæ

textan-

textantur. Ab Alexandro Septimo ad Patriam Ferrarienſem Eccleſiam meritiſſimus Antiſtes electus omnium plauſu exceptus, iuſtitiæ, & Pietatis tuæ plebei, & patricij ciues, & hoſpites; fora, & templa; ſæculares, & Eccleſiaſtici emolumenta ſenſere. Inde Romam, depoſito paſtorali onere, recuperandæ priſtinæ valetudinis cauſa rediens, primarijs Sacrarum Congregationum cætibus adſcriptus, Romani comprotector Imperij, toto venerabilis orbi te præbes. Vbi inter cætera munificentiæ tuæ opera, ne aliquid magnanimitati, quam præcipuè ergà incolas Oppidi S. Gregorij exercuiſti, deeſſet, voluiſti, vt minima hæc noſtra Eremitarum Diſcalceatorum S. Auguſtini Congregatio tantæ benignitatis in S. Mariæ Nouæ Conuentus erectione eximijs decorata muneribus frueretur. Vnico textu complectar, quæ pagina non capit; Omnes tua miſericordia proſequeris, cuncti te plauſu ſequuntur, nullæ hominum de te querelæ, ſed vota. Romæ degis, & vbique viuis, orbem complecteris, & foues; Ea igitur magnanimitate, qua minima non deſpicis munuſcula ex immenſo doctrinarum Sancti Patri Noſtri Auguſtini oceano oblatam exiguam non exiguo cordis affectu vndam excipe: tuiſque fruere virtutibus, quarum fructus ad Catholici orbis vtilitatem confers, vt nos quoque illis fruamur, & ad Reipublicæ Chriſtianæ augmentum & decus felix perpetuo. Vale.

Eminentiæ Tuæ.

Humillimus, & addictiſſimus Seruus.

Fr. Benedictus à S. Iacobo.

Quanta

QVanta potui diligentia, iuſſu Adm: R. P. Matthæi à S. Euſtachio Vicarij noſtri Generalis, Opus, inſcriptum *De Sanctiſſimo & Arcano Trinitatis Myſterio D. P. N. Auguſtini Axiomata Theologica*, *Dubijs explicata à P. Benedicto à S. Iacobo Ferrarienſi*, in noſtra Congregatione *Sacræ Theologiæ Lectore*, perlegi, ſingularique animi delectatione acuratè perpendi. In quo nec vel minimam Fidei Catholicæ, ac bonis moribus aduerſantem vmbram offendi: Quin potiùs nihil animaduertere potui, quod non Auguſtinianæ doctrinæ radijs effulgeat, nec non Tanti Patris in Filio germanum appareat veſtigium. Quamobrem illud luce communi cenſeo dignum, non modicum luminis S. P. Auguſtini ſententiæ fideliter Addictis allaturum. Datum Romæ in Conuentu noſtro Ieſu Mariæ die 8. Februarij 1673.

Fr. Cæleſtinus à Ieſu Maria Auguſtinianus Excalceatus Sacræ Theologiæ Lector.

DE mandato Adm. R. P. Matthæi à S. Euſtachio noſtri Generalis Vicarij, attento ſtudio perluſtraui opus inſcriptum; *De Sanctiſſimo, & Arcano Trinitatis Myſterio D. P. N. Auguſtini* Axiomata *Theologica*, *à R. P. Benedicto à S. Iacobo Sacræ Theologiæ Lectore noſtræ Congregationis Religioſo explicata*; Nec aliquid in eo inueni, quod Sanctæ Fidei puritatem, bonorumque morum integritatem offendat, imò multum, quod prædicta confirmet, grauiſſimaſque ac difficillimas huius Myſterij Quæſtiones ſumma facilitate explicet. Quapropter vt ad tanti Myſterij gloriam, & honorem, publicamque Sanctæ Eccleſiæ vtilitatem in lucem edatur, digniſſimum iudico. Datum Romæ in Conuentu noſtro Ieſu Mariæ die 4. Aprilis 1673.

Fr. Fabianus à S. *Maria Magdalena Auguſtinianus Excalceatus Philoſophiæ Lector.*

✠✠ *Nos*

Nos Fr. Matthaeus à S. Euſtachio Vicarius Generalis Fratrum Excalceatorum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Congregationis Italiæ.

LIcentiam, quæ ad Nos ſpectat, concedimus, typis demandandi opus à Patre Noſtro Benedicto à S. Iacobo Ferrarienſi elaboratum, quod inſcribitur (*De Sanctiſſimo, & Arcano Trinitatis Myſterio D.P.N. Auguſtini Axiomata Theologica dubijs explicata &c.* cùm accuratiores ex noſtris Patribus Theologis illud de mandato noſtro ſinè vlla exceptione apud nos approbauerint. Datum Romæ die x. Aprilis 1673.

Fr. Matthaeus à S. Euſtachio Vicarius Generalis.

F. Io: Bartholomaeus à S. Claudia Sec. Gener.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Io: de Angelis Archiepiſc. Vrb. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capiſuccus Ordinis Prædicatorum Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.

INDEX

INDEX CONTROVERSIARVM AXIOMATVM ET DVBIORVM

DE SANCTISSIMO TRINITATIS MYSTERIO

CONTROVERSIA PRIMA.

De Proceſſionibus Diuinis.

AXioma I. Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedit. pag. 1.
Dubium I. Quot ſint proceſſiones Diuinæ, & an ſint per Intellectum, & Voluntatem. pag. 2.
Axioma II. Vna Proceſſio in Diuinis eſt generatio, altera non. pag. 13.
Dubium II. Cur vna ex Diuinis Perſonis ſit generatio, & non altera. ibid.

CONTROVERSIA SECVNDA.

De Relationibus Diuinis.

AXioma I. Dantur in Deo Relationes. pag. 28.
Dubium I. An & quomodo dentur in Deo relationes reales. pag. 29.
Axioma II. De Identitate & diſtinctione relationum Diuinarum cum, & ab eſſentia Diuina. pag. 33.

Dubium II. Quomodo Eſſentia, & Relationes diſtinguantur in Deo. pag. 34.
Axioma III. In conceptu Eſſentiæ non includitur Relatio, nec è contra. pag.46.
Dubium III. Vtrum in conceptu formali, & quidditatiuo Eſſentiæ includantur relationes, & è conuerſo. pag.47.
Axioma IV. Quomodo Relationes Diuinæ dicunt perfectionem. pag. 63.
Dubium IV. An Relationes Diuinæ addant aliquam perfectionem relatiuam ad Eſſentiam, & quomodo. pag.64.
Axioma V. Quomodo ſe habeant ad inuicem Relationes Paternitatis Filiationis, Spirationis Actiuæ, & Spirationis Paſſiuæ. pag.85.
Dubium V. Quomodo relationes iſtæ diſtinguntur inter ſe. pag.86.
Axioma VI. Dantur in Deo relationes Æqualitatis, & Similitudinis. pag. 93.
Dubium VI. An relationes Æqualitatis, & Similitudinis, & identitatis inter Diuinas Perſonas ſint reales, vel rationis. pag.64.

CONTROVERSIA TERTIA.

De Diuinis Perſonis.

Axioma I. De Ratione Perſonæ, Subſiſtentiæ, & Hypoſtaſis. pag. 100.
Dubium I. An ſint idem Perſona, ſubſiſtentia, Hypoſtaſis, & Eſſentia. pag. 101.
Axioma II. De ſubſiſtentia Diuina. pag.104.
Dubium II. An ſit concedenda in Deo ſubſiſtentia abſoluta. pag.105.
Axioma III. De Vnitate, & multiplicatione ſubſiſtentiæ in Deo. pag. 117.
Dubium III. Vtrum relationes Diuinæ ex propria ratione ſubſiſtant. pag. 118.
Axioma IV. De Conſtitutiuo, & diſtinctiuo Diuinarum Perſonarum. pag. 133.
Dubium IV. Vtrum Perſonæ Diuinæ vltimo conſtituantur, & diſtinguantur per relationes. pag.134.
Axioma V. Quomodo Perſonis conueniant actus notionales. p.155.

Dubium

Dubium V. Quomodo Actus Notionales reſpiciant, & identificentur Eſſentiæ, Relationibus, & Perſonis. ibid.

CONTROVERSIA QVARTA.

De Notionibus Sanctiſſimæ Trinitatis, & ſingularum Perſonarum.

AXioma I. Solo lumine naturali non poteſt cognoſci hoc Myſterium. pag. 161.
Dubium I. An, & quomodo Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis poſſit cognoſci ab intellectu creato. pag. 162.
Axioma II. De Notionibus Diuinarum Perſonarum. pag. 170.
Dubium II. An, & quot ſint admittendæ notiones in Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis. ibid.
Axioma III. De Actibus Notionalibus. pag. 177.
Dubium III. Vtrum Actus Notionales ſint Voluntarij, & priores prædicatis eſſentialibus. pag. 178.

CONTROVERSIA QVINTA.

De ſingulis Perſonis Diuinis.

De Perſona Patris.

AXioma Primum. Eſſe ingenitum conuenit Patri ſolum. pag. 186.
Dubium Primum. Quomodo eſſe ingenitum conueniat Patri. pag. ibid.

D E F I L I O.

Axioma Secundum. Verbum in Diuinis eſt nomen Perſonale. pag. 192.
Dubium Secundum. An Verbum in Diuinis ſit nomen Perſonale. ibid.

Axio-

Axioma III. Verbum Diuinum eſt expreſſiuum eorum omnium, quæ nouit Pater. pag.198.
Dubium III. Vtrum Verbum Diuinum procedat ex cognitione omnium Perſonarum, & creaturarum. pag.199.
Axioma IV. Spiritus Sanctus procedit etiam à Filio. pag.210.
Dubium IV. Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Filio. ibid.
Axioma V. Neceſſe eſt Spiritum Sanctum procedere à Patre, & à Filio. 223.
Dubium V. An ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio diſtingueretur ab eo realiter. ibid.
Axioma VI. Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti. pag. 234.
Dubium VI. De eodem. ibid.
Axioma VII. Spiritus Sanctus Patris, & Filij Spiritus eſt. p.240.
Dubium VII. Vtrum Spiritus Sanctus petat per ſe produci à duobus. pag. 241.

CONTROVERSIA SEXTA.

De Miſſione Diuinarum Perſonarum.

Axioma I. Alicui Perſonæ Diuinæ conuenit mitti. pag.247.
Dubium I. Vtrum alicui Perſonæ Diuinæ conueniat mitti. ibid.
Axioma II. Miſſio in Diuinis dicitur ſolùm temporaliter. p.249.
Dubium II. Vtrum Miſſio Diuinæ Perſonæ ſit æterna. pag.250.
Axioma III. Miſsio inuiſibilis fit ſolum ſecundum donum Gratiæ ſanctificantis. pag.252.
Dubium III. Vtrum Miſſio inuiſibilis ſit ſolum per donum Gratiæ gratum facientis. ibid.
Axioma IV. Filio ſolum, & Spiritui Sancto conuenit mitti. p.256.
Dubium IV. Vtrum Patri conueniat mitti. pag.257.
Axioma V. Miſsio inuiſibilis fit ad omnes, qui ſunt participes Gratiæ. pag.259.
Dubium V. De eodem. ibid.
Axioma VI. Conueniens fuit Filium & Spiritum Sanctum viſibiliter mitti. pag 261.

Dubium

Dubium VI. Vtrum conuenienter fuerit facta miſsio viſibilis Filij, & Spiritus Sancti. pag. 262.
Axioma VII. Perſona Diuina mittitur ab ea, à qua procedit, & etiam à ſe ipſa. pag. 266.
Dubium VII. Vtrum aliqua Perſona mittatur ab alia, quam ab ea, à qua æternaliter procedit. ibid.

ANIMA-

Digitized by Google

ANIMADVERSIO.

E Rrare humanum, confiteri errores correxiſſe eſt, plura in hoc opuſculo crimina Impreſſoris, & multo plura Auctoris reperies. Vnicum tantum opto, vt aduertas, & emendes, quod eſt in pagina 50. vbi referuntur verba illa S. Thomæ Doctoris Angelici ex Quæſt. Octaua *de Potentia Articulo ſecundo ad 6. Cum ergo dicitur eſſentia Diuina eſt Paternitas, non prædicatur Paternitas de Eſſentia Diuina* ✢ *propter identitatem rei* lege. *Non prædicatur Paternitas de Eſſentia Diuina propter identitatem rationis, ſed propter identitatem rei, &c.* Cætera aut Cenſor Æquus puni, & corrige; aut beneuolus Lector dimitte, & ignoſce.

Digitized by Google

AXIOMATA DE SANCTISS. TRINITATE EX S. P. AVGVSTINO.

CONTROVERSIA PRIMA.

De Proceſſionibus Diuinis.

AXIOMA PRIMVM.

Qualiter Filius procedat à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio.

Ex Lib. 3. contra Maximinum Cap. 14.

Si de ſubſtantia Patris eſt Filius, de ſubſtantia Patris eſt etiam Spiritus Sanctus, cur vnus Filius ſit, & alius non ſit Filius? Ecce reſpondeo, ſiue capias, ſiue non capias. De Patre eſt Filius, de Patre eſt Spiritus Sanctus; ſed ille genitus, iſte procedens: ideo il*le Filius eſt Patris, de quo eſt genitus, iſte autem Spiritus vtriuſque quoniam de vtroque procedit. Sed ideo cum de illo Filius loqueretur, ait: De patre procedit: quoniam Pater proceſſionis eius eſt auctor, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, vt etiam de ipſo procederet Spiritus Sanctus.*

Digitized by Google

DVBIVM I.

Quot ſint Proceſſiones diuinæ, & an ſint per intellectum, & voluntatem.

PRæmitto 1. Rectè à S. Thoma, & cum eo ferè ab omnibus aliis Theologis explicari Proceſſiones Diuinas eſſe non per modum effectus à cauſa, vel cauſæ in effectum; ſed ſecundum emanationem intelligibilem, qua procedens manet in eo, à quo procedit; cum hoc tamen quod nullam ab eo diuerſitatem habeat in Natura, ſeu Eſſentia; prout Fide Catholica ſanctum eſt, quæ docet, in Diuinis Filium à Patre, & Spiritum Sanctum ab vtroque procedere ſalua identitate ſubſtantiæ, & Eſſentiæ, ac propterea Chriſtum Dominum eſſe verum Deum, & eiuſdem Naturæ cum Patre contra Arrianos, & Iudæos, qui dicebant Verbum eſſe creaturam. Vlterius Spiritum Sanctum eſſe verum Deum contra Macedonianos, qui oppoſitum ſomniarunt, negando illi Diuinitatem: eſto de Patre, & Filio rectè ſentirent.

Præmitto 2. Intelligere, & velle in Deo eſſe in duplici differentia, & primo quidem accipi, quatenus dicunt rationem abſolutam, & eſſentialem communem omnibus perſonis, ideſt repreſentationem obiecti, & inclinationem, ſiue tendentiam in illud. Secundo verò quatenus notionalia ſunt, & reſpectiua, quò pacto identificantur quidem cum Diuina Eſſentia realiter, quæ propter ſuam infinitatem identificat ſibi omnem rationem abſolutam, & reſpectiuam in Deo repertam, ſed non reperiuntur in ſingulis perſonis, eo quod producens neceſſariò diſtinguitur realiter à producto; nam *Dicere*, quod ſupra intelligere abſolutum importat eſſe productiuum verbi, ita reperitur in dicente, quod non reperitur in verbo producto; & *Spirare*, quod ſupra diligere abſolutum ſignificat eſſe productiuum Spiritus Sancti, ita reperitur in ſpirantibus, vt non ſit in Spiritu Sancto. Cum verò in diuinis perſonis nihil ſit aliud, quam ratio abſoluta eſſentialis, & reſpectiua perſonalis; & præterea, quælibet ratio abſoluta ſit communis omnibus; *Dicere* ita reperitur in Patre, quod non ſit in alijs Perſonis, & *Spirare* ita in Patre, & in Filio, quod non ſit in Spiritu Sancto; neceſſario ſequitur, intel-

lige-

ligere, & velle, vt includunt relationem, & proprietatem perſonarum, eſſe idem, ac *Dicere* importare relationem conſtitutiuam primæ perſonæ, *Spirare* verò relationem communem primæ, & ſecundæ perſonæ; & *Dicere* ſoli Patri conuenire, & *Spirare* ſolum Patri, & Filio, quatenus ſpirator ſunt; quemadmodum in illis ſolum eſt proprietas ſuperaddita rationi abſolutæ; ſicut e contra *Dici*, vt eſt idem, quod produci per intellectum, quia includit paſſiuam originem, ſoli filio conuenit; & *Spirari*, ſoli Spiritui Sancto; & hanc doctrinam fusè tradidit S.P.N.Auguſt.lib.15 de Trinit.Cap.7.

Præmitto 3. Proceſſiones Perſonarum in diuinis eſſe quaſdam emanationes; quia ſecundum illas producitur aliquid à producente diſtinctum; quod ſatis eſt ad emanationem. Has emanationes aliqui recentiores contendunt, non eſſe appellandas actiones, eo quod de ratione actionis ſit, vt terminus productus eſſentialiter differat à producente, quod non habet locum in diuinis. Punctus iſte pertinet ad modum loquendi; nam re bene percepta rectè plurimi alij D.D. vſurpant nomen actionis ſecluſis imperfectionibus illis, quas in creatis ſecum trahunt actiones creaturarum. Sic etiam ad quæſtionem de voce ſpectat illud dubium, vtrum dicendum ſit, proceſſiones iſtas intrinſecè includere intelligere, & velle, an ſolum illa connotare. Cum enim ſecunda, & tertia perſona procedant per actus intellectus, & voluntatis, neceſſario in ipſa origine paſſiua debent includi intellectio, & volitio. Pater enim intelligendo generat, & filius intelligendo generatur, vt ſæpe docet S.P.N.Auguſtinus, aſſeuerando Verbum procedere ſapientiam genitam ex Sapientia ingenita. Et cum intelligere non conueniat Patri, ac Filio ratione proprietatis perſonalis vt ſic (conceptus enim paternitatis, & filiationis, vt ſic, non eſt ratio intellectionis) non poterit ſola relatio Paternitatis generare, nec ſola relatio filij generari; ſed Pater erit generans, & Filius genitus. Cum igitur Pater, vltra relationem nihil includat niſi eſſentiam, & per conſequens ipſum intelligere abſolutum, dicetur ratione vtriuſque generare; & ſic de Filio paſſiuè, &c. Hoc idem ſeruata proportione dicendum eſt de Spiritu Sancto; ideſt de velle reſpectu ſpirationis actiuæ, & paſſiuæ; nam Pater, & Filius volendo, ſiue amando ſpirant, & Spiritus Sanctus ſpiratur, vt Amor, ac proinde ſpiratio non dicit ſolam relationem, ſed etiam amorem eſſentialem. Ad punctum igitur difficultatis ℞. Intellectionem,

nem, quæ includitur eſſentialiter in Patre generante, vt eſt in illo, connotare ſe ipſam in Filio genito, & hanc eamdem vt incluſam in Filio genito eſſentialiter connotare ſe ipſam in Patre generante; & ſic pari ratione Amorem in ſpiratore eſſentialiter incluſum connotare ſe ipſum in Spirato, & in ſpirato incluſum eſſentialiter connotare ſe ipſum in Spiratore.

Præmitto 4. Aliud eſſe dicere, quod Pater intelligendo Filium producat; & Pater & Filius amando producant Spiritum Sanctum; aliud, quod intellectio ſit ipſa actiua productio Filij, & volitio actiua productio Spiritus Sancti; Intellectio enim, & volitio ſecundum ſe nullam dicunt oppoſitionem; ac proinde intellectio Patris communicatur filio, & volitio Patris, & Filij Spiritui Sancto; atqui productio actiua eſt relatio producentis in ipſo producente exiſtens, identificata realiter, ac formaliter ex natura rei cum intellectione, ac volitione, & ſolum virtualiter diſtincta; quapropter intellectio non eſt formaliter productio actiua, ſed quid in illa incluſum, vt iam dictum eſt. Et hoc eſt valdè obſeruandum ad habendam differentiam intellectionis increatæ à creata; In creatis enim per ipſammet actionem intellectionis producitur verbum, quod in re nihil aliud eſt, quam ipſa intellectio in facto eſſe; In diuinis verò intelligere, non eſt formaliter ipſa productio Verbi, ſed quid in illa incluſum; & neceſſariò connexum. Quod adhuc magis ex infra dicendis clareſcet. His poſitis.

Dico 1. Pro Reſponſione ad primam partem quæſiti; eſſe in diuinis vnam perſonam, quæ à nulla alia procedit, & duas procedentes; & ſic duas eſſe proceſſiones in diuinis. Prima pars probatur. Quia neque omnes perſonæ poſſunt eſſe productæ ab alijs, Sic enim daretur proceſſus in infinitum; neque omnes poſſunt eſſe mutuò ſe producentes; quia producens, vt ſic debet ſupponi, vt habens eſſe, productum verò, vt accipiens eſſe, ſiue non habens eſſe, antequam accipiat. Ergo non poteſt reſpectù eiuſdem eſſe producens, & productum. Hoc totum partim ſupponit, partim explicat S. Pater in Axiomate: Supponit, cum ait. *Pater proceſſionis eius eſt auctor*: explicat cum ait. *Qui talem genuit filium, & gignendo ei dedit vt etiam de ipſo procederet Spiritus Sanctus*.

Dices aduerſus prædictam rationem. Nullum eſt inconueniens, quod ſupponatur idem non habens eſſe, ſiue recipiens, quatenus productum, & habens eſſe, ſiue non accipiens, quatenus pro-

producens eſt: Ergo nulla eſt talis ratiocinatio.

Contra hanc inſtantiam pugnat, quod cum productum ſupponitur non habens eſſe, ſiuè accipiens eſſe, vel illud aliud, à quo ſupponitur producendum, habet eſſe, vel non; ſi dicas non habet, quomodo poterit producere? Si dicas habet; quomodo habet? ſi dicas productum. Iterum quæro, vel ab eo quod eſt, vel ab eo, quod non eſt. Et ſic in infinitum, quod repugnat. Siſtendum igitur in aliquo, quod non ſit productum, à quo alia producantur.

Vlterius certum eſt in demonſtrationibus non poſſe admitti circulum; quia alias, idem eſſet notius, & ignotius; certius & non certius. Sed tale eſt etiam inconueniens; ſi ponatur eſſe mutuam dependentiam in eodem genere principij, & principiati; idem namque eſſet magis, & minus natura independens; prius, & poſterius natura exiſtens; quæ omnia repugnant, & manifeſtam inuoluunt implicantiam. Ergo ne dentur huiuſmodi abſurda; concedatur prædictam ratiocinationem eſſe conuincentem, & in ſuo robore manere. Rationes iſtæ non ſolum conuincunt hoc non poſſe fieri naturaliter; ſed nec etiam ſupernaturaliter; licet enim in ſupernaturalibus admittantur plura ſupra Naturam, & rationem naturalem; numquam tamen conceditur aliquid contra naturam, & rationem euidentem; Et ſi ſemel daretur eamdem rem eſſe producentem & productam modo dicto ſaltem ſupernaturaliter: vix poſſet conuinci hæreticus dicens omnes Perſonas Diuinas ad inuicem produci.

Quæres hic, vnde habeamus vnam tantum eſſe perſonam improductam ℞. ſuppoſita fide de hoc myſterio. Probari ex eo, quod ſi eſſent plures perſonæ improductæ, iam differrent ſecundum eſſe abſolutum, ac proinde ſecundum naturam, & ſic eſſent plures Dij; id enim, in quo vnum differt ab alio, vel eſt aliquid abſolutum, vel aliquid relatiuum; ſed ſi eſſent plures perſonæ improductæ non poſſent diſtingui in aliquo relatiuo; Ergo diſtinguerentur in aliquo abſoluto. Probatur Antec: quia relatio illa, qua vna perſona diſtinguitur ab alia, non eſt niſi relatio originis actiuæ, vel paſſiuæ, nec poteſt eſſe alia; nam in æternis idem eſt eſſe, & poſſe, ſed ex ſuppoſitione, quod eſſent plures improductæ, nulla eſſet origo vnius ab alia inter iſtas. Ergo iam differrent in abſoluto, & ſic in Deitate, quod eſt impium. Ex quo iam habetur per neceſſariam con-

Digitized by Google

conſequentiam, eſſe duas perſonas procedentes, ſiue productas. Cum enim iuxta fidem Catholicam tres tantum ſint perſonæ, & vna ſolum ſit improducta; ſequitur, eſſe duas productas, & ſic duas ſolummodo proceſſiones paſſiuas, quæ identificantur cum perſonis productis.

Circa ſecundam partem dubij, an ſcilicet Proceſſiones Diuinæ ſint per intellectum, & voluntatem, duæ ſunt ſententiæ. Vna eſt Durandi in 1.diſtinct.6.quæſt.2. & diſtinct.27.quæſt.2. Vbi docet remotis per intellectum in Deo actibus volendi, & intelligendi adhuc fore in eo emanationes perſonarum; idque ex fœcunditate naturæ radicaliter, vt ipſe ait; quam fœcunditatem habet natura Diuina ex ſua infinitate. Hanc ſententiam plures recentiores dignam cenſura iudicant. Altera ſententia eſt communis in ſcholis S. P. N. Auguſt.& S.Thomæ: Proceſſiones diuinas eſſe ſecundum intellectum, & voluntatem, cui inhærendo.

Dico 2. Proceſſionem ſecundæ Perſonæ eſſe per intellectum, Quod probatur primo, quia communiter SS. Patres volunt Filium ideò dici Verbum in Scripturis, quia procedit per intellectum. Sic docent S. Cyrillus lib. 7. Theſauri, S.Baſilius Hom:in 1. Cap Io.S.Gregorius Nazianzenus oratione 4. de Theologia, & S.P.N.Auguſt.lib.7. de Trinitat. Cap.1. vbi ait. *Verbo quod genuit, dicens eſt, non verbo, quod profertur, & ſonat, & tranſit, ſed Verbo, quod erat apud Deum, & Deus erat verbum, & omnia per ipſum facta ſunt. Verbo æquali ſibi, quò ſemper atque incommutabiliter dicit ſe ipſum. Non eſt enim ipſe Verbum, ſicut nec filius, nec imago. Dicens autem exceptis illis temporalibus vocibus (Verbi) Dei, quæ in creatura fiunt: nam ſonant, & tranſeunt. Dicens ergo illo coæterno Verbo, non ſingulus intelligitur, ſed cum ipſo verbo, ſine quò non eſt vtique dicens.*

Probatur ſecundo, quia alias nulla eſſet ratio, cur Filius diceretur imago Patris, & non diceretur talis Spiritus ſanctus, ac etiam cur ipſe ſolus diceretur genitus.

Probari 3. ſolet ex illo Pſal. 2. *Dominus dixit ad me filius meus es tu ego hodie genui te*. Nam Pater extra ſe nemini dixit. Ergo interius: dicere autem interius terminatur ad Verbum; & pertinet ad intellectum. Ergo, &c.

Confirmatur ex cap. 24. Eccl. vbi Sapientia dicit de ſe. *Ego ex ore altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*. Sed os, vnde produxit Sapientiam genitam, non poteſt eſſe aliud, quam intellectus Patris; non enim loquitur ore cor-

corporeo. Ergo, &c. Sic etiam Io: Cap. 1. poſtquam dixit, quod id, quod dicitur Verbum, dicitur etiam filius, ſubiungit, eſſe in ſinu Patris. Sed per ſinum, in quo latent myſteria, nobis à filio reuelata non poteſt intelligi aliud, quam intellectus Patris omnia comprehendens. Ergo, &c.

Dico 3. Spiritum Sanctum, quæ eſt tertia perſona S.S.Trinitatis: procedere per voluntatem. Probatur 1. Ex S.P.N. qui lib. 9. de Trinit. Cap. 12. ait. *Sicut Dei verbum filium eſſe nullus Chriſtianus dubitat, ita Charitatem eſſe Spiritum Sanctum*. Charitatem, & amorem à voluntate procedere nullus dubitat. Idem docent alij SS. PP. ſupra relati, & plures alij.

Probatur 2. Quia in natura intellectuali reperiuntur ſolum operationes immanentes intellectus nempè, & voluntatis; ſed ſecunda perſona procedit per intellectum, vt probatum eſt; Ergo tertia procedit per voluntatem. Probatur conſequentia, quia non eſt ponenda in Deo voluntas minus fœcunda, quam ſit intellectus, nec dici poteſt procedere per intellectum vtramque perſonam, nam, & vtraque eſſet filius; & præterea cum Verbum per intellectum procedens procedat neceſſariò, & infinitum, eſt terminus vnicus, & adæquatus illius proceſſionis.

Dices 1. Non poteſt eſſe in Deo proceſſio immanens ſecundum intellectum, & voluntatem, quin admittatur etiam potentia paſſiua in eo, ſecundum quam poſſit recipere terminos illarum; ſed hoc eſt inconueniens; tolleret enim ab eo ſimplicitatem, & poneret compoſitionem; Ergo non ſunt admittendæ in Deo huiuſmodi proceſſiones. Reſp. negando maiorem: in illis enim proceſſionibus poſſunt conſiderari duo, illud videlicet, quod communicatur, & illud, quod producitur. Primum eſt ipſa natura diuina, quæ cum ſit idem realiter in, & cum omnibus perſonis, nec habeat oppoſitionem ad vllam ex illis, à nullo producitur neque tamquam à cauſa (quod habent etiam relationes) neque tamquam à principio, eo quod inter producens, & productum debet eſſe realis diſtinctio. Secundum verò ſunt relationes ipſæ filiationis, & ſpirationis paſſiuæ, quæ ſunt conſtitutiuæ Filij, & Spiritus Sancti, qui producuntur, vt quod; ipſæ verò relationes, vel producuntur vt quò, vel comproducuntur, ſecundum diuerſos modos loquendi; quapropter ſiue conſideretur terminus communicationis, ſiue productionis, vterque eſt ſubſtantialis, ac proinde per ſe ſubſiſtens; & non indigens aliquo, in quo recipiatur.

Dices:

Digitized by Google

Dices: etiam forma ſubſtantialis eſt per ſe ſubſiſtens, & tamen recipitur in ſubiecto informationis; Ergo etiam ille terminus productionis, etiam ſi ſit ſubſiſtens, poterit recipi in ſubiecto. Reſp. eſſe diſparem rationem; nam forma illa ſubſtantialis habet rationem partis, & facit compoſitionem; quod non habet locum in Deo, qui eſt actus puriſſimus, vt ſupra ex alio capite oſtenſum eſt.

Dices 2. Proceſſiones paſſiuæ debent correſpondere productionibus; ſed in Deo eſt tantum vna actio producens, quæ ſimul, & ſemel eſt intellectio, & volitio; Ergo vna tantum proceſſio paſſiua. Confirmatur quia vnus tantum eſt terminus, qui communicatur, natura videlicet diuina; ſed proceſſiones ſecundum terminos diſtinguuntur; Ergo vna tantum proceſſio. Reſp. verum quidem eſſe intellectionem, & volitionem in Deo eſſe realiter vnam actionem, ſiue potius vnam entitatem ſimpliciſſimam, ſed nihilominus eſſe virtute duplicem; quatenus poteſt præſtare, & de facto præſtat id, quod præſtaret, ſi eſſet actu, & realiter multiplex, & diuerſa; Sicut enim ab vna volitione, ſine vllo abſurdo, emanant omnes creaturæ: ſic etiam ab vna actione, ſiue entitate ſimpliciſſima poſſunt emanare plures proceſſiones. Itaque cum dicitur proceſſiones paſſiuas correſpondere productionibus, vel ſermo eſt de diſtinctione numerica, vel de diſtinctione formali, & quaſi ſpecifica; de prima negatur, eo quod diſtinctio realis, quæ eſt inter Perſonas, oritur ex oppoſitione, quam illæ habent inter ſe, de formali verò conceditur, nam ſicut emanatio paſſiua Verbi dicitur generatio paſſiua, ſic eius productio actiua dicitur generatio actiua; & ſicut paſſiua emanatio Spiritus Sancti dicitur ſpiratio paſſiua, ſic ſpiratio actiua dicitur eius productio. Ad Confirmationem: Reſp. eſſe quidem eumdem terminum, qui communicatur in vtraque, ſed non communicari eodem modo, nam in prima communicatur per intellectionem, in ſecunda verò per volitionem, quod ſufficit ad formalem earum diſtinctionem; Præterea termini ipſarum productionum ſunt diuerſi; & diſtinctio realis, quæ eſt ex relationibus oppoſitis, attenditur penes terminos productionis, qui in præſenti ſunt realiter diuerſi.

Dices 3. Proceſſio ſecundæ Perſonæ eſt infinita: Ergo exhaurit omnem vim productiuam, & omnem productionem, vel ſi relinquit locum ſecundæ proceſſioni, cur non etiam tertiæ, & quartæ? Reſp. negando conſequentiam non

enim

enim requiritur maior perfectio ad ſecundam proceſſionem, quam ad primam; vtràque enim productione communicatur eadem perfectio infinita ſimpliciter, cum actio illa ſit realiter vna, & duplex virtualiter, & ſic prima proceſſio non exhaurit virtutem eius ſimpliciter, ſed ſolum, quatenus dictio eſt; ſecunda verò quatenus ſpiratio; & præterea prima proceſſio, quæ eſt identicè infinita ſimpliciter ratione eſſentiæ, quam includit formaliter tamen eſt infinita ſolum in ratione talis proceſſionis, quæ eſt generatio: & ſic non relinquit locum tertiæ, & quartæ, eo quod in natura intellectuali, non poſſunt eſſe aliæ proceſſiones, quam ſecundum intellectum, & voluntatem.

Inſtabis ſaltem poterunt eſſe plures ſecundum intellectum, & plures etiam ſecundum voluntatem. Reſp. non poſſe, eo quod vtraque proceſſio eſt infinita in ſuo genere formaliter, & præterea excludens quamcumque aliam eiuſdem generis; & propterea non poſſet eſſe talis pluralitas ſine diſtinctione quoad abſolutum; duo enim Filij à Patre procedentes nullam haberent inter ſe oppoſitionem originis; ibi enim non datur diſtinctio realis, niſi vbi obuiat oppoſitio relatiua; & ponere diſtinctionem realem penes abſoluta, eſſet ponere plures Deos.

Dices 4. cum Durando: Actiones immanentes intellectus, & voluntatis non poſſunt eſſe id, quo producitur Verbum, & Spiritus Sanctus, niſi ſint vel productiones perſonarum, vel principia productiua: ſed neque vnum, neque alterum habent: ergo productiones Diuinæ non ſunt per intellectum, & voluntatem, niſi appropriatè. Probatur minor quoad primam partem; quia ad hoc, vt eſſent proceſſiones, ſiue productiones, deberent eſſe actus notionales, ſed actus intellectus, & voluntatis ſunt actus eſſentiales, non verò notionales; ergo ſub hac ratione non poſſunt eſſe id, quo producantur Perſonæ: ſed neque vt principia (quod eſt altera pars minoris) habent enim actus illi conditionem oppoſitam fœcunditati, quæ eſt, quod ex illis nihil ſequitur, vt habet Ariſtoteles lib. 9. Metaph. textu 16. Ergo nullo modo poſſunt eſſe id, quo producuntur perſonæ. Confirmatur primo quoad productiones, de quibus eſt maior difficultas; quia ſi actus illi eſſent productiones, cuicumque competeret intelligere, & velle, competeret etiam producere perſonam; & ſic etiam competeret Spiritui Sancto. Confirmatur ſecundo, quia productio-

nes realiter differre debent ſicut perſonæ productiuæ, cum quibus identificantur; ſed intelligere, & velle ſolum differunt per intellectum; ergo, &c. Reſp. negando minorem. Ad probationem primæ partis Reſp. verum quidem eſſe ipſum intelligere, & ipſum velle, vt ſunt actus eſſentiales, & rationes abſolutæ, non eſſe productiones neque actiuas, neque paſſiuas, ſed nihilominus eſſe aliquid in illis incluſum; cum quo tamen ſtat, quod, vt ſunt, & important ipſum dicere, & ipſum ſpirare, non ſint amplius, quid commune; hoc enim modo iam includunt ipſas relationes, & ſunt ipſimet actus notionales. Et ſic ad primam Confir. Reſp. verum eſſe quod cuicumque competit tale intelligere notionale, ſiue quod ſit etiam dicere, conuenit etiam generare, quod idem dic de velle notionali reſpectu ſpirationis; ſed vt ſic ſumuntur, primum competit ſoli Patri, ſecundum verò Patri, & Filio, vt ſunt ſpirator. Ad ſecundam Confirmationem, Reſp. intelligere, & velle eſſentiale ſola ratione differre; intelligere verò, & velle notionale, quamuis inter ſe differant ſola ratione ex parte principij, nihilominus à terminis productis diſtinguuntur realiter; eo quod cum illis habeant oppoſitionem relatiuam.

Dices 5. cum eodem A. fœcunditas proportionaliter conuenit Deo, & creaturis; ſed non conuenit creaturæ, qua intelligens eſt, nam etiam irrationalia ſunt productiua ſimilis; & homo per aliquid prius, quam per intellectum eſt fœcundus: ergo huiuſmodi proceſſiones non ſunt per intellectum, &c. Reſp. quod ſi ſermo ſit de fœcunditate, qua communicatur natura, vt debet eſſe in præſenti propoſito, negatur maior; neque enim conſtitui debet idem modus communicationis in natura immateriali, & independenti, qui ponitur in natura materiali, & corruptibili; quod ſi ſermo ſit de quacumque potentia ad aliquid producendum, negatur minor; nam etiam homo, vt intelligens, producit verbum per intellectum, & amorem per voluntatem. Hac diſtinctione facilè ſoluuntur alia argumenta ſimilia.

Dices 6. pro eodem Dur. ex SS. PP. Hilar. Auguſtino & alijs: Filius dicitur genitus natura: ergo non eſt genitus per intellectum, qui eſt attributum ipſius naturæ, & ab ea ratione ratiocinata diſtinctus. Reſp. communiter, hoc, quod eſt verbum natura produci, ſtare dupliciter: primo vt ly natura dicat principium gene-

generationis: ſecundo vt dicat modum, & tam in primo quam in ſecundo ſenſu verificari prædictum axioma: In primo dicendo ipſum intelligere eſſe non ſolum identicè, ſed etiam formaliter ipſam naturam Diuinam, vt plurimi, & celeberrimi DD. docent, quibus adhæreo, & in Controuerſia de Scientia Dei explicaui: & hoc modo eſſe principium vt quo generationis; Secundo verò modo idem eſſe generari natura, ac generari neceſſariò, non autem liberè, quod eſt citrà vllam controuerſiam.

Dixi ſupra: prædictam Durandi ſententiam à plurimis DD. iudicari cenſura dignam; eam enim, & Molin. Diſput. 2. ad quæſt. 28. primæ partis S. Thom. non ſolum falſam, & temerariam, ſed etiam periculoſam in fide, & erroneam appellat, cui ſubſcribit Alex. Peſantius ibidem ad artic. 5. Diſput. 1. §. 3. Vaſquez tom. 2. Diſput. 112. cap. 2. contra eam acriter agit, & eam putat redolere hæreſim Alogianorum ex parte, ideſt in modo loquendi, quatenus illi non admittebant in Deo Verbum propriè dictum. Diſſentit tamen ab eis in eo, quod illi negabant Trinitatem perſonarum, quam Durandus admittit. Sed re vera arbitror alium fuiſſe ſenſum Durandi ab eo Alogianorum, negantium hoc Myſterium. Valentia Diſput. 2. Tomi primi Quæſt. 1. puncto 3. §. *Cæterum*, eam temeritatis arguit. (Fallitur tamen Valentia in eò, quod putat ſententiam hanc Durandi eſſe eamdem, quam tenuit Gregorius noſter Ariminenſis in 1. diſtinct. 10. quæſt. vnica in reſp. ad rationem primam principalem, & diſtinct. 13. quæſt. vnica: nam vt rectè obſeruat Vaſquez loco citat. Cap. 1. num. 3. in illis locis ſolum diſputat Ariminenſis de principio quo generationis, &c Sed non negat proceſſionem Verbi eſſe formaliter intellectionem, & ſpirationem Spiritus Sancti eſſe actum volendi; vnde, vt rectè ait ibi Vaſquez, immerito ei attribuitur talis opinio). Redeundo nunc ad prædictorum DD. cenſuram de Durandi ſententia, hanc poſteriorem Valentiæ Recentiores arbitrantur eum in hoc puncto promereri: Primo, quia eſt contra communem PP. & DD. Scholaſticorum ſententiam. Secundo, quia non tuetur, quomodo Filius dicatur Verbum, & Spiritus Sanctus Amor. Tertio, quia non ſaluat, quomodo ſecunda perſona, non verò tertia dicatur Filius, quod optimè ſaluatur, ſi ſecunda per intellectum, tertia per voluntatem dicatur procedere. Quarto, quia nec etiam alio

modo ſaluari poteſt, quod Filius à ſolo Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedat, & cur proceſſio Spiritus ſancti ſit poſterior origine proceſſione Filij, quod optimè ſaluatur in communi ſententia, ex eo quod operatio voluntatis ſupponit operationem intellectus. Nec ſufficit, quod addit Durandus ad ſoluendum hunc nodum, nempè in tantum Filium dici productum per intellectum, Spiritum Sanctum verò per voluntatem, quia prima proceſſio in creatura intellectuali eſt per intellectum, ſecunda verò per voluntatem; nam ſi non admittitur etiam in Deo talis ordo, non concluditur vllo modo intentum. Quinto & vltimo: non poteſt aſſignare Durandus cur in Deo ſint duæ proceſſiones, & non vna tantum, aut plures. Cur enim, cum prima proceſſio, quæ eſt infinita, non exhaurit fœcunditatem naturæ diuinæ, exhaurit ſecunda? Nos rectè aſſignamus, quia in natura purè ſpirituali non eſt inuenire aliam proceſſionem, quam per intellectum, & voluntatem: neque proceſſio infinita per intellectum relinquit locum alteri ſecundum eamdem rationem intellectionis; & ſic de voluntate, eo quod Deus comprehenſiuè ſe intelligit, & ſe amat actu proportionali. Quapropter cum idem intelligere, quod eſt in Patre, communicetur Filio, & prout eſt in Patre habuerit terminum adæquatum, nempè Verbum productum; iam non poteſt in Filio habere alium terminum, & ſic Filius non poteſt generare alium filium, ſicut neque Pater poteſt generare duos filios, quia vnicum verbum explet, & adæquat fœcunditatem intellectus Diuini; Et hoc idem dicendum de ſecunda Proceſſione; cum enim idem velle Patris, & Filij communicetur Spiritui Sancto, & prout eſt in prima, & ſecunda perſona habuerit terminum adæquatum, non poteſt in Spiritu Sancto terminari ad alium Spiritum Sanctum; ſicut neque in Patre, & Filio poterat terminari ad duos amores productos. At in ſententia Durandi, cum principia proxima productionis non ſint quoad numerum determinata, & prima proceſſio non adæquet, aut exhauriat fœcunditatem naturæ; non apparet cur debeat exhaurire, aut adæquare ſecunda.

AXIO-

AXIOMA SECVNDVM.

Vna proceſſio in Diuinis eſt generatio; altera non.

Ex Lib. 11. de Ciuit. Dei Cap. 24.

Credimus & tenemus, & fideliter prædicamus, quod Pater genuerit Verbum, hoc eſt Sapientiam, per quam facta ſunt omnia, vnigenitum Filium, vnus vnum, æternus coæternum, ſummè bonus æqualiter bonum, & quod Spiritus Sanctus ſimul, & Patris, & Filij ſit Spiritus, & ipſe conſubſtantialis, & coæternus ambobus.

DVBIVM II.

Cur vna ex Diuinis Proceſſionibus ſit generatio, & non altera.

PRæmitto hic primo hanc quæſtionem ſupponere duo ſanctæ fidei noſtræ de hoc Myſterio documenta. Primum eſt præter proceſſionem Verbi, dari in Deo aliam, per quam Spiritus Sanctus procedit. Secundum eſt Proceſſionem Verbi eſſe generationem, non verò illam Spiritus Sancti.

Præmitto 2. ex Sacris Scripturis rectè colligi Verbum à Patre procedere, & primo quidem ex Prouer. cap. 8. vbi habetur *Dominus poſſedit me*. Qui locus, & de generatione Chriſti, vt hominis rectè explicatur à S.P.N.lib.1. de Trinit. cap.11., & de generatione æterna à quibuſdam alijs PP. vt à S.Iuſtino in Dialogo triplici, à S. Baſilio lib. 2. contra Eunomium, à Pamphil. in Apolog. pro Orig. à S.Hieronymo in eum locum, qui in Epiſt. ad Cyprianum monet nihil referre, quod alij legunt *creauit*; in hebræo enim

enim non eſt verbum ſignificans *creauit*, ſed *poſſedit*. Imò eſto S. P. Auguſtinus iuxta verſionem ſeptuaginta legat, *creauit*; & propterea illud exponat de Chriſto homine; nihilominus verba illa ſequentia, *ante omnes colles ego parturiebar* explicat de Sapientia genita, vt verè exponendum eſt. Nam Chriſtus Dominus, vt homo, non erat ſecundum eſſe reale ante omnes colles; nec ſufficit dicere fuiſſe ſecundum eſſe obiectiuum; quatenus ſcilicet erat in æterna prædeſtinatione præcognitus, & prædefinitus; non enim benè poſtea ſubiungeretur, *cum eo eram cuncta componens*. Iuxta prædictam expoſitionem igitur idem erit *poſſedit*, ac *generauit* iuxta illud Gen. 4. *Poſſedi hominem per Deum*. Secundo & fortius colligitur ex Cap. 24. Eccleſiaſtici. *Ego ex ore altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*; quem locum S. P. N. Auguſtinus lib. 1. de Trinit. Cap. 6. S. Ambroſius lib. 4. de Fide cap. 4. & alij PP. explicant de Sapientia genita, & rectè; neque enim poteſt intelligi de ſapientia eſſentiali, quæ neque eſt primogenita, nec genita. Neque commodè poteſt explicari cum Ianſenio de Sapientia creata; de hac enim non poteſt verè dici, quod ſit primogenita ante omnem creaturam. Quapropter cum Siricio Epiſt. 1. ex eo loco rectè PP. probant Filium eſſe eiuſdem eſſentiæ cum Patre. Tertio colligitur ex Cap. 5. Micheæ, vbi de Chriſti Domini Natiuitate dicitur. *Et egreſſus eius ſicut initio à diebus æternitatis*. Hæc ita communiter à PP. exponuntur, vt poſtrema de æterna generatione, priora de Incarnatione, & Natiuitate eius dicta ſint. Ita S. Hieronymus ibi. S. Ioannes Chryſoſtomus in pſal. 44. Euſeb. lib. 7. de Demonſtr. Eu. 1. 2. Cyrillus lib. 2. de Trinit. Colligitur 4. ex illo Ioan. Cap. 16. *Exiui à Patre, & veni in Mundum*. Quæ verba licet cum S. P. N. lib. 1. de Trinit. cap. 10. exponi poſſint de Incarnatione per ly *exiui à Patre*, & de eius conuerſatione cum hominibus per ly *veni in Mundum*. Communiter tamen à PP. ita exponuntur, vt prima de æterna generatione, poſteriora de Incarnatione intelligantur. Ita S. Hil. lib. 6. de Trinit. S. Athanaſius Epiſt. ad Epictetum. Baſil. lib 5. contra Eunom. &c. Dicunt aliqui hanc expoſitionem eſſe magis ad ſenſum Scripturæ, eo quod ſi ly *exiui à Patre* ſignificaret Incarnationem, non eſſet cur adderetur ly *veni in Mundum*, *&c*. Sed fruſtra hoc obijcitur. Nam in communi vſu loquendi dicitur aliquis venire in Mun-

Mundum; quando exit ab vtero Matris. Vbi aduerte eſſe phraſim Scripturæ, vt natiuitas exitus appelletur. His poſitis.

Dico 1. Proceſſionem Verbi à Patre eſſe veram generationem. Hæc aſſertio eſt de fide, & tam certa, quam certum eſt Verbum eſſe Dei Filium; contenta in Symbolo Niceno illis verbis *Genitum, non factum*, & in Symb. Athan. in illis *Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus*. Et probat primo ex Scripturis. Primo quidem ex Pſal. 2. *Ego hodie genui te*; quem locum de æterna generatione exponit S. P. N. ibi; cum ait *quo ſempiternam generationem virtutis, & Sapientiæ Dei, qui eſt vnigenitus Filius, fides ſinceriſſima, & catholica prædicat*: ſic etiam exponit Caſſiod. Baſil. lib. 2. contra Eunom. Beda, & Primaſius. Alij exponunt de Reſurrectione; alij de Incarnatione, quod non latuit S. Patrem. Nam antea dixerat. *Quamquam etiam poſſit ille dies in Prophetia videri, quo IESVS Chriſtus ſecundum hominem natus eſt*. Nihilominus videtur primariò ibi intellectam eſſe generationem æternam; nam vt rectè obſeruat ibi S. P. *Hodie, quia præſentiam ſignificat, atque in æternitate, nec præteritum quidquam eſt, quaſi eſſe deſierit, nec futurum, quaſi nondum ſit, ſed præſens tantum, quia quidquid æternum eſt, ſemper eſt: diuinitus accipitur ſecundum id dictum*. Ergo, &c. Secundo ex illo Pſal. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te*. Vbi licet S. P. velit dictum de natiuitate ex Sanctiſſima Virgine, propter verba ſequentia, idest *iurauit Dominus, & non pænitebit eum: tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Non ſilet tamen ibi generationem æternam; ſubiungit enim. *Nam ſecundum id, quod natus eſt de Patre, Deus apud Deum, coæternus gignenti, non ſacerdos, ſed ſacerdos per carnem aſſumptam, &c.* vidit enim etiam hunc ſenſum poſſe tribui illis verbis, ſaltem ſecundariò, & obliquè; ad æternam enim generationem referunt S. Ambr. lib. 4. de Fide cap. 4. S. Hil. lib. 6. de Trinit. S. Ioan. Chryſoſtomus hom. 2. in Matth. S Leo ſerm. de Natiuit. & S. Hieronymus ibi, &c. Tertio ex cap. 8. Prouerb. de Sapientia Diuina dicitur: *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram*. Et ex cap. 24. Eccleſiaſt. vbi dicitur. *Prodiui primogenita ante omnem creaturam*, & Iſaiæ cap. 14. *Generationem eius quis enarrabit?* quæ loca ferè ab omnibus exponuntur de generatione æterna. In nouo teſtamento nihil clarius: ſæpiſſimè enim dicitur Chri-

ſtus Filius Dei vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, &c. Primogenitus, &c.

Probatur ſecundo ratione. Quia huic emanationi conueniunt omnes particulæ, quæ continentur in definitione generationis viuentium, quæ communiter ſic traditur: *Generatio eſt origo viuentis à viuente in ſimilitudinem naturæ*, & habetur lib. 2. de Anima, addunt aliqui *ex vi ſuæ proceſſionis*. Eſt enim Proceſſio Verbi origo viuentis à viuente, eo quod Verbum, quod non ſolum eſt viuens, ſed etiam eſſentialiter vita, procedit à viuente, ideſt Patre. & eſt à principio coniuncto, quia principium huius emanationis eſt eſſentia Diuina, quatenus eſt in prima perſona, quæ neceſſariò eſt improducta, & terminatur proprietate perſonali, quæcunque illa ſit; & eſt in ſimilitudinem naturæ, quia procedit Deus de Deo, idque ex vi ſuæ proceſſionis, &c. quod à multis additur, eo quod poteſt eſſe origo viuentis à viuente in ſimilitudinem naturæ, quæ tamen non ſit generatio, vt fuit origo Euæ ab Adam.

Dices generatio propria viuentium includit generationem in communi, quæ definitur: *Mutatio ex non ſubiecto in ſubiectum*, ſed proceſſio Verbi non eſt mutatio; ergo nec poteſt eſſe generatio viuentis. Reſp. generationem viuentium ſecundum ſe abſtrahere à mutatione, & negatione mutationis; & in creaturis quidem communiter, & regulariter, ac etiam neceſſariò includere mutationem, eo quod generans non poteſt ſuam naturam numericam communicare genito, ſed ſolum aliam numero diuerſam, & ſic neceſſè eſt, quod introducat formam nouam in materiam iam præexiſtentem, quod non poteſt ſtare ſine mutatione materiæ. Hoc in diuinis non habet locum, vbi nulla eſt materia, & eadem numero eſſentia generantis communicatur genito ab æterno. Per hæc iam ſatisfactum eſt primæ parti huius quæſtionis.

Pro ſolutione ſecundæ partis, in qua quæritur, cur altera proceſſio non ſit generatio, quæ eſt difficilior prima.

Præmitto rationem dubitandi oriri ex definitione generationis, cuius ſingulæ partes videntur conuenire proceſſioni Spiritus Sancti; oritur enim viuens à viuente, ideſt Deus de Deo, à principio coniuncto, ideſt à voluntate, in ſimilitudinem naturæ, quia in eadem numero. Præterea ad hoc vt aliqua proceſſio ſit generatio, ſufficit, vt ex vi illius communicetur ſimilitudo in natura; propterea

pterea enim proceſſio Verbi eſt generatio, & ſic etiam productiones animalium infra eamdem ſpeciem; ſed ex vi ſpirationis communicatur natura Diuina, procedit enim Spiritus Sanctus, vt Deus; nam ex vi ſuæ proceſſionis eſt perſona Diuina, & amor, non creatus, ſed increatus; ergo Deus. Vlterius Spiritus Sanctus habet naturam Diuinam, & non habet illam à ſe, ſed communicatam à Patre, & Filio; at non habet aliter communicatam, quam per ſpirationem; ergo ex vi illius procedit ſimilis in natura. Si dicas cum communi proceſſionem Spiritus Sancti eſſe productionem ſimilis in natura, non formaliter, & ex vi proceſſionis, ſed materialiter, & identicè, quatenus ſcilicet talis proceſſio eſt diuina: ad generationem verò requiri, vt formaliter ſit communicatio naturæ, ac ſimilitudinis in natura. Contra eſt, quia hoc modo nec etiam productio Verbi eſſet generatio; nam etiam huic productioni quædam formaliter conueniunt, quatenus dictio, & quædam identicè, quatenus intellectio Diuina; ad hoc enim vt illa dictio ſit generatio, non ſufficit quod ſit communicatio naturæ identicè; nam ſic etiam ſpiratio eſſet generatio; ſed oportet, quod formaliter vt dictio eſt, ſiue intellectio, ſit talis. Atqui intellectio Diuina, vt ſic eſt tantum communicatio ſimilitudinis intentionalis, ſeu in eſſe intelligibili, & repræſentatiuo, quæ ſimilitudo ſi ſufficeret ad generationem, etiam noſtra productio verbi eſſet generatio, cum per illam producatur ſimilitudo intentionalis obiecti. Quod ſi opponas noſtram non eſſe generationem, quia terminatur ad accidens; benè tamen Diuinam, quia terminatur ad ſubſtantiam. Contra eſt primo quià intellectio Diuina habet eſſe ſubſtantiam ex natura Diuina identificata; non verò ex eo, quod ſit intellectio. Secundo ex eo præciſè quod intellectio Diuina ſit ſubſtantia, habetur ſolum quod eius communicatio ſit communicatio ſimilis in eſſe repræſentatiuo ſubſtantiali, non verò accidentali; cum tamen præter hoc requiratur ſimilitudo in natura. Tertio quia intellectio Patris non poteſt aliud dare, quam id, quod ipſa formaliter eſt; at ipſa non eſt formaliter ſimilitudo in natura, ſed ſolum in eſſe intentionali: Vnde ſi ideò proceſſio Spiritus Sancti non dicitur eſſe in ſimilitudinem naturæ, quia per illam communicatur formaliter amor, qui ſolum identicè eſt Deus, pari modo de intellectione erit philoſophandum. Denique ſimilitudo in

eſſe intentionali, & ſimilitudo in natura ſunt diuerſæ rationis. Ergo quantumuis prima perficiatur in ſuo genere nunquam attinget ſimilitudinem naturæ; quemadmodum Veritas ex eo, quod in infinitum perficiatur in ratione veritatis, nunquam attinget ad rationem formalem Miſericordiæ, aut intellectio ad rationem volitionis. Hæ, & ſimiles ſunt rationes dubitandi in hoc puncto; vt propterea S. Bernardus Sermone primo de Pentecoſte dixerit proceſſionem Spiritus Sancti eſſe obſcuriſſimam, & poſuiſſe tenebras latibulum ſuum; & S.P.N. lib.3. contra Maxim. cap. 13. *Diſtinguere inter illam generationem, & hanc proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio*, & lib. 15. de Trinitate Cap.27. *Difficillimum eſt generationem, à Proceſſione diſtinguere*, & ſimilia habent alij PP. ſcilicet S.Greg.Nazianz.orat.5. de Theol.S.Ambroſ.lib.1.de Fide cap.5. S.Athanaſ. *Epiſt. ad Seraph.* Nihilominus Theologi, vt veritas magis eluceſcat, ad reddendam huius rei rationem aliquam congruentem, & probabilem laudabiliter inſudarunt. Et plures explicandi modos inuenerunt: Ex quibus præcipui ſunt, qui ſequuntur.

Durandus in 1.diſtin.6.quæſt 2. ait Filium procedere per modum naturæ, quia eſt vt vnum ab vno, & non procedit à pluribus eiuſdem gradus, & ordinis, quorum quilibet per ſe ſufficeret ad producendum. At Spiritus ſanctus procedit per modum voluntatis, quia procedit à duobus, quorum quilibet poſſet ſeorſim producere. Hanc rationem tetigit etiam S. P. lib.15. de Trinitate cap. 27. vbi negauit Spiritum Sanctum eſſe Filium. *Quia cum à duobus procedat, ad illos compararetur tamquam ad Patrem, & Matrem, cum tamen etiam in humanis Filius ab vno procedat, à Patre in Matrem, & à Matre ſine Patre.*

Sancti Patres, vt reſponderent Argumento Macedonij Hereſiarchæ, qui contendebat Spiritum Sanctum non eſſe conſubſtantialem Patri, eo quod nihil ſit alteri conſubſtantiale, niſi ab illo ſit genitum; vt refert S. Gregorius Nazianzenus orat.5.de Theologia, variè conati ſunt rationem aliquam congruentem afferre, qua ſaluarent conſubſtantialitatem Spiritus ſancti, quin admitterent eius proceſſionem eſſe generationem.

Ipſe S.Gregorius Nazianz. Reſpondet Adam, Euam, & Seth fuiſſe eiuſdem ſubſtantiæ, & tamen diuerſis modis productos.

S. Baſilius contra Eunomium lib.

Digitized by Google

lib.5. negat Spiritum ſanctum dici Filium, quia poſſet inde oriri ſuſpicio, quod eſſent in diuinis plures Filij.

S.P.Auguſtinus lib.5. de Trinitate cap. 14. Reſpondet ſecundam perſonam eſſe Filium, quia procedit, vt natus, Spiritum ſanctum non item, quia procedit, vt datus.

Contra hæc multa faciunt, & præcipuè contra ſententiam Durandi hæc tria militant. Primum eſt, quod proceſſio debet diſtingui penes terminos, vel principia, non verò penes ſuppoſita producentia; inſpiratione verò idem eſt principium principale producens, quod in generatione, & idem terminus communicationis, ideſt eadem eſſentia Diuina. Secundum eſt, quod Pater, & Filius ita concurrunt ad ſpirationem, vt nec liberè in illam conſentiant, nec poſſit vnus ſine alio producere. Tertium eſt, quod notauit Scotus in 1. diſtinct. 13. quæſt. vnica. Si vnica albedo, & eadem numero poneretur in duobus ſubiectis, non ideò eſſet diuerſa immutatio viſus ab ea, quæ eſſet ab albedine exiſtente in vno, quam ea, quæ eſſet ab eadem exiſtente in vtroque. ergo neque proceſſio ob diſtinctionem ſuppoſitorum. Ratio S.P. eſt ibi adducta, vt minus principalis.

Ad rationem S.Gregorij. Reſp eumdem S.Doctorem fateri exemplum non adæquare, & eſſe diſparitatem in eo, quod Eua non fuit genita ex Adam, iſte enim merè paſſiuè ſe habuit; at Spiritus Sanctus procedit à principio coniuncto, quemadmodum procedit Filius per productionem actiuam. Nihilominus exemplum hoc rectè infringit rationem Macedonij importunè quærentis, vt aſſignetur, aliquid non genitum ex alio, quod ſit eiuſdem ſubſtantiæ cum illo.

Ad rationem S. Baſilij poſſet Hæreticus reſpondere, quod ſi eſſent duo geniti nullum eſſet inconueniens, quod dicerentur duo filij; ac proinde in præſenti quæri rationem, cur non ſint. Cum quo tamen ſtat, quod ratio huius Sancti rectè probet, eas proceſſiones non eſſe eiuſdem rationis; quia prima, cum ſit infinita, expleuit fœcunditatem principij, & ſi duæ admitterentur, non eſt cur non etiam admittantur tres, & quatuor.

Ad rationem S.P.N. Reſp. neque hanc, neque illam adductam à Durando, eſſe adductas à Sancto Patre, vt conuincentes, ſed ſolum, vt congruentes, & quæ videntur facere aliquam, ſed non omnimodam probabilitatem; nullam enim ex his vrget, aut fusè ex-

Digitized by Google

explicat, ſicut explicat illam, quam pro cardinali cum S. Thom. ſequimur & amplectimur. Reſp. igitur directè, quod cum per eundem S. P. eſſe datum ſolum addat reſpectum quemdam ad nos, non apparet quomodo hoc obſtet generationi. His igitur excluſis, de quibus hodiè aut nulla, aut ferè nulla eſt in ſcholis mentio; venio ad præcipuos modos, quibus à diuerſis DD. Scholaſticis difficultas hæc explicari ſolet.

Primus eſt Richardi Victorini lib. 6. de Trinitate Cap. 19. quem poſtea ſecuti ſunt Alenſis 1. par. quæſt. 42. memb. 2. §. 1. & Maior in 1. diſtinct. 13. quæſt. 1. & eſt, quia de ratione Filij eſt, vt accipiat naturam à Patre cum virtute, quam habet Pater, eam alteri communicandi, quam cum accipiat Verbum in ordine ad Spiritum Sanctum, & non accipiat Spiritus Sanctus, cum poteſtate eam communicandi alteri perſonæ Diuinæ, propterea Verbum dicitur Filius, & eius proceſſio generatio, non verò illa Spiritus Sancti.

Secundus modus eſt S. Thom. 1. par. quæſt. 27. artic. 4. dicentis Proceſſionem Verbi eſſe generationem, non verò proceſſionem Spiritus Sancti, quia ex vi illius procedit Verbum per modum ſimilitudinis. At Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis non procedit per modum ſimilitudinis, ſed per modum impulſus, inclinationis, & amoris. Hoc diſcrimen colligit S. Doctor ex modo operandi noſtri intellectus, & noſtræ voluntatis.

Tertius modus eſt Scoti in 1. diſtinct. 17. docentis has Proceſſiones ſeipſis differre; atque adeo Proceſſionem Verbi Diuini ſe ipſa formaliter, & ex natura ſua eſſe generationem; proceſſionem vero Spiritus Sancti ſe ipſa, & natura ſua non eſſe generationem; ſed ab ea diſtingui.

Quartus eſt Caietani in Com. prædicti artic. S. Thom. explicantis eius rationem ſic: Verbum generatur, & eſt Filius, non verò Spiritus Sanctus, quia Proceſſio Verbi eſt per intellectum, quod autem procedit per intellectum ex vi ſuæ proceſſionis procedit ſimile principio producendi; at verò Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, & quod per illam procedit, non producitur ſimile principio producendi: & ſic exponit particulam illam *ex vi ſuæ proceſſionis*, quam exiſtimat eſſe addendam definitioni generationis.

Quintus eſt Canarienſis in Expoſitione artic. 2. quæſt. 27. par. 4. quem poſtea ſequutus eſt Vaſquez tom.

Digitized by Google

tom. 2. diſput. 113. cap. 7. Hi contendunt aduerſus doctrinam S. Thom. & Caietani Spiritum Sanctum ex vi ſuæ proceſſionis non minus procedere ſimilem in natura Patri, & Filio, à quibus procedit, quam procedat Filius ex vi illius ſimilis Patri; ac proinde ex hoc capite non rectè aſſignari differentiam inter proceſſiones illas; ſed eſſe deſumendam ex eo, quod Verbum ex vi ſuæ proceſſionis procedit, vt imago ſui principij, non verò Spiritus Sanctus; & ideò particularem illam *in ſimilitudinem naturæ* eſſe explicandam non de ſimilitudine, quæ prouenit ex vnitate naturæ, ſed de ſimilitudine, quæ eſt imago; procedere verò, vt imaginem nihil aliud eſt, quam procedere ad repræſentandum ſuum principium, eo quod de ratione Filij, vt Filij, eſt, vt ex vi ſuæ proceſſionis ſit imago Patris. Ac propterea aliquem magis, vel minus dici Filium ſui Patris, quo magis illum repræſentat, & quandoque aliquem dici non eſſe Filium ſui Patris, eo quod illum non repræſentat.

Alios explicandi modos tam SS. PP., quam Scholaſticorum adducit idem Vaſquez, & explicat, ac reijcit in præcitata diſputatione à cap. 3. vſque ad 6. incluſiuè, quos modò non vacat tranſcribere: prædicti enim hac tempeſtate ſunt plauſibiliores inter Scholaſticos, iuxta diuerſitatem Scholarum. Quibus poſitis.

Dico optimam rationem explicandi hanc difficultatem eſſe eam, quam tradit S P.N. lib. 9. de Trinit. cap. 12. vbi ſic eam proponit. *Cur non Spiritus quoque Sanctus à Patre Deo genitus, vel creditur, vel intelligitur, vt Filius etiam ipſe dicatur?* Et quæſtionem ſoluit ex principijs communibus notitiæ, & amoris ſic. *Notitia paritur à cognoſcente, & cognito. Itaque mens, cum ſe ipſam cognoſcit, ſola parens eſt notitiæ ſuæ, &c. Cur non etiam cum ſe amat? erat enim amabilis ſibi, & antequam ſe amaret, ſicut erat ſibi noſcibilis, ſed ideò non rectè dicitur genitus amor, ſicut notitia: quia notitia iam inuentum eſt, quod partum, vel repertum dicitur. Quæ autem reperiuntur, quaſi pariuntur. Vnde quaſi proli ſimilia ſunt: vbi, niſi in ipſa notitia? Ibi enim expreſſa formantur.* Hæc ratio S. P. non placet Vaſquez, ac propterea illam reijcit loco citato cap. 3. §. *Deinde* lib. 9. de Trinit. cap. 12. eamque infirmam vocat propter duo. Primo, quia in Deo intellectus fertur in rem intellectam non minus ſine inquiſitione, & labore veluti parturiendi, quam voluntas

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

luntas in rem dilectam. Secundo, quia licet in nobis verbum mentis appelletur conceptus, & partus, metaphoricè tamen ſic dicitur. Vnde ſi ob eandem rationem Verbo Diuino ratio geniti tribueretur; metaphoricè, & per quamdam appropriationem ei conueniret, quod eſt abſurdum. His tamen non obſtantibus; ratio S.P. rectè intellecta, & iuxta germanum eius ſenſum explicata, inconcuſſa manebit.

Pro quo ſciendum eſt, apud S.P. Sapientiam Dei, ſiue actualem eius intellectionem eſſe de primario, & formali conſtitutiuo ipſius; propterea in lib. 6. de Trinit. cap. 10. dixit. *Primus, & ſummus intellectus, cui non eſt aliud viuere, & aliud intelligere, ſed id, quod eſt intelligere, hoc viuere, hoc eſſe eſt vnum omnia.* Et pariter lib. 7. de Trinitate cap. 7. *Deo hoc eſt eſſe, quod ſapientem eſſe, hoc autem eſt ſapientem eſſe, quod intelligere.* De quo iam ſupra egi Controuerſia decima, quæ eſt de intellectione, & Scientia Dei, Dubio primo. Ex quò principio cum non detur in Deo vita, ſeu intellectus per modum actus primi, ſeu potentiæ, ſiue radicis, ſequitur radicem virtualem actualis amoris, & cæterorum attributorum eſſe ipſam actualem intellectionem, ac proindè amorem, & reliqua attributa eſſe veluti proprietates conſequentes ipſam actualem intellectionem, quæ eſt metaphyſicum, & formale conſtitutiuum diuinæ naturæ. Sic ergo ad mentem S.P. eſt explicanda doctrina ipſius, reiecta à Vaſquez; vt ratio, propter quam productio ſecundæ Perſonæ eſt generatio, non verò productio Spiritus Sancti, ſit, quia productio per intellectionem per ſe terminatur ad perſonam ſimilem in natura Diuina, quia talis perſona procedit per intelligere, & intellectio eſt vltimum conſtitutiuum naturæ Diuinæ; non ſic Spiritus ſanctus, qui procedit per volitionem, & volitio eſt quædam quaſi proprietas conſequens diuinam eſſentiam: propterea S.P. in prædicto loco non facit vim in mente, ſeu intellectu per modum potentiæ, ſed in ipſa actuali notitia, ſiue intellectione. Vbi acutè ait: *Quod ergo cognoſcit ſe, parem notitiam ſui gignit; quia non minus ſe nouit, quam eſt, nec alterius eſſentiæ eſt notitia eius, non ſolum quia ipſam nouit, ſed etiam quia ſe ipſam, ſicut ſupra diximus.* Vbi aduerte illa verba *non minus ſe nouit, quam eſt*. Et illa, *nec alterius eſſentiæ eſt notitia eius*. Poſteà explicans quare amor productus non ſit Filius, ſubdit ſtatim. *Quid ergo de amore dicendum eſt,*

eſt, cur non etiam cum ſe amat, ipſum quoque amorem ſui genuiſſe videatur? Et reddit rationem ſupra allatam, dicendo. *In eo quidem manifeſtè oſtenditur hoc amoris eſſe principium, vnde procedit: ab ipſa quippe mente procedit, quæ ſibi eſt amabilis, antequam ſe amet: atque ita principium eſt amoris ſui, quo ſe amat.* Eſt ergo actualis notitia eſſentia illa, ad quam, velut ad radicem, conſequitur amor. Nec te moueat, quod hic mentem nominet, quæ videtur ſonare potentiam; nam familiare eſt PP., & Scholaſticis, etiam ijs, qui tenent intellectionem eſſe de formali conſtitutiuo Dei, explicata ſua ſententia, vti verbis intellectus, & mentis, pro quibus iam venit in Deo ipſa actualis intellectio, & cognitio, & tanto magis in præſenti loco S.P. cum immediatè ante, proponendo iterum prædictam quæſtionem, ſe explicet de actuali cognitione; ait enim: *Cur itaque amando ſe, non genuiſſe dicatur amorem ſuum, ſicut cognoſcendo ſe, genuit notitiam ſuam.* Et vt hoc clarius innoteſcat; aduerte, quod hanc doctrinam ſuperius explicauerat clariſſimè, ad quam ſe refert illis verbis, *ſicut ſupra diximus.* Hoc autem præſtitit lib.7. cap. 1. verſus finem, vbi ait, *Quid aliud dicimus, cum dicimus. Hoc illi eſt eſſe, quod ſapere, niſi eo eſt, quo ſapiens eſt. Ergo & Pater ipſa ſapientia eſt; & ita dicitur Filius ſapientia Patris, quomodo lumen Patris, &c. ideſt vtrumque vnum lumen, & vna ſapientia: ergo & vna eſſentia, quia hoc eſt ibi eſſe, quod ſapere. Quod enim eſt ſapientiæ ſapere, &c. hoc eſt eſſentiæ ipſum eſſe. Et quia in illa ſimplicitate non eſt aliud ſapere, quam eſſe: eadem ibi ſapientia eſt, quæ eſſentia.* Cap. 2. *Eo Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius, & non eo verbum, quo ſapientia, &c. ſapientia verò eo, quo eſſentia, &c. Id dici accipiamus, cum dicitur verbum, ac ſi dicatur nata ſapientia, &c. In vno eorum, quod nata eſt, & Verbum, & imago, & Filius intelligatur, &c. At in altero, quod ſapientia, etiam eſſentia demonſtretur. Et hoc eius eſſe, quod ſapere, &c. non hoc eſſe, quod verbum eſſe.* Quot verba, tot myſteria! nec clarius, nec ſolidius profectò explicari potuit, qualiter, & ipſa ſapientia ſit formale conſtitutiuum eſſentiæ Diuinæ, & quomodo Filius procedendo Sapientia genita ex ſapientia ingenita, habeat rationem geniti, & ſit procedens viuens à viuente, ideſt ſapiens à ſapiente in ſimilitudinem naturæ, & eſſentiæ, ideſt illius ſapientiæ, quæ eſt

eius

eius eſſentia. Altior eſt ergo ſenſus S.P., quam ille, quem tribuit illi Vaſquez loco citato. Nec eſt illa ratio infirma; quæ validior cæteris demonſtratur: Quam propterea, vt talem docuit etiam Angelicus Doctor 1.par. quæſt.27.artic. 2. in Corp. Vbi ait ideò proceſſionem Verbi eſſe generationem, non verò proceſſionem Spiritus ſancti, quia ex vi proceſſionis communicatur Verbo natura diuina directè, ſeu intelligere diuinum: *quia in Deo idem eſt eſſe, & intelligere*. Et hoc idem repetit ibi in reſponſione ad ſecundum; & hæc profectò eſt germaniſſima ſententia ſancti Thomæ, & iuxta tradita in dicto articulo ſunt accipienda ea, quæ docet poſtea in articulo quarto eiuſdem quæſtionis, cum ait Proceſſionem Verbi eſſe generationem, quia ex vi eius procedit Verbum per modum ſimilitudinis, non verò Spiritus ſanctus, qui procedit per modum impulſus.

Hanc eandem ſententiam amplexi ſunt Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 5. Alexander Peſantius in 1. par. ad quæſt.27. S. Thom. Diſput. 1. ad artic. 4., & nouiſſimè Ludouicus Caſpenſis tom.1. Tract.de Trinit.Diſput.1.num.87., & plures alij recentiores.

Ex dictis ſic formari poteſt ratio cardinalis ad probandum intentum. Generatio eſt proceſſio, per quam communicatur eſſentia, & natura, vt talis eſt, ex Ariſt. lib. 2. Phy. text. 14. Sed Verbo diuino ex vi proceſſionis communicatur formaliter intellectio diuina actualis, quæ noſtro modo intelligendi eſt eſſentia diuina, & Spiritui Sancto ex vi proceſſionis, ſiue formaliter ſolum communicatur volitio diuina, quæ eſt quid conſequens diuinam eſſentiam; ergo ſola proceſſio Verbi eſt generatio, non verò proceſſio Spiritus ſancti.

Secundo probari poteſt ex ſufficienti refutatione aliarum rationum, & probationum. Prima enim, quæ eſt Richardi, communiter reijcitur, quia contra communem ſenſum Doctorum addit definitioni generationis aliquid, tanquam eſſentiale requiſitum, quod re vera tale non eſt. Nam in creatis verè eſt filius ille homo, qui naſcitur omninò impotens ad communicandum alteri naturam ſpecificam. Præterea ratio illa, quæ pro hac ſententia adducitur, nimis probat, ac proindè nihil probat: probat enim Filium debere procedere à Patre cum virtute communicandi naturam per generationem; vnde Verbum Diuinum quod de facto non habet potentiam ad generandum ſicuti habet Pater, non eſſet Filius.

Secun-

Secunda explicatio S. Thomæ, iam ex dictis eluceſcit eſſe cæteris meliorem.

Tertia, quæ eſt Scoti, non eſt ſufficiens ad ſoluendam difficultatem; quia non procedit quæſtio de diſtinctione reali perſonarum, ſed de earum diſtinctione formali, ſiue quaſi ſpecifica; & quæritur ratio, ob quam vna ſit generatio, altera non; in quo Scotus ſupponit id, quod eſt probandum.

Quarta probatio, quæ eſt Caietani reijcitur à pluribus, ex eo, quod additur definitioni generationis illa particula, *ex vi proceſſionis*. Cum tamen in Scholis Philoſophorum, & Theologorum fuerit ab initio accepta ſine tali additione; vnde ſi concedatur pro libito variare definitiones, quæ ſunt potiſſima media argumentorum, & demonſtrationum, nihil erit firmum in ſcientiis; ſed quidquid ſit de hoc. Si Caietani ratio non reducatur ad explicationem S. Thom. non probat intentum, eo quod intellectio, vt intellectio non habet producere ſimile in natura, vt eſt clarum in intellectione creata, per quam producitur ſolum aliquid ſimile in repræſentando; quod idem dico de explicatione noſtri Ferrarienſis, qui in lib. 4. contra Gentes cap. 11. ait: Verbum diuinum habere, quod procedat ſimile in natura, quia procedit per intellectionem, non tantum diuinam, ſed etiam perfectiſſimam; quod non habet locum in ſpiritu Sancto, qui procedit per actum perfectiſſimum voluntatis. Non ſatisfacit inquam, quia ſi ſemel præſcindas intellectionem à creata, & increata, iam præſcinditur ab eo, quod ſit formaliter natura Diuina; ac proindè ab eo, quod procedens per eam ſit ſimile in natura, & ſolum manet ſimilitudo intentionalis. Niſi fortè dicas præciſionem hanc non eſſe perfectam, ſed imperfectam, quæ proindè includit confusè & eam, quæ eſt formaliter ſubſtantialis, & conſtitutiuum Diuinæ Naturæ, & creatam, quæ eſt accidentalis; qua explicatione data abſque dubio coincideret cum illa D. P. Auguſtini, & S. Thom. quam ſequimur, vt ſupra explicatum eſt, & ſolum quo ad modum dicendi eſſet differentia.

Quinta explicatio, quæ eſt Canarienſis, & Vaſquez reijcitur propter multa; primò, quia Filius non eſt Filius, quia imago, ſed è contra eſt imago, quia Filius, & in hoc ſenſu S. Thom. lib. 4. contra Gentes cap. 11. probat Verbum eſſe imaginem, quia procedit ſecundum rationem ſimilitudinis. Secundo, quia ſumi-

tur illa ratio ex principio minus certo; nam certius, & notius eſt abſque dubio Spiritum Sanctum non eſſe Filium, quam non eſſe imaginem. Tertio, quia ratio imaginis poteſt ſtare, ſine ratione filiationis; nam ratio Verbi, vt ſic, habet rationem imaginis, & non habet rationem Filij; alias quodcumque Verbum creatum, & quæcumque noſtra intellectio haberet rationem filij, & veræ generationis, quod tamen eſt falſiſſimum. Etenim ratio imaginis in communi diuiditur in intentionalem, & naturalem, & ad filiationem veram non ſufficit quæcumque, ſed requiritur naturalis, quæ conſequitur ad veram, & realem generationem; vnde à primo ad vltimum, hæc ſemper eſt quid poſterius, & conſequens, ac proindè non poteſt eſſe ratio à priori differentiæ inter generationem Diuinam, & Proceſſionem.

Ex prædictis patet reſponſio ad obiecta, relata in præmiſſa ad hanc difficultatem pro ratione dubitandi. Cum enim intellectio Diuina ſit formale conſtitutiuum Diuinæ naturæ; iam in proceſſione Verbi Diuini non communicatur ſolum identicè, ſed etiam formaliter ipſa Diuina natura, cum communicetur formaliter ex vi proceſſionis diuinæ ipſa diuina intellectio, quæ eſt formaliſſimè ipſa vita diuina, & Diuina natura: ac propterea non eſt ſolum ibi communicatio ſimilitudinis intentionalis, ſed etiam naturalis; vnde non dicimus eſſe generationem ex eo præcisè, quod ſit ſubſtantia quocumque modo accepta, ſed ex eo, quod ſit talis ſubſtantia, quæ ſit formaliter ipſa natura Diuina, & ſic non eſt ſolum communicatio ſimilis in eſſe repræſentatiuo ſubſtantiali; ſed etiam in eſſe naturæ. Vndè eſto in Patre intellectio Diuina non ſit formaliter ſimilitudo in natura (vt opponitur in tertia replica), quia vt eſt in Patre, præcisè non eſt diſtinctio realis, quæ requiritur eſſentialiter ad veram, realem, & naturalem ſimilitudinem; eſt tamen in eo formaliter ipſa natura Diuina, quæ eſt fundamentum ſufficiens ad hoc, vt producta ſecunda perſona, cui communicatur eadem natura, detur naturalis ſimilitudo.

Ad poſtremam inſtantiam Reſp. veriſſimum eſſe, ſimilitudinem intentionalem, & ſimilitudinem in natura eſſe diuerſæ rationis, &c. Sed negamus ſimilitudinem Filij cum Patre in intellectione Diuina eſſe ſolummodo ſimilitudinem intentionalem, & dicimus habere etiam rationem ſimi-

ſimilitudinis naturalis, vt patet ex dictis. Nam licet in creatis ſint diſiunctæ rationes iſtæ, nihilominus in Diuinis ſunt identificatæ, quod non prouenit ex eo, quod ſimilitudo intentionalis creſcat intra ſuam lineam; ſed ex eo, quod eſt intellectio Diuina, quæ ſicut habet eſſe in Deo independentis ſubſtantiæ, &c. habet etiam eſſe formaliter naturæ Dei, vt potè quæ eſt vita ipſius. Quæ non habet in creaturis. Et hæc de difficultate obſcuriſſima indicaſſe. Satis.

Digitized by Google

CONTROVERSIA SECVNDA.

De Relationibus Diuinis.

AXIOMA PRIMVM.

Dantur in Deo Relationes.

Ex Lib. 5. de Trinit. Cap. 5.

IN Deo autem nihil quidem ſecundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile eſt; nec tamen omne, quod dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid; ſicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, quod non eſt accidens, quia & ille ſemper Pater, & ille ſemper Filius. Et non ita ſemper, quaſi ex quo natus eſt Filius, vt ex eo, quod nunquam deſinat eſſe Filius, Pater non deſinat eſſe Pater, ſed ex eo, quod ſemper natus eſt Filius, nec cæpit vnquam eſſe Filius. Quod ſi aliquando eſſe cæpiſſet, aut aliquando eſſe deſineret Filius; ſecundum accidens diceretur. Si verò quod dicitur Pater, ad ſe ipſum diceretur, non ad Filium, & quod dicitur Filius, ad ſeipſum diceretur; non ad Patrem, ſecundum ſubſtantiam diceretur, & ille Pater, & ille Filius; ſed quia & Pater non dicitur Pater, niſi ex eo, quod eſt ei Filius, & Filius non dicitur niſi ex eo, quod habet Patrem, non ſecundum ſubſtantiam hac dicuntur, quia non quiſque eorum ad ſe ipſum, ſed ad inuicem, atque ad alterutrum

rutrum

Digitized by Google

rutrum iſta dicuntur; neque ſecundum accidens, quia, & quod dicitur Pater, & quod dicitur Filius, æternum, atque immutabile eſt eis. Quamobrem quamuis diuerſum ſit Patrem eſſe, & Filium eſſe, non eſt tamen diuerſa ſubſtantia, quia hæc non ſecundum ſubſtantiam dicuntur, ſed ſecundum relatiuum, quod tamen relatiuum non eſt accidens, quia non eſt mutabile.

DVBIVM I.

An, & quomodo dentur in Deo Relationes reales.

PRæmitto id, quod in Logica indicaui Cap.8. de Relatione; ideſt eam in communi, & præcisè conſideratam nihil aliud eſſe, quam abſolutum quid prout connotat terminum; v. g. ſimilitudinem nihil aliud eſſe, quam hanc albedinem connotantem aliam: quæ ſententia hodie eſt communior in Scholis, &, vt docent etiam AA. Scholæ oppoſitæ, refelli non poteſt; cum quo rectè cohæret eſſe aliquid reale; non quidem ſuperadditum, ſed identicum cum extremis, quia intimè includit fundamentum proximum, quod eſt reale, & ſi ſit mutua (vt in mea ſententia eſt omnis relatio realis, propter ibi dicta) includit etiam terminum; non ſub ratione termini, ſed ſub ratione alterius fundamenti, eſſentialiter requiſiti ad relationem mutuam. Quo poſito, tres ſunt in hoc puncto ſententiæ oppoſitæ.

Prima eſt Gabriellis in 1. diſtinct.30, quæſt.4. concluſ. 5. vbi docet poſſe dari viam negandi relationes reales etiam in Diuinis, ponendo perſonas conſtitui proprietatibus abſolutis; quod aliqui dicunt à Scoto reputari non eſſe erroneum.

Secunda eſt Capreoli in 1. diſtinct.33. quæſt. 1. artic. 3. ad 1. ac 3. Aureoli contra 3. vbi eſtò fateatur in Diuinis eſſe relationes reales, nihilominus vult eſſe reales, non ſub conceptu relationis, ſed quatenus ſunt idem cum eſſentia. Quapropter ait aliundè haberi diſtinctionem perſonarum, aliundè quod illa diſtinctio ſit realis, primum à relatione, vt relatio eſt, ſecundum à relatione

in quantum eſt res, ideſt quatenus eſt Diuina eſſentia. Cum eo videntur concordare Moderni illi, qui docent relationem ſecundum eſſe *ad* non eſſe quid reale, ſed ſolum ſecundum eſſe *in*.

Tertia ſententia, quæ eſt communior in Scholis, quam tradit. & probat Vaſquez tom. 2. Diſput. 114. cap. 2. eſt Relationes Diuinas non ſolum quoad eſſe *in*, ſed etiam quoad eſſe *ad* eſſe reuera aliquid reale. Propterea,

Dico 1. eſſe ponendas in Deo relationes reales, vt docet S.P.N. Auguſtinus in Axiomate, & alibi, & Diu. Thom. quæſt. 8. de Potentia artic. 1. vbi docet, ſic dicendum eſſe iuxta principia Fidei. Vnde plures recentiores cenſura notant eam ſententiam, quæ tenet Perſonas conſtitui proprietatibus abſolutis, vti temerariam, & minimè concordem cum principijs S. Fidei, partim etiam vt hæreticam. Probatur noſtra concluſio. Quia in ipſa Sacra Scriptura vna Perſona dicitur Pater, alia Filius, & verus Filius: ergo per veram paternitatem, & per veram filiationem; ergo etiam per veram relationem.

Probatur 2. Auctoritate Concilij Toletani XI. in Confeſſione Fidei, & Florent. ſeſs. 18. & 19. vbi expreſsè fit mentio de relationibus Diuinis. Aliqui coaceruant alias auctoritates Conciliorum, quarum tamen plures ſolum faciunt mentionem proprietatum perſonalium, non definiendo vtrum ſint relatiuæ,

Probatur 3. Auctoritate S. Patris loco citato in Axiomate, & cap. 5. eiuſdem lib. 5. de Trinitate, vbi ait. *Nam ſi eſſe ad ſe dicitur, perſona verò relatiuè, ſic dicamus tres perſonas Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quemadmodum dicuntur aliqui tres amici, aut tres propinqui, aut tres vicini, qui ſint ad inuicem, non quod vnuſquiſque ſit ad ſe ipſum.*

Probatur 4. ratione ſic. Perſonæ non poſſunt ad inuicem diſtingui per aliquid abſolutum; eo quod omne abſolutum adæquatè identificatur cum eſſentia, & ſic reperitur in quocumque reperitur eſſentia; ergo debent diſtingui per aliquid relatiuum; & cum diſtinctio ſit realis, non verò ſolius rationis (vt volebat Sabellius) etiam relationes debent eſſe reales.

Dico 2. Relationes Diuinas eſſe reales, non ſolum ratione eſſentiæ, ſed etiam quatenus ab ea diſtinguuntur aliquo modo, & ſecundum proprium conceptum relationis. Hæc aſſertio eſt contra

tra Capreolum docentem oppoſitum. Probatur verò efficaciter. Primo, quia Pater, vt Pater eſt, (quod idem ſeruata proportione alijs perſonis eſt applicandum) conſtituitur in eſſe perſonæ ab alijs diſtinctæ per paternitatem realiter: ergo paternitas vt ſic eſt realis. Antecedens apud omnes eſt certum. Conſequentia probatur, quia non poteſt eſſe aliquid realiter diſtinctum, niſi per formam realiter diſtinguentem; Hæc forma non poteſt eſſe abſoluta; cum hæc ſit communis omnibus: ergo relatiua.

Probatur 2. Quia Pater eſt Pater, non ſolum per intellectum, ſed verè, & realiter eſt Pater; ſed non eſt realiter talis ratione eſſentiæ tantum; ergo ratione relationis realis vt ſic. Probatur minor, quia alias Pater nihil haberet realiter, quod non haberet Filius, & ſic non diſtingueretur ab eo realiter, &c. Quo ſenſu memini S. Gregorium Nazianzenum ſcripſiſſe: *Pater omnia dedit Filio; præter eſſe Patris*.

Dices 1. pro Gabrielle. Deus dicitur, & realiter eſt Creator per hoc, quod realiter producit creaturam, quin in ſe habeat relationem realem; ergo etiam prima perſona poterit dici realiter Pater, eo quod realiter ab ipſa Verbum procedat; & prima, & ſecunda poterunt dici ſpirator per ſolam realem proceſſionem Spiritus Sancti, abſque eo, quod ſit in eis relatio realis ſpirationis; ergo nulla eſt neceſſitas ponendi relationes reales, poſitis perſonis conſtitutis proprietatibus abſolutis. *Reſp.* negando antecedens: vt enim dixi in Philoſophia rationali cap. 8. de ad aliquid pag. 299. Cum Philoſoph. doceat ad relationem non dari motum per ſe, & conſequenter poſſe aduenire, & recedere, nulla facta mutatione intrinſeca in eo, quod dicitur de nouo referri; nullum erit inconueniens, ſi dicatur in Deo dari relationes reales ad creaturas; quia poſito, quod relatio virtualiter ſolum, ſiuè ratione ratiocinata ſolum diſtinguatur à fundamento, nulla ſequitur in ipſo Deo intrinſeca mutatio, &c. habes ibi hoc totum fusè explicatum auctoritate S. P. Auguſtini pag. 301. à §. *Dico* 5. Quod non vacat modo hic tranſcribere. Quo poſito, conſequenter negatur etiam conſequentia. Nam iuxta mea Principia eſt omninò impoſſibile aliquem producere alterum, quin referatur ad illum, & vice verſa, & hoc eo magis, quod ipſa realis productio, ſeu actio eſt formaliſſimè, & eſſentialiter relatio, quod explicaui ibi pag. 358. vbi de Actione, & Paſ-

Paſſione ex mente Sancti Patris.

Dices 2. cum Capreolo. Deus eſt ſubſtantialiter ſapiens; ſed hoc non habet vel à ſapientia vt ſic, vel ab eſſentia ſua vt ſic, ſed ab illa vt ſit ſapiens, ab hac verò vt ſit ſubſtantialiter, ſeu eſſentialiter ſapiens; ergo etiam relationes in Deo ſunt reales, non ſub conceptu relationis, ſed quatenus ſunt idem cum eſſentia; & conſequenter, ait ille, aliundè eſt deſumenda diſtinctio perſonarum; & aliundè quod illa diſtinctio ſit realis: primum enim habetur à relatione, vt relatio eſt, ſecundum verò à relatione, quatenus res eſt, ideſt quatenus eſt ipſa Diuina eſſentia. Reſp. Capreolum ibi falli æquiuocatione illius vocis ſubſtantialiter; nam ſi idem ſit, ac eſſentialiter, non omne id, quod dicitur, & identificatur cum Deo, dicitur dé Deo eſſentialiter formaliter: licet enim verum ſit intellectionem, ac proindè ſapientiam eſſe formaliter ipſum formale conſtitutiuum Dei, etiam noſtro modo concipiendi, propter rationes adductas in Controuerſia de Scientia Dei dubio primo, & in præcedenti Controuerſia; nihilominus rationes illæ, quæ conſequuntur ad ipſam, cum noſtro modo concipiendi concipiantur vt proprietates, quæ propterea attributa dicuntur, iam non dicuntur eſſentialiter, cum iam in noſtro conceptu contradiſtinguantur ab ipſa eſſentia: ſi vero ly ſubſtantialiter ſit idem, ac non accidentaliter, verum quidem eſt Deum eſſe amantem, iuſtum, miſericordem, &c. per rationes illas attributales, quæ non ſunt accidentia, ſed ſunt rationes ſubſtantiales; nullum enim accidens phyſicum habet locum in Deo; & ſic negatur conſequentia.

Dices 3. pro eodem.S.Thomas in pr.diſtinct.26.quæſt.1.ar.2.ad 3. ait, relationem ex hoc, quod eſt ad alterum, non habere, vt ſit res quædam, ſed ſecundum quod habet fundamentum in eo, quod refertur. Et præterea in 1. par. quæſt. 28. artic. 1. docet relationem vt ſic non eſſe realem, ſed abſtrahere à reali, & rationis; ergo etiam relationes Diuinæ habent eſſe reale, quatenus ſunt Diuinæ, ideſt quatenus ſunt idem cum Diuina eſſentia. Reſp. S.Thom. ibi docere relationem eſſe realem ratione fundamenti radicaliter, non formaliter; cum enim relatio in ſuo ampliſſimo conceptu abſtrahat à relatione reali, & relatione rationis, radix realitatis realium eſt fundamentum reale; eſſo ſe ipſa, & ex proprio conceptu ſit realis formaliter;

Digitized by Google

ter; ſic etiam cum in 1. par. ſcripſit rationem *ad* non eſſe realem, loquitur de *ad* communi ad relationem realem, & relationem rationis, nam alias contendit tale *ad*, quod eſt de prædicamento relationis, ſiue de conceptu formali relationis realis, quæcumque illa ſit, non ſolum ratione fundamenti, ſed etiam ſecundum ſe eſſe reale: ait enim expreſsè in dicto articulo; quando aliquid procedit à principio eiuſdem naturæ, neceſsè eſt, vt procedens, & id, à quo procedit ſint eiuſdem ordinis, & conſequenter, quod habeant reales reſpectus ad inuicem.

AXIOMA SECVNDVM.

De Identitate, & diſtinctione relationum Diuinarum cum, & ab eſſentia Diuina.

Ex Lib. 3. contra Maximinum Arrianorum Epiſc. Cap. 10.

SI ergo in vna Patris perſona & plura inuenis, ſed partes non inuenis; quanto magis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus & propter indiuiduam Deitatem vnus Deus eſt, & propter vniuſcuiuſque proprietatem tres Perſonæ ſunt, & propter ſingulorum perfectionem partes vnius Dei non ſunt? Virtus eſt Pater, virtus eſt Filius, virtus & Spiritus Sanctus. Hoc verum dicis, ſed quod virtutem de virtute genitam, & virtutem de virtute procedentem non vis eamdem habere naturam: hoc falſum dicis, hoc contra Fidem Catholicam, & rectam dicis.

DVBIVM II.

Quomodo Eſſentia, & relationes diſtinguantur in Deo.

PRæmitto primo, notiſſimum eſſe, Gilbertum Porrectanum, vt referunt S. Thom. 1. parte quæſt.28. artic.2. Alenſis 1. par. quæſt.69. memb.5. S. Bonauentura in 1.diſtinct.33. quæſt.1. prius docuiſſe relationes Diuinas eſſe ſolummodo aſſiſtentes Diuinæ eſſentiæ, & extrinſecus affixas, ac proindè ab illa realiter diſtinctas. Fundamentum huius erroris fuit principium illud metaphyſicum: *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*; quod videbatur Porrectano, ſine reali diſtinctione relationum ab eſſentia, non poſſe conſiſtere. Hunc errorem retractauit poſtea ipſe Gilbertus; Et damnauit Concilium Rhemenſe, cui S. Bernardus interfuit, vt refert idem met S. Bernardus ſerm.80. in Cantic. Qui de eodem Gilberto loquens, ſic ait: *Quippe qui in eodem conuentu ſententiæ Epiſcoporum humiliter acquieſcens, tam hæc, quam cætera, digna reprehenſione inuenta, proprio ore damnauit.* De hoc puncto conſule Gabrielem Vaſquez, qui tom.2. diſput. 120. cap. 1. narrat per extenſum, quid Gilbertus ſenſerit, & in quibus excuſandus ſit: quid, & quomodo ab Epiſcopis Prouinciarum cum S. Bernardo priuatim definitum fuerit; ac etiam quare poſtea ab Eugenio III. & à Cardinalibus non fuerit recepta tota illa definitio Epiſcoporum, & Sancti Bernardi; cur non habeatur in codicibus Conciliorum Romæ Impreſſis, & denique quomodo diſcipuli Gilberti poſtea dixerunt eſſentiam Diuinam ſola ratione diſtingui à relationibus Diuinis. Ibi plura de hoc puncto ſcitu digna, reperies.

Præmitto 2. non multum diſtare ab errore, qui tribuitur Gilberto, errorem, quem in Doctrina Abbatis Ioachim damnauit poſtea Concilium Lateranenſe; habitum ſub Innocentio III. & refertur in Capite *Damnamus* de ſumma Trinitate & fide Catholica. Imputauit enim Abbas Ioachim Magiſtro ſententiarum, quod erroneè aſſeruiſſet in Deo eſſe quaternitatem, tres ſcilicet per-

perſonas realiter diſtinctas ab vna eſſentia. Hoc erat illatum ab Abbate ex eo, quod Magiſter ſent. docet in Diuinis: Pater generat, eſſentia non generat; Filius generatur, ſed eſſentia non generatur; ex quo arguebat Ioachim. Si eſſentia non generat, nec generatur, & Pater generat, & Filius generatur; & præterea eſſentia Diuina eſt quædam ſumma res; ergo eſt quædam res, quæ non eſt Pater, nec Filius, & ita erit quaternitas. Ipſe Ioachimus, vt vitaret hoc abſurdum (quod falsò putabat ſequi per neceſſariam conſequentiam ex doctrina Magiſtri) incidit in aliud non minus deteſtabile: dicebat enim, in Deo eſſe tres perſonas, non vnitate eſſentiæ, ſed vnitate collectiua: ex quo tres Deos videbatur aſſerere. Vtrumque autem ibi damnauit Concilium, nempè, & quod ipſe aſſerebat, & quod Magiſtro imputabat; & ab hac nota Magiſtrum vindicauit. His erroribus excluſis, Duæ manent Catholicorum DD. ſententiæ examinandæ.

Prima eſt Scoti in 1. diſtinct. 2. quæſt. 4. §. *Sed hic*, &c. admittentis ibi diſtinctionem formalem à parte rei. Quem ſequuntur Lichetus ibi, & Gabriel in pr. diſtinct. 2. quæſt. 1. artic. 1. Occam, quæſt. 1. Durandus diſtinct. 5. quæſt. 1. vbi ait oppoſitum eſſe impoſſibile; & diſtinct. 23. quæſt. 4. ait, contra ſentientes incidere in hæreſim Sabellij. Hi cum Scoto ſentiunt relationes Diuinas paternitatis, filiationis, & ſpirationis, tam actiuè, quam paſſiuè diſtingui ante omnem operationem intellectus, & ſic ex natura rei; non audet tamen Scotus ibi illam appellare diſtinctionem realem actualem, vt rei à re, aut etiam formalem, vt generis à differentia, ne ponat ibi compoſitionem; ſed appellat non identitatem formalem ex natura rei. Durandus locis citatis appellat hanc diſtinctionem rei, ac modi.

Secunda ſententia eſt S. Thom. in 1. par. quæſt. 28. artic. 2. & communis inter Thomiſtas, Henrici quodlib. 5. quæſt. 6. Aureoli in 1. diſtinct. 33. aſſerentium ſola ratione differre. Aliqui loquuntur de diſtinctione rationis ratiocinantis, alij cum S. Thom. de diſtinctione rationis ratiocinatæ. De huiuſmodi diſtinctionibus explicaui quid ſentiam in Axiomatibus Metaphyſicis cap. 8. vbi de diuiſionibus entis à pag. 175. propterea ibi dicta non repeto; ſed ad illa me remitto. Quibus poſitis.

Dico primo: Relationes prædictas non diſtingui ab eſſentia realiter, ſiue, vt res à re. Hæc aſſertio

tio eſt de fide, nam Cap. *Damnamus* definitur, non eſſe in Deo quaternitatem, ſed trinitatem, quia quælibet perſona eſt illa res, nempè eſſentia, ſubſtantia, ſiue natura Diuina. Et in Capite *firmiter* definitur, illam naturam eſſe omninò ſimplicem. Quæ definitiones ſtare non poſſent, ſi natura Diuina diſtingueretur realiter ab ipſis relationibus.

Probatur 2. ratione. Quia alias daretur in Deo compoſitio ex actu, & potentia, vel aggregatum per accidens; quorum vtrumque repugnat Deo. Primum quidem ratione Diuinæ ſimplicitatis; ſecundum verò ratione ſummæ, primæ, & Diuinæ vnitatis.

Probatur tertio, quia alias eſſentia Diuina non eſſet infinita ſimpliciter in ratione entis, quod illi repugnat. Hoc patet, quia non identificaret ſibi rationes relatiuas, & hoc eſt, quod docet S.P. Auguſtinus in Axiomate, cum ait: *Quanto magis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & propter indiuiduam Deitatem vnus Deus eſt*.

Dico 2. prædictas relationes Diuinas, nec etiam ex natura rei formaliter diſtingui, ita vt præcedat actualis diſtinctio. Hæc particula ponitur propter eos, qui aſſerunt, Scotum non admittere talem diſtinctionem, ſed docere eamdem realitatem eſſe fundamentum, vt intellectus concipiat relationem, & eſſentiam diuerſis conceptibus; quod ſi eſſet verum, à nobis vix in ſolo loquendi modo differrent, quatenus ſcilicet in illo fundamento admitterent talem diſtinctionem formalem ex natura rei, qualem nos virtualem tantummodo appellamus. Sed re vera, & Scotiſtæ alij, tum recentiores, tum antiquiores, & Scotus ipſe clarè & loco citato, & diſtinct. 13. quæſt. vnica §. *ad quæſtionem*, diſtinctionem formalem ponit actu, ſine operatione intellectus: in hoc enim ſenſu, & ſcripta, & voces eorum ſemper hoc profitentur. Contra hos igitur ſtat præſens aſſertio. Et probatur primo Auctoritate Concilij Elorentini, in quo ſeſſ. 18. poſt medium in diſputatione inter Ioannem pro Eccleſia Latina, & Marcum pro Eccleſia Græca; Ioannes nomine Eccleſiæ Latinæ ſic loquitur. *Diuina ſubſtantia, & perſona re quidem ſunt idem, ſecundum autem modum intellectionis noſtræ differre videntur*.

Cui ſententiæ Marcus pro Eccleſia Græca coram toto Concilio conſenſit. In ſeſſione poſtea ſequenti, quæ eſt 19. Andreas præſul Coloſſenſis, volens conci-

liare ſenſu prædictorum Ioannis, & Marci, ſic dixit. *In communi, tum Græcorum, tum Latinorum Doctorum Theologia multum differt, ſimpliciter proferre Diuinam ſubſtantiam, vel Patris, Filijque ſubſtantiam: haud quaquam tamen ex eo putare debetis, vt re differant; quandoquidem ſola ratione, ac intelligentia differre creduntur. Doctores igitur ipſi Diuinam ſubſtantiam ſimpliciter proferentes, Patris, & Filij, Sanctique Spiritus commune quoddam intelligunt: ſubſtantiam verò Patris dicentes, Patris perſonam mente concipiunt*. Ex quibus ſic arguitur. Si eſſentia Patris aut eſſentia Filij ſola ratione, & mente differt ab eſſentia abſolutè, & ſimpliciter ſumpta; ergo ſola etiam ratione differunt relationes Diuinæ ab eſſentia ſimpliciter accepta; nam alioquin, & eſſentia paternitatis, quæ relationem addit, non differret ſola ratione ab eſſentia ſimpliciter accepta. Conſequenter ad hæc: in vltima ſeſſione, in qua fuit ſatis prolixum, & per dies protractum diſſidium inter PP. Latinos, & Græcos, circa proceſſionem Spiritus Sancti, Latini ad Græcos miſerunt ſuæ fidei confeſſionem, in qua hæc continebantur. *Porrò autem, ne identitatem, coniunctionemque Diuinæ ſubſtantiæ diſtribuere, ac ipſam ſubſtantiam re, non autem ſola ratione ab hypoſtaſibus, & perſonis differre credere videamur, &c.* in quibus verbis clarum eſt Concilium, & totam partem Latinorum exiſtimare, inconueniens eſſe inter perſonas, & eſſentiam eſſe maiorem diſtinctionem, quam rationis, & intellectus.

Probatur 2. ex Cap. *Damnamus de ſumma Trinitate & fide Catholica*; vbi damnatur quaternitas, quæ in Diuinis ab aliquibus ponebatur; ſed ponere eſſentiam ex natura rei formaliter diſtinctam à relationibus, eſt ponere ibi quaternitatem; ergo, &c.

Durandus reſpondet primò ibi damnari quaternitatem perſonarum, non verò formalitatum. Sed contra eſt, quod ibi damnatur illa quaternitas, quam Abbas Ioachim falsò imponebat Magiſtro ſententiarum; ſed illa erat quaternitas eſſentiæ, & perſonarum, vt ſupra dictum eſt; ergo, &c.

Reſpondet 2. ad ſummum ibi damnari quaternitatem rerum; Eſſentiam verò cum relationibus non ponere in vllo numerum, eo quod includatur in qualibet perſona. Contra eſt, quia licet includatur in qualibet perſona, quæ ex eſſentia, & relatione conſtituitur, non tamen includitur

in

in relatione vt ſic; ac proindè, ſi relatio ex natura rei ab illa diſtinguitur, verè ibi erunt quatuor res; nam eſſentia eſt res, & quælibet relatio eſt aliquid reale.

Probatur 3. Quia ex prædicta diſtinctione formali ex natura rei ſequuntur eadem abſurda contra ſimplicitatem Dei, quæ ſupra dictum eſt ſequi ex diſtinctione reali.

Reſpondet Durandus: relationes eſſe veluti modos, ac proindè non facere compoſitionem cum eſſentia. Contra tamen eſt, quod in hac reſponſione petitur principium; cum enim non detur medium inter ſimplex, & compoſitum; & diſtinctio ex natura rei tollat omnimodam ſimplicitatem, eſſet neceſſariò concedenda aliqua compoſitio; nec enim poſſunt intelligi aliqua, diſtincta actualiter ex natura rei, conuenire ad faciendum vnum, niſi vel componendo, vel faciendo vnum aggregatum per accidens. Quod ſi dicatur, eſſe compoſitionem minorem, quam rerum. Contra eſt, quod ſemper eſſet compoſitio antecedens operationem intellectus; ac proindè tollens è medio omnimodam Dei ſimplicitatem.

Probatur 4. Quia vel relatio Diuina, vt eſt contradiſtincta ab eſſentia, eſt entitas creata, vel increata; non primum, quia alias non eſſet identificata cum ipſa Diuina eſſentia, vt patet; ſi ſecundum, ergo eſt realiter Deus, & ſic infinita formaliter, & per conſequens identificans ſibi realiter, & formaliter ex natura rei omnem perfectionem, cum qua non habeat oppoſitionem; ſed huiuſmodi eſt eſſentia Diuina; ergo cum ea ex natura rei identificatur, & ſola ratione ab ea diſtinguitur.

Probari ſolet 5. quia diſtinctio ex natura rei non infertur, niſi, vel ex aliqua ſeparabilitate, vel ex oppoſitione, vt eſt inter ipſas relationes Diuinas inter ſe, vel ex cauſalitate diuerſorum effectuum; horum autem nihil habet locum in præſenti. Ergo.

Dices: colligi etiam ex eo, quod eſſentiæ tribuitur aliquod prædicatum, quod non tribuitur relationi, vt communicari, non communicari: eſſe *ad*, non eſſe *ad*; ſiue eſſe ens abſolutum, & eſſe ens reſpectiuum. Reſp. hinc ſolum colligi diſtinctionem per intellectum, ſiue rationis ratiocinatæ, non verò diſtinctionem formalem ex natura rei, propter prædicta; & hoc non dubito eſſe magis ad mentem S.P. cum dicit *& propter ſingulorum perfectionem partes vnius Dei non ſunt*: data enim di-

diſtinctione illa actuali, omnes illæ formalitates haberent rationem partium.

Ad fundamentum illud Gilberti. *Quæ ſunt eadem vni tertio, &c.* Reſp. S. Thom. 1. par. quæſt. 39. artic. 1. ad primum, non habere locum, vbi ſuppoſita per relationes ſubſiſtunt; eo quod relationes inter ſe non poſſunt identificari propter oppoſitionem; identificantur tamen cum eſſentia, cui non opponuntur. Hæc explicatio eſt quidem veriſſima, eamque plures, & clariſſimi AA. ex Thomiſtis ſequuntur, & fusè explicant, ſed adhuc remanet oſtendendum, quomodo argumentum Gilberti non conuincat, quod eſſentia non poſſit identificari relationibus, quæ neceſſariò realiter ab inuicem diſtinguuntur. Aliam explicationem dedit idem Angelicus Doctor quæſt. 28. artic. 3. ad primum, ſic. Quæcumque vni, & eidem ſunt eadem, ſibi inuicem ſunt eadem in his, quæ ſunt idem re, & ratione; ſicut tunica, & indumentum; non autem in his, quæ differunt ratione: vnde idem (ideſt Philoſophus lib. 3. phyſic. text. 22.) dicit, quod licet actio ſit idem motui, ſimiliter & paſſio: non tamen ſequitur, quod actio, & paſſio ſint idem, quia in actione importatur reſpectus, vt à quo eſt motus in mobili, in paſſione verò, vt qui eſt ab alio. Et ſimiliter, licet Paternitas ſit idem ſecundum rem cum eſſentia Diuina, & ſimiliter Filiatio, tamen hæc duo in ſuis proprijs rationibus important oppoſitos reſpectus. H. I.

Contra hanc reſponſionem opponitur communiter, quod, ea ſtante, illud principium haberet locum ſolum in ſynonimis, & tamen in omnibus Scholis admittitur in omnibus creatis.

Receptiſſima eſt illa reſponſio, qua admittitur, principium illud habere locum, quando illud tertium eſt quid finitum; tunc enim propter limitationem non poteſt identificari rebus realiter diſtinctis, ac proindè quando aliqua duo ſunt idem realiter cum illo, erunt etiam idem realiter inter ſe: quando verò illud tertium eſt infinitum, & illimitatum, quemadmodum eſt eſſentia Diuina, quæ poteſt ſibi identificare omnem rationem entis ſibi non repugnantem, eſſe falſum. Quod quidem neceſſariò, & rationabiliter dicitur, habita huius myſterij reuelatione; & hoc ſine fundamento diceretur, ea non habita. Hanc doctrinam neceſſariò ſupponit illa alia Recentiorum expoſitio: nempè, tunc illud principium eſſe verum, quando

illa duo ſunt idem actu, & virtute cum illo tertio, quod actu, & virtute eſt vnum; quod in propoſito non reperitur; eo quod eſſentia Diuina, quæ actu eſt vna, virtute eſt multiplex, cum poſſit eſſe æquè in pluribus, ac ſi eſſet multiplex, & conſequenter relationes actu eſſe idem cum eſſentia, virtute verò diſtinctas, eo quod præſtent id, quod præſtarent, ſi eſſent actu diſtinctæ; diſtinctio enim illa virtualis fundatur in infinitate Dei.

Ex his habes, plures ex illis Syllogiſmis, qui videntur expoſitorij, eo quod conſtent terminis ſingularibus, nihil concludere; vt ſunt illi; eſſentia Diuina eſt paternitas, eſſentia Diuina eſt filiatio; ergo filiatio eſt paternitas; & Pater eſt eſſentia; Pater non eſt Filius: ergo eſſentia non eſt Filius. Ratio adæquata illegitimæ illationis eſt, quia licet eſſentia Diuina ſit actu ſingularis, eſt tamen virtute multiplex. Quapropter ſicut ſyllogiſmus iſte: homo eſt Socrates; Plato eſt homo; ergo Plato eſt Socrates, non valet, quia terminus ille, homo, non eſt vnus ſimpliciter, cum ſit terminus communis ſecundum rationem; ita nec etiam valet ille primus, eo quod eadem numero eſſentia eſt realiter communis pluribus; & eàdem ratione, nec etiam valet ſecundus, quia Pater identificatur cum eſſentia, quæ eſt communis Filio.

Pro clariori intelligentia huius doctrinæ. Aduerte cum communi ſenſu dialecticorum, plura requiri ad bonitatem ſyllogiſmi expoſitorij. Primo, vt medius terminus ſit incommunicabilis. Secundo, vt medius terminus ſemel completè diſtribuatur in altera præmiſſarum, ideſt vniuersè accipiatur pro omni re, pro qua accipi poteſt. Tertio, vt terminus, qui in conſequenti diſtribuitur, fuerit etiam diſtributus in antecedente. Quarto, vt abſit fallacia accidentis, ideſt, vt prædicatum, & ſubiectum non ſumantur, quatenus aliquo modo ſunt diuerſa, ſed quatenus omninò, & realiter, & formaliter idem ſunt. Quibus regulis cum non conformentur prædicti ſyllogiſmi, & ſimiles, vt videre eſt in exemplis, quæ adducit Becanus 1.par. tract.de SS.Trinitate cap.2. quæſt. 3. patet eos non aptè concludere.

Dices 1. pro Scoto. Non poteſt eadem entitas à parte rei eſſe actualiter ex natura rei communicabilis, & non eſſe actualiter ex natura rei communicabilis; ſiue, quod idem ſonat, eſſe incommunica-

nica-

nicabilis: ſed Pater communicat Filio actu ſuam eſſentiam, non communicando ſuam paternitatem; ergo neceſsè eſt, vt intercedat diſtinctio actualis ex natura rei inter eſſentiam, & paternitatem. Reſp. communiter huic argumento, quod quemadmodum eadem res, propter infinitatem, & diſtinctionem virtualem in ea fundatam; eſt communis, & propria; ſic etiam eadem formalitas realis habet vtrumque; nam quatenus ſignificatur vt eſſentia, eſt communis; quatenus verò ſignificatur vt relatio, eſt propria, & incommunicabilis. Hæc reſponſio patitur difficultatem in eo, quod prædicata illa communicabilitatis, & incommunicabilitatis non tribuuntur illi entitati ſimpliciſſimæ ſolum per intellectum, ſed conueniunt illi à parte rei: ac proindè niſi admittatur maior diſtinctio, quam ſolius rationis, ſequitur de eadem omninò entitate ſimpliciſſima verificari prædicata contradictoria. Scio quoſdam modernos non abhorruiſſe, in re infinita admittere verificationem prædicatorum contradictoriorum. Verum imperceptibile eſt, quomodo re vera poſſint eidem rei, ſiue finitæ, ſiue infinitæ conuenire talia prædicata; cum per negationem vniuerſaliter, & omninò tollatur à ſubiecto quidquid illi per affirmationem tribuitur; quomodo enim verè idem affirmatur, & negatur de eodem? Quod ſi dicas, id eſſe ſecundum diuerſas rationes, iam ſumus extra contradictoria: in contradictorijs enim ſequitur affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem ſecundum eandem omninò rationem; nam cum negatur, negatur vniuerſaliter, quia negatio diſtribuit prædicatum pro omnibus inferioribus, & cum affirmatur, deſtruitur veritas negationis. Quapropter ſecurius eſt aſſerere, ſi huiuſmodi contradictoria tribuantur rei ſecundum ſe, & vt præſcindit ab operatione noſtri intellectus, negatiuam eſſe ſimpliciter falſam, affirmatiuam ſimpliciter veram; etenim quando dicitur: hæc realitas Diuina eſt incommunicabilis, vel non eſt communicabilis, ſenſus eſt, quod nulla ratione ſit communicabilis, quod falſum eſt; cum ſub ratione eſſentiæ ſit communicabilis, licet ſub ratione relationis ſit incommunicabilis; ad veritatem enim affirmatiuæ ſufficit, quod ſub vna ratione ſit communicabilis. Quod ſi in huiuſmodi enunciationibus includatur ordo ad operationem noſtri intellectus; qui neceſſariò, & eſſentialiter includitur, quando vtimur nomine eſſentiæ, & nomine re-

lationis, illius, vt entis abſoluti, & iſtius vt reſpectiui, cum præſcindatur vnum ab alio, tunc vitatur contradictio, propter diuerſum modum concipiendi: ſi verò tollatur ordo ad intellectum, non poteſt abſolutè formari propoſitio negatiua; quod idem dicendum eſt de illis enunciationibus: *Eſſentia non generat; Pater generat*; nam licet illa ſit vera, Eſſentia non generat, quia ſubiectum ſignificat entitatem Diuinam, vt præſcindit à relatione paternitatis, qua ratione à Filio non diſtinguitur; hæc tamen non eſſet concedenda, *Res, vel realitas, quæ eſt eſſentia, non generat*, quia ſenſus eſſet, quod nullo modo generaret, quod eſt falſum; licet enim vt eſſentia præcisè ſumpta non generet, generat tamen vt Pater eſt.

Dices 2. S. P. N. Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 4. docet, quod *Deus, non eo Deus eſt, quo Pater eſt. Sed Deus eſt Deus deitate, & Pater paternitate*. ergo Deitas actu ex natura rei non eſt paternitas. Reſpondet S. Thom. quæſt. 8. de potentia artic. 2. ad 14. Sanctum Patrem, per ly *non eo*, loqui, non quoad relationem, & entitatem, ſed quoad modum ſignificandi, eo quod Deus paternitate ſignificatur, vt ad alterum ſe habens, Deitate verò, vt in ſe conſiſtens. Et hunc eſſe S. Patris ſenſum conſtat ex eo, quod habet in cap. 6. dicti lib. nempè, *cum dicimus Perſonam Patris, non aliud dicimus, quam ſubſtantiam Patris*; Ibi etiam ait, quod *non aliud eſt Deo eſſe, aliud Perſonam eſſe, ſed idem omninò*. Quod certè non dixiſſet, ſi aliquam diſtinctionem ex natura rei inter Diuinam eſſentiam, & paternitatem agnouiſſet.

Inſtabis S. P. ibi etiam docere hoc dari diſcrimen inter Sapientiam Diuinam, & paternitatem, quod Pater eo eſt Deus, quo eſt Sapiens, non autem eo Deus eſt, quo Pater: hoc diſcrimen non poteſt ſtare, niſi paternitas diſtinguatur re vera ab eſſentia; ergo aliqua diſtinctio à parte rei datur inter eſſentiam & relationes: cum verò non poſſit eſſe illa entitatiua, & realis, quam ponebat Gilbertus, vt docet fides, debet eſſe, vel modalis, qualem ponit Durandus, vel formalis, ex natura rei, quam ponit Scotus. Minor probatur, quia Sapientia virtualiter diſtinguitur à Diuina eſſentia; ergo, vt verum ſit Deum non eſſe Deum eo, quo Pater eſt, benè autem eo, quo Sapiens eſt, inter paternitatem, & deitatem erit ponenda maior diſtinctio, quam virtualis, & conſequenter, vel modalis, vel formalis ex natura rei.

Re-

Reſpondent aliqui S.P.N. non loqui ibi de conſtitutiuo Deitatis in ratione naturæ, & prout contradiſtinguitur ab attributis, ſed de eſſe abſoluto communi tribus perſonis, ſiue attributali, ſiue per modum naturæ; & ſic, loquendo de Deo, ſubſiſtere prædictum diſcrimen, quod conſtituit inter Diuinam Sapientiam, & paternitatem. Licet enim vtraque virtualiter ſolum diſtinguatur à natura Diuina per modum naturæ; prima tamen pertinet ad eſſe abſolutum diuinitatis, vt tribus perſonis communis, tamquam aliquid conſtitutiuum illius, non in eſſe naturæ, ſed in aliquo eſſe abſoluto, & attributali; non tamen altera. Et ſic eſſe verum dicere, quod Pater eo eſt Deus, quo eſt Sapiens, non verò eo eſt Deus, quo Pater.

Facilius, & breuius Reſponderi poteſt, iuxta principia Sancti Patris ſæpius repetita: Sapientiam, quatenus eſt ipſa actualis intellectio, eſſe formale conſtitutiuum ipſius naturæ Diuinæ in eſſe naturæ, vt ſupra explicatum eſt, quod non habet paternitas; ac proindè conſequenter loquendo, & re vera, & ſecundum noſtrum concipiendi modum rectiſſimè dixiſſe, Patrem eſſe Deum eo, quo eſt Sapiens, quia hoc eſt formale conſtitutiuum ipſius Deitatis: non verò eo, quo eſt Pater, quia per hoc conſtituitur ſolum in ratione primæ Perſonæ, & genitoris.

Dices 3. non poteſt idem, ſecundum idem à parte rei, eſſe principium conueniendi, & ſimul differendi, ſiuè diſtinctionis; ſed tres Perſonæ conueniunt in ratione eſſentiæ, differunt quoad relationes; ergo omninò neceſsè eſt dari differentiam actualem à parte rei inter has, & illam. Reſp. differre in ordine ad diuerſa connotata, & ſic nullum eſſe inconueniens, quod eadem entitas realis ſit principium conuenientiæ, & diſtinctionis; conuenientiæ, quatenus connotat negationem eſſendi ab alio, & eſſendi ad aliud; diſtinctionis, quatenus eadem entitas connotat ſuos terminos diuerſimodè; cum etiam in rebus creatis eadem entitas inuariata, & habeat eſſe abſolutum, & eſſe relatiuum, ac diuerſas relationes, iuxta diuerſos terminos, quos connotat; iuxta ea, quæ dicta ſunt in philoſophia rationali cap. de relatione, & in Axiomatibus metaphyſicis cap. de diuiſionibus entis.

Dices 4. vel Pater intelligit ſuam eſſentiam, & relationem tamquam duas rationes formales diuerſas, vel non; ſi non; ergo intelligit vnam rationem

ſimpliciter communicabilem, aut ſimpliciter incommunicabilem. Si primum, ergo ante operationem intellectus diſtinguuntur. Si ſecundum, ergo iam non eſſet vna eſſentia in tribus perſonis, ſed eſſent tres eſſentiæ, ſicut ſunt tres Perſonæ; quod eſt contra fidem; Ergo à primo ad vltimum ſemper eſt neceſsè ponere diſtinctionem actualem ex natura rei. Reſp. Deum videre ſuam eſſentiam, vt eſt, ac proindè non diſtinguere in illa rationem abſolutam, & reſpectiuam; ſed videre vnam naturam identificatam tribus Perſonis, & videre illam entitatem, quæ eſt ſufficiens fundamentum, vt intellectus viatoris illam concipiat diuerſis conceptibus inadæquatis, ac proindè virtualem illam diſtinctionem, vt antecedentem operationem noſtri intellectus; & hoc certum eſt loquendo de cognitione Diuina, vt terminata ad ſuam eſſentiam præcisè. Neque enim poteſt dici, quod per ſuam cognitionem diſtinguat, vel attributa, vel relationes ab eſſentia, cum diſtinctio rationis non ſolum requirat fundamentum in re, ſed etiam limitationem conceptus, & imperfectum modum concipiendi veluti per partes; nam hoc ſolum habetur, quando diſtinctio nulla eſt in re, & poteſt nihilominus in ordine ad diuerſa connotata intellectus noſter res ſibi repræſentare diſtinctas per diuerſos conceptus, præſcindendo vnam perfectionem ab altera, & vnam rationem cognoſcere, altera non cognita, aut vna clarè penetrata, alteram ſolum implicitè, & in confuſo percipere. At Deus vnico intuitu clarè reſpiciens, & penetrans omnia, non poteſt hoc modo per inadæquatos conceptus diſtinguere. Quod ſi loquamur de cognitione Diuina, quatenus terminatur non ſolùm ad eſſentiam Diuinam, ſed etiam ad conceptus viatoris diſtinctos, quibus apprehendi poteſt, ſic poteſt concipi à Deo aliqua diſtinctio, vt à nobis factibilis, vel facta, modo ſupradicto, ſed hoc non eſt cognoſcere ipſas rationes realiter, aut actualiter ex natura rei diſtinctas, vt patet.

Dices 5. ſi diſtinguerentur ſolum ratione; diſtinguerentur ſicut attributa: ſed attributa communicantur, communicata eſſentia: ergo etiam relationes communicarentur; hoc conſtat eſſe falſum, ergo etiam id, vnde ſequitur. Reſp. inde ſequi ſolummodo nos habere maius fundamentum diſtinguendi relationes ab eſſentia, quam attributa, quod vltrò damus; communicantur enim attributa, quia identifican-

tur

Digitized by Google

tur naturæ adæquatè, relationes verò ſolum inadæquatè. Tunc autem dicuntur duo adæquatè identificari, quando vnum eſt ita idem cum alio, vt ſit omninò idem cum omni eo, cui alterum identificatur; inadæquatè verò identificari eſt, quando vnum ita alteri identificatur, vt non omninò identificetur cuicumque alterum identificatur. Quo poſito habetur, in tantum attributa identificari adæquatè, in quantum nullam habent oppoſitionem cum relationibus; relationes verò non identificantur, quia habent oppoſitionem producentis, & producti; quam ſi non haberent, ipſæ etiam identificarentur; vt patet in ſpiratione actiua, quæ identificatur cum paternitate, & filiatione; cum quibus non habet prædictam oppoſitionem.

Dices 6. Ex Concilijs, & PP. clarè inferri prædictam diſtinctionem: nam in Cap. *Damnamus* definitur eſſentiam non generare, Patrem generare. In Concilio Florentino ſeſſ. 18. habetur ſubſtantiam, & perſonam differre, vt proprium, & commune. S. Ioan. Damaſc. lib. 1. de Fide cap. 9. ait, Patrem omnia communicare Filio, præter innaſcendi proprietatem. Hæc non poſſunt ſtare ſine diſtinctione actuali ex natura rei; ergo neceſſariò eſt admittenda. Reſp. prædicta omnia ſufficienter ſaluari per diſtinctionem virtualem in ordine ad diuerſa connotata, explicatam à nobis ſufficienter per diſtinctionem rationis, & quidem hoc eſſe de mente Concilij, expreſſis verbis eiuſdem conſtat ex ſupradictis; quod etiam ad auctoritatem Cap. *Damnamus*, & S. Ioan. Damaſc. neceſſariò applicandum eſt.

AXIO-

AXIOMA TERTIVM.

In conceptu Eſſentiæ non includitur Relatio, nec è contra.

Ex Lib. 7. de Trinitate Cap. 2.

PAter igitur, & Filius ſimul vna eſſentia, & vna magnitudo, & vna veritas, & vna Sapientia. Sed non Pater, & Filius ſimul ambo vnum Verbum, quia non ſimul ambo vnus Filius. Sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad ſe ipſum dicitur, ita & Verbum ad eum, cuius eſt Verbum, refertur, cum dicitur Verbum. Eo quippe Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius. Quoniam igitur Pater, & Filius ſimul non vtique vnus Filius, conſequens eſt vt Pater, & Filius ſimul, non ambo vnum Verbum. Et propterea non eo Verbum, quo Sapientia: quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantum relatiuè ad eum, cuius Verbum eſt, ſicut Filius ad Patrem: Sapientia verò eo, quo eſſentia. Et ideo quia vna eſſentia, vna Sapientia. Quoniam verò, & Verbum Sapientia eſt. Sed non eo Verbum, quo Sapientia: Verbum enim relatiuè, Sapientia verò eſſentialiter intelligitur, id dici accipiamus cum dicitur Verbum, ac ſi dicatur nata Sapientia, vt ſit & Filius, & imago: Et hæc duo cum dicuntur, ideſt nata Sapientia in vno eorum, eo quod nata eſt, & Verbum, & imago, & Filius intelligatur, & in his omnibus nominibus non oſtendatur eſſentia, quia relatiuè dicuntur.

DVBIVM

DVBIVM III.

Vtrum in conceptu formali, & quidditatiuo eſſentiæ includantur relationes, & è conuerſo.

PRæmitto 1. aliqua poſſe inter ſe realiter formaliter identificari, & tamen vnum non eſſe de conceptu quidditatiuo alterius; vt patet in homine, in quo indiuidualitas realiter formaliter identificatur cum gradibus ſpecificis, & genericis, & tamen non eſt de conceptu quidditatiuo ſpeciei; & præterea rationalitas in eodem eſt identificata realiter formaliter cum animalitate, & tamen non eſt de conceptu formali, & quidditatiuo illius. Quapropter, eſto relationes Diuinæ realiter formaliter identificentur cum eſſentia; adhuc tamen reſtat difficultas, an eſſentia ſit de conceptu quidditatiuo relationum, & relationes de conceptu eſſentiæ.

Præmitto 2. duobus modis aliquid poſſe pertinere ad eſſentiam, ſiue quidditatem alterius. Primò vt eius conſtitutiuum, quo pacto animalitas, & rationalitas ad eſſentiam hominis pertinent. Secundò vt modum, aut terminum intrinſecum, à quo petit eſſentialiter modificari, aut terminari, ſicut ſe habent modi eſſendi per ſe, & in alio, reſpectu entis. His præmiſſis.

Tres ſunt celebres ſententiæ, circa propoſitam difficultatem.

Prima, quæ eſt communior inter Thomiſtas, aſſerit eſſentiam eſſe de conceptu relationum, & relationes de conceptu eſſentiæ, quæ tamen, vt notauit P. Gonet Tomo 5. Diſput. 3. artic. 2. non eodem modo defenditur ab omnibus; nam quidam diſtinguunt eſſentiam Diuinam per modum tranſcendentis, & per modum naturæ, & primo modo aſſerunt, eſſe de quidditate relationum, non verò in poſteriori acceptione. Alij huius diſtinctionis nullam faciunt mentionem. Alij denique expreſsè affirmant, Diuinam eſſentiam ſub vtraque ratione eſſe de quidditate relationum, & relationes de quidditate eſſentiæ. Et hoc

tertio

Digitized by Google

tertio modo defenditur ab ipſo Gonet.

Secunda ſententia tenet, eſſentiam Diuinam eſſe quidem de conceptu formali relationum, ſed relationes non eſſe de conceptu eſſentiæ. Pro qua citantur ex Thomiſtis noſter Ferrarienſis, Zumel, & Gonzalez, & ex PP. Societatis Suarez, Granado, & Arrubal.

Tertia docet, nec eſſentiam eſſe de conceptu quidditatiuo relationum, nec relationes de conceptu quidditatiuo eſſentiæ. Pro hac ſtant omnes Scotiſtæ, Vaſquez Diſput. 121. cap. 2. Alarcon Tract. 5. Diſput. 2. cap. 13. & hanc non dubito eſſe etiam expreſſam S. Thomæ, ſi benè perpendantur ea, quæ habet quæſt. 8. de potentia artic. 2. ad 6. Propterea.

Dico 1. relationes non eſſe de intrinſeco conceptu eſſentiæ vt ſic. Hæc eſt expreſſa ſententia S. P. in Axiomate clarè explicata illis verbis. *Et propterea non eò Verbum, quò Sapientia, quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantum relatiuè ad eum, cuius Verbum eſt, ſicuti Filius ad Patrem*. Vbi certum eſt S. P. non excludere identitatem Verbi cum eſſentia; nam apertè ſubdit. *Quoniam verò, & Verbum Sapientia eſt*; nihil aliud ergo remanet excluſum per illa verba, *ſed non eo verbum, quo Sapientia*, niſi conceptus formalis & quidditatiuus ipſius eſſentiæ.

Probatur verò. Quia communis ſenſus omnium Theologorum ex Concilio Toletano XI., & ex S. P. N. tum hic in Axiomate, tum etiam in cap. 4. eiuſdem lib. 7. *Deus dicitur ad ſe, non ad aliud. Verbum verò non ad ſe dicitur, ſed ad eum, cuius eſt Verbum, ſicut Filius ad Patrem*. Ideſt conceptus Dei eſſentialiter ſumpti eſt conceptus entitatis abſolutæ; conceptus verò Verbi, ſeu Filij (quod idem de alijs relationibus eſt dicendum) eſt conceptus entitatis relatiuæ: ſed eſſe abſolutum, & eſſe relatiuum ſub eodem quidditatiuo, & formali conceptu repugnant: ergo, &c.

Probatur 2. quia in Cap. *Damnamus*, definitur, Patrem communicare Filio totam ſuam ſubſtantiam, ideſt eſſentiam, non partem; ſed non communicat paternitatem; ergo hæc non eſt de conceptu ſubſtantiæ, ideſt eſſentiæ. Quod confirmatur etiam ex eo, quod antequam eſſentia communicetur Filio, eſt in Patre; ſed, vt eſt in Patre, non includit filiationem, & tamen eſt perfectè in Patre; ergo omninò neceſſè eſt conceptum huius relatio-

lationis, & ſic de alijs, non eſſe de conceptu ipſius eſſentiæ. Propterea Vaſquez Diſput. 121. cap. 2. docet, hanc propoſitionem *Paternitas eſt eſſentia*, in ſenſu quidem identico eſſe veram, ſed in ſenſu formali eſſe falſam; ſicut Diſput. 119. cap. 2. idem dixerat de illa propoſitione, *Intellectus eſt voluntas*. Vbi aduerte, eſſentiam Diuinam non poſſe comparari cum relationibus Diuinis, ſicut comparatur ratio entis cum ſuis inferioribus, ſeu cum particularibus; ſic enim, & ipſa eſſentia eſſet quid commune reſpectu perſonarum analogicè, ideſt cum ſui diuiſione, & inæqualitate à parte rei; quemadmodum & ipſum ens in ſuis inferioribus, quod repugnat: nam in ente ſola vox eſt vna, & communis, proximè ſignificans decem rationes particulares prædicamentorum, ſubſtantiam quidem ſimpliciter, alias verò cum addito, cum ſint entis entia, (quem diſcurſum latè, & doctè proſequitur ibi Vaſquez). At hoc de eſſentia Diuina dici nequit; neque enim poteſt conferri cum relationibus Diuinis, ſicut ratio analogicè ſignificata cum particularibus, quia verè eſt vna tota in multis, non quidem ſolum ratione, & conceptu communis, ſicut ponitur animal, ſed re ipſa; eſt autem impoſſibile concipere eſſentiam communem tribus, quin in ſingulis particularem rationem concipiamus, quæ in ſuo conceptu non includat eſſentiam, ſicut non poſſumus rationem generis cogitare communem, vt communem, quin etiam intelligamus rationes particulares ſpecificas, quibus communis ſit, in quarum conceptu non includatur, quales ſunt differentiæ (ſecluſis imperfectionibus, & ſeruata proportione) quapropter cum non ſe habeat ad dictas relationes, ſicuti ſe habet ens ad entia particularia, in quibus intrinſecè imbibitur, & à quibus non poteſt perfectè præſcindi, manet neceſſariò, rationem, ſiue conceptum formalem eſſentiæ eſſe extra conceptum formalem relationum. Hæ ſunt rationes cardinales, quæ dilucidè explicant, & probant aſſertionem S. P. N. Alias addit ibi Vaſquez, quas piget hic transſcribere.

Dixi, hoc eſſe de mente S.Tho. eo quod quæſt. 8. de Potentia artic. 2. ad 6. ait. *Per ſe autem prædicatur aliquid de aliquo, quod prædicatur de eo ſecundum propriam rationem; quod verò non ſecundum propriam rationem prædicatur, ſed propter rei identitatem, non etiam prædicatur per ſe. Cum ergo dicitur eſſentia Diuina eſt paternitas, non prædicatur paternitas*

de eſſentia Diuina propter identitatem rei, & ſimiliter, nec eſſentia de paternitate, quia alia eſt ratio eſſentiæ, & relationis. Quibus verbis S.Thom. clarè docet eſſentiam Diuinam non eſſe de conceptu formali relationum, nec de illis prædicari in ſenſu formali, ſed identico.

Thomiſtæ, vt euadant vim huius textus, opponunt alia loca, in quibus Angelicus Doctor videtur oppoſitum ſentire, & 1. ex 1.par. quæſt.39. artic.6. ad 2. vbi ait, quod tam iſta propoſitio eſt per ſe *Pater eſt Deus*, quam iſta *Deus eſt Pater*, ac proindè, quando loco citato dicit illam propoſitionem *Eſſentia Diuina eſt paternitas*, non eſſe per ſe, intendit ſolum non eſſe per ſe ex parte modi ſignificandi, non autem ex parte rei ſignificatæ; tanto magis, quod in reſpon. ad 4. ait: *Relationes Diuinæ, licet ſignificent id, quod eſt Diuina eſſentia, non tamen per modum eſſentiæ, quia non per modum inexiſtentis, ſed per modum ſe habentis ad aliud eam ſignificant*. Ex quo loco ſic diſcurrunt: Diuinæ Relationes quantum ad modum ſignificandi ſe habent per modum accidentis, & prædicantur veluti accidentaliter de Diuina eſſentia, quamuis ex parte rei ſignificatæ ſint de conceptu eius quidditatiuo, & de illa prædicentur eſſentialiter. Deniquè in quæſt.33. eiuſdem primæ partis artic.3. ad 1. de communibus, & eſſentialibus prædicatis loquens, ait: *Illa includuntur in intellectu propriorum: in intellectu enim perſonæ Patris intelligitur Deus*. Ex his verbis ſic arguunt. Eſſentia Diuina, vt habet rationem tranſcendentis increati, includitur eſſentialiter in Perſona Diuina; ergo & in Diuina perſonalitate. Probant conſequentiam, quia in Diuinis nihil dicit concretum quoad rem, quod non dicat etiam abſtractum, licet differant, quoad modum ſignificandi: quod confirmatur, quia idem Angelicus Doctor, & loc. cit. & quæſt. 8. de potentia artic. 2. eodem modo philoſophatur de concretis, & de abſtractis; vndè inferunt, quod totum id, quod eſt de conceptu formali Dei, eſt etiam de conceptu formali Deitatis: & pariter totum id, quod eſt de conceptu formali Patris, eſt etiam de conceptu formali paternitatis.

Multa inuoluit hæc doctrina Thomiſtarum, quæ indigent examine, & explicatione. Primo obſeruandum, S.Thom. in dicto loco artic.6. quæſt.39. loqui in concreto, & de entitate reali, nam vt notauit ibi Canarienſis, agebat

bat ibi Angelicus Doctor contra Gilbertum Porrectanum, de cuius errore iam ſupradictum eſt; imò S. D. ſe explicat in corpore articuli, quod loquitur de identitate reali, non verò de identitate conceptus formalis, & obiectiui, de qua eſt quæſtio præſens. Vltrò enim concedimus, & fatemur de intrinſeca ratione eſſentiæ, vt eſt à parte rei, eſſe omnes, & ſingulas relationes Diuinas, & de eſſentia ſingularum relationum, vt ſunt à parte rei, eſſe ipſam eſſentiam: Nam à parte rei eſſentia Diuina eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſiue paternitas, filiatio, & ſpiratio; loquendo verò de ipſa eſſentia, & relationibus, non vt ſunt à parte rei, ſed pro vt à nobis diſtinctis, & inadæquatis conceptibus cognoſcuntur, iam datur diſtinctio conceptuum, quorum vnus repræſentat eſſentiam præciſam à relationibus, alter verò repræſentat relationem, vel relationes, vt præciſas ab eſſentia per intellectum. Et hoc eſt, quod in dicta quæſtione de potentia ait S. Thom. cum dicit: *Cum ergo dicitur eſſentia Diuina eſt paternitas, de eſſentia Diuina non prædicatur paternitas propter identitatem rationis, ſed propter identitatem rei*; hæc enim identitas datur, illa verò non in prædicatione abſtractorum, vt ſubiungit ibi Sanctus Doctor, cum ait, *Et ſimiliter, nec eſſentia de paternitate, quia alia eſt ratio eſſentia, & relationis*. Vbi clarè ponit diuerſam eſſe rationem, ſiue conceptum eſſentiæ à ratione, ſiue conceptu relationis.

Obſerua vlterius prædicationes illas quæſt. 39. *Pater eſt Deus*, & *Deus eſt Pater*, fieri in concreto, ac proindè dici eſſe propoſitiones per ſe; à quo non licet inferre etiam illas prædicationes in abſtractis eſſe per ſe, modo intento ab aduerſarijs; Nam licet in hoc Myſterio abſtracta, & concreta valdè promiſcuè accipiantur, ita vt hoc nomen Pater, & idem eſt de alijs, quandoque vſurpetur, vt ſignificat ſuppoſitum Patris noſtro modo intelligendi conſtitutum ex eſſentia, & relatione, quandoque vt eſt indicatiuum ſolius paternitatis, ſiue primæ perſonalitatis; & pariter hoc abſtractum paternitas quandoque vſurpetur vt abſtractum à concreto explicato; quandoque verò independenter à noſtris conceptibus vt ſignificatiuum paternitatis, vt eſt à parte rei ſimul cum eſſentia vna ſimpliciſſima entitas. Nihilominus quando loquimur in ſubiecta materia de his rationibus, non

prout ſunt à parte rei, ſed prout ſubſtant noſtris diuerſis & inadæquatis conceptibus, proculdubiò philoſophandum eſt cum S. Patre *non eo Verbum, quo eſſentia ſiue Sapientia*, & cum S. Thom. *aliam eſſe rationem eſſentiæ, & aliam rationem relationis*. Quod idem confirmat diſcurſus ille ſupra adductus Aduerſariorum; Nam ſi Diuinæ relationes ex parte modi ſignificandi ſe habent per modum accidentis, & prædicantur veluti accidentaliter de Diuina eſſentia, quamuis ex parte rei ſignificatæ, prout eſt à parte rei, ſint de eius conceptu quidditatiuo, iam vltrò fatentur id, quod nos intendimus, ideſt dari diuerſitatem conceptuum formalium in noſtra mente, quorum vnus repræſentet Diuinam eſſentiam, vt quid abſolutum, & per ſe ſtans, alter verò, vel alij relationes veluti accidentaliter, ſiue per modum adiacentis, ratione noſtri imperfecti modi cognoſcendi, ac proindè vnum conceptum ſic repræſentantem eſſentiam eſſe diuerſum ab altero repræſentante relationem. Et propterea etiam conceptum obiectiuum eſſe diuerſum, non in eſſe rei, ſed in eſſe obiecti.

Dico 2. Nec etiam eſſentiam eſſe de intrinſeco conceptu relationum. Probatur ab aliquibus, quia tum à S. P. tum à S. Ambroſio, tum etiam à pluribus SS. PP. habetur, proprietates in Deo non ſignificare ſubſtantiam, ideſt eſſentiam; eſto alioqui ſint rationes ſubſtantiales. Attamen, quia poteſt reſponderi, verum quidem eſſe, quod non ſignificant illam ſub proprio conceptu, ſed vt includitur in relationibus; propterea aliter eſt à nobis probanda.

Et primo eam ſic probo. De ratione eſſentiæ eſt, non eſſe rem productam ab alia (eſſentia enim nec generat, nec generatur) neque tamquam à cauſa, neque tamquam à principio; ſed de ratione generationis, & ſpirationis paſſiuæ eſt concipi, vt productum ab alio; ergo, &c.

Probatur 2. quia relationes Diuinæ, de quibus loquimur, ſunt conſtitutiuæ perſonarum ſimul cum eſſentia, ſed ſi in ſuo conceptu obiectiuo includerent eſſentiam, non poſſet concipi quomodo conſtituerent; ergo, &c. Minor probatur, quia in tantum nos intelligimus hanc conſtitutionem, quatenus concipimus aduenire eſſentiæ, & illam modificare; ſed ſi illam intimè includunt in ſuo conceptu obiectiuo, nulla erit differentia, niſi penes conceptum implicitum, & expli-

plicitum; & iam non poterunt concipi, vt aduenientes, & modificantes, ſed potius vt rationes totales perſonarum; non verò, vt ſint alterum conſtitutiuum illarum; ergo illam in ſuo conceptu obiectiuo non poſſunt includere.

Confirmatur, quia Perſona nihil aliud dicit, quam eſſentiam incommunicabiliter ſubſiſtentem, vel ſubſiſtentiam incommunicabilem eſſentiæ; ſed hoc totum iuxta Aduerſariorum ſententiam dicit paternitas; ergo ſecundum principia eorum eſt imperceptibile, quomodo perſona conſtituatur ex eſſentia, & relatione.

Dicunt aliqui ex illis, conſtitutionem illam concipi à nobis ſecundum, quod relatio præciſè addit ſupra eſſentiam; quo pacto cum profertur nomen, ſimus, eſto ſignificetur naſus, & curuitas, nihilominus cum additur naſus, nomen illud ſtat ſolum pro curuitate, nè idem ſine cauſa repetatur. Sed contra eſt, quod iam admittitur relatio contradiſtincta in ſuo conceptu obiectiuo ab eſsentia hanc non includens; & per conſequens vt contradiſtincta ab illa, quatenus dicit reſpectum, iam ſub hac præciſa ratione non includit eſsentiam; & hoc eſt id, quod nos contra eorum ſententiam intendimus.

Probatur 3. Quia quando aliqua duo ita ſe habent, vt vnum non ſit de conceptu intrinſeco alterius, neceſsè eſt omninò, vt nec etiam iſtud ſit de conceptu illius: diſtinctio enim in ſuo formali conceptu hoc importat, ſiue ponatur eſse negationem vnius de alio, vt fert communior ſententia; ſiue ponatur eſse relationem vnius ad alterum, ita vt ſub ea ratione, ſub qua diſtinguuntur, ſi vnum negat alterum, hoc etiam vice verſa ſit negatio alterius, vel ſi vnum reſpicit alterum vt terminum, illud aliud reſpiciatur ab hoc vice verſa vt ſuus terminus; vel ſaltem ſint fundamentum, & terminus extrinſecè ad inuicem ſe habentes; nam alias non poſſet, nec eſse, nec concipi relatio, non ſolum realis, ſed nec etiam rationis; Atqui iam ſupra probatum eſt, relationes Diuinas non eſse de intrinſeco conceptu obiectiuo eſsentiæ; ergo vice verſa neceſsè eſt, nec etiam eſsentiam eſse de intrinſeco conceptu obiectiuo relationum.

Probatur 4. & vltimo. Quia paternitas, vt eſt proprietas perſonalis Patris, ita eſt in Patre, vt non ſit in Filio, quatenus eſt proprietas Patris, iuxta illud com-

mune

Digitized by Google

mune proloquium Theologorum ex S. Gregorio Nazianz. *Pater omnia dedit Filio, præter eſſe Patris*; ſed ſi paternitas intimè in ſuo conceptu quidditatiuo includeret eſsentiam, quatenus proprietas relatiua eſt, non eſset ſecundum totam rationem proprietatis in ſolo Patre, quod nullus concedet; ergo nullo modo poteſt eſsentia eſse de conceptu illius relationis; & conſequenter nec etiam aliarum. Probatur minor. Quia eſsentia illa, quæ per illos ingreditur conceptum formalem paternitatis, eſt etiam in Filio, & conſequenter ingredietur etiam conceptum quidditatiuum proprietatis filiationis, & ſpirationis paſſiuæ; ergo iam ſecundum aliquam rationem proprietatis eſset quid commune, & non eſset ſecundum totam rationem proprietatis in Patre.

Dices primo, contra primam aſsertionem: S. Gregorium Nazianz. Oratione in Sancta Luminaria docere; *Proprietatem Patris eſſentiam Filij conſtituere*. Idem habet S. Athanaſius ſerm.4. contra Arrianos; ergo per hos SS. Doctores eſsentia eſt de quidditatiuo conceptu relationum, & è contra. Quod etiam habet S.Tho. 1.par.quæſt.28.artic.2. & quæſt.39. artic. 1. Reſpondetur SS. PP. loqui de eſsentia, vt eſt res quædam ſecundum ſe, non verò, vt concipitur à nobis: quo ſenſu loquitur etiam S. Thom. locis citatis, & cum eo Caietanus in commentarijs ad dicta loca; qui perperam ab Aduerſarijs citantur pro oppoſita ſententia: cum ſolum dicant ibi, quod ſi Diuina eſsentia poſset omninò definiri, vt eſt in ſe, in eius definitione ponerentur relationes; quod non deſtruit, imò firmat noſtram ſententiam: cum enim tunc ponerentur, eo quod definiretur, vt eſt in ſe, & eſset conceptus adæquatus; manet quod nunc non ponantur, cum non poſſit definiri vt eſt in ſe, & conceptus noſtri ſint inadæquati.

Dices 2. ſi relationes Diuinæ non pertinerent intrinſecè ad eſsentiam, eſsent concipiendæ à nobis, vt quid extrinſecus aduenions, & conſequenter, vt quid accidentale; ſed nihil accidentale poteſt admitti in Deo; ergo, &c. Confirmatur ex eo, quod eſse Patrem non conuenit Deo, neque vt accidens commune, neque vt accidens proprium, neque vt modus; ergo conuenit ei vt prædicatum eſsentiale. Reſp. communiter relationes non eſse quidem accidentia in ſe, ſed noſtro modo intelligendi concipi à nobis vt accidentales naturæ;

ræ; ac proindè diſtinguenda eſt illa vltima particula maioris, & ſi illud eſſe accidentale idem ſit, ac non eſſentiales, ideſt prædicata eſſentialia conſtitutiua Diuinæ eſſentiæ, concedendum eſt; ſi idem ſit, ac contingentes, itaut poſſint adeſſe, vel abeſſe, quod eſt idem, ac eſſe de prædicamento accidentis, negandum eſt: Exemplum ſit in creaturis perſonalitas, quæ eſt extra conceptum naturæ, & eſt ratio ſubſtantialis, & neceſſariò conſequens naturam. Quod ſi hoc eſt in creaturis; multo magis conueniet relationibus Diuinis, quæ identificantur omninò naturæ, eſſe ſubſtantiales, & neceſſarias. Ad confirmationem. Reſp. cum S. Thom. 1. par. quæſt. 39. artic. 6. ad 2. & quæſt. 8. de potentia artic. 2. ad 6. prædicationem illam eſſe identicam, non verò per ſe in ſenſu formali, ſed ad modum accidentis; nam vt rectè in dicta quæſtione de potentia ad 6. ait, licet in Deo non ſit accidens, eſt tamen ſimilitudo accidentis; & propterea Caietanus in Commentario quæſt. 39. primæ partis artic. 6. explicando id, quod ait S. Thom. videlicet illam prædicationem *Pater eſt Deus*, & iſtam, *Deus eſt Pater* nullo modo eſſe per accidens, explicat ly *nullo modo* identicè, non formaliter.

Dices 3. Relationes Diuinæ non diſtinguuntur formaliter ex natura rei à Diuina Eſſentia, vt ſupradictum eſt: ergo non ſolum ſunt identificatæ cum illa, ſed etiam formaliter ſunt ipſa Diuina eſſentia. Confirmatur ex S. Thom. qui quæſt. 37. 1. par. artic. 2. ad 3. dicit in perfectione Diuini eſſe contineri Verbum. Reſp. Quod ſi hoc argumentum aliquid probaret, eodem modo probari etiam poſſet rationalitatem eſſe de eſſentia animalitatis, & è contra, quia ſunt idem realiter, & non datur diſtinctio ex natura rei inter hæc duo prædicata in homine, in quo ſunt identificata; & ſimiliter poſſet probari lapidem eſſe de ratione entis, quia identificatur in lapide ratio entis, & ratio lapidis. Quo poſito. Reſp. directè ad argumentum, quod ad hoc, vt aliquid ſit de eſſentia alterius, non ſufficit identitas realis, ſiue etiam formalis ex natura rei, ſed vlterius requiritur, vt vnum taliter includat alterum, vt vbicunque reperitur vnum, reperiatur & alterum, & vt non poſſit concipi vnum, quin concipiatur & alterum; quod non contingit hic: Quia verò à parte rei eſſentia Diuina, & relationes Diuinæ ſunt planè idem, ſi loquamur

de

de eſſentia ſecundum ſe, potius dicendum eſt eſſentiam ſecundum ſe eſſe ipſas relationes, quam relationes eſſe de eſſentia naturæ; eo quod illud, *de*, importat, ſeu denotat quamdam diſtinctionem illius, quod dicitur eſſe de eſſentia, ab altero; & ob eamdem cauſam non eſt dicendum relationem includi eſſentialiter in natura, quia iam denotatur aliqua diſtinctio incluſi, & includentis; Et propterea S. Thomas dixit quidem ibi, in perfectione Diuini eſſe includi Verbum, non verò de perfectione illius eſſe.

Dices 4. ſi relationes Diuinæ non eſſent de intrinſeco conceptu Diuinæ eſſentiæ, conceptus iſti, & diſtinguerentur ab inuicem, & ſe ſe mutuò excluderent: ſed hoc implicat; ergo dicendum omninò relationes eſſe de conceptu formali quidditatiuo, & obiectiuo Diuinæ eſſentiæ, etiam ſecundum noſtrum concipiendi modum. Probatur minor, in qua eſt difficultas: ex conceptibus mutuò ſe excludentibus, & concurrentibus ad conſtituendum vnum quid, neceſſariò reſultat compoſitio ſaltem rationis; ſed hæc non poteſt ſtare cum ſimplicitate Diuinarum Perſonarum: ergo, &c. Quod ſi dicamus Diuinam ſimplicitatem excludere quidem omnem compoſitionem realem, & formalem ex natura rei; ac etiam compoſitionem metaphyſicam ex genere, & differentia, non tamen omnem compoſitionem virtualem, aut rationis, quæ non ſit ex genere, & differentia. Contra opponitur ab Aduerſarijs; non eſſe minoris imperfectionis compoſitionem rationis ex forma, ſiue modo, & ſubiecto, quam ex genere, & differentia; cum in vtraque aliquid potentialitatis admiſceatur neceſſariò, eo quod non minus comparetur vt potentia ſubiectum ad formam, quam genus ad differentiam; at compoſitio admiſſa eſt ad minus ex forma, ſiue modo, & ſubiecto: ergo non minus excludenda eſt à Deo, quam compoſitio ex genere, & differentia. Hoc argumentum, eo quod eſt vnum è potiſſimis Aduerſariorum, ſic vlterius vrgent. Semel data inter formalitates Diuinas mutua conceptuum excluſione, infertur neceſſariò compoſitio metaphyſica ex genere, & differentia; ergo ſi iſta excluditur à Deo, etiam remoueri debet diſtinctio conceptuum cum mutua excluſione obiectiua. Probant antecedens. Quia eo ipſo quod eſt poſſibilis mutua excluſio conceptuum, poterit dari conceptus aliquis communis à particularibus

bus omnibus præciſus v. g. ratio communis perſonæ à tribus perſonis omninò præſcindens; ſed admiſſa hac communitate cum omnimoda præciſione ſtatim ponitur vniuocatio, cum in tali conceptu nulla importetur actu diuerſitas; & vniuocatione admiſſa, conceptus ille communis erit genericus: ergo admiſſa mutua excluſione obiectiua conceptuum, per bonam conſequentiam infertur poſſibilis compoſitio metaphyſica ex genere, & differentia.

Reſp. quod, ſicut communiter dicitur perſonam eſſe conſtitutam ex eſſentia, & relatione per intellectum, non verò re ipſa, & hoc non derogat vllo modo ſimplicitati Diuinæ, ſic nec etiam aſſerere eſſe compoſitam, non ex natura rei, ſed per intellectum. Nam, vt rectè notat Vaſquez, Eodem modo repugnat ſimplicitati, & vnitati Dei compoſitio, quo repugnat multitudo, & diſtinctio; & tamen cum ſumma eius vnitate, & identitate conceditur diſtinctio, & multitudo per rationem, ita vt S.Thom. 1. par. quæſt. 13. artic. 4. ad 3. dicat: *Deus eſt vnus re, & plures ſecundum rationem, quia intellectus noſter ita multipliciter apprehendit eum, ſicut res multipliciter ipſum repræſentant*: ſic eodem modo compoſitionem concedere debemus. Cum quo tamen ſtat, quod non poſſumus dicere abſolutè Deum eſſe compoſitum, tum quia ea, quæ conueniunt rei ſolum per intellectum, non prædicantur de ea abſolutè, & huiuſmodi ſunt in Deo compoſitio, multitudo, &c. Tum quia nomine compoſitionis videtur ſignificari aliquid oppoſitum Diuinæ ſimplicitati; & ideò additur ſemper per intellectum, vt nihil illi derogare videamus. Hac limitatione regulariter non vtimur, quando dicimus Perſonam eſſe conſtitutam; quia iam vſu factum eſt, vt, cum loquimur hoc modo, intelligatur, quod intendimus ſolum per intellectum; & inſuper cum Deo tribuimus conſtitutionem, non ita ſignificatur aliquid oppoſitum directè ſimplicitati; ſicuti ſignificatur nomine compoſitionis, & idcircò illo abſolutè vtimur. Ad inſtantiam illam, quod hæc compoſitio ſit ex forma, ſiue modo, & ſubiecto; ac proindè non minus repugnet Deo, quam compoſitio ex genere, & differentia, eo quod in vtraque ſemper miſceatur aliquid potentialitatis: Reſp. aliud eſſe loqui de compoſitione ex ſubiecto, & forma, ſeu modo informante phyſicis, aliud de ſubie-

 cto

ćto prædicationis: ibi enim requiritur potentialitas vera, & realis à parte rei; non ſic in ſubiecto prædicationis, ſiue denominationis. Quando enim dico, Deus eſt ſimplex, ly Deus habet locum ſubiecti, ly ſimplex formæ, cum ſit prædicatum; & nihilominus ab omnibus Catholicis firmiter tenetur hæc prædicatio, & nihil potentialitatis refunditur in Deum, ſed ſolum in noſtrum conceptum; ſic etiam in præſenti tota potentialitas ſe tenet ex parte noſtrorum conceptuum, ratione noſtri imperfecti modi cognoſcendi, ſicut ſe tenet multitudo, & pluralitas, non verò ex parte ipſius Dei, prout eſt à parte rei. Ad vltimam inſtantiam de compoſitione ex genere, & differentia, deducta ex conceſſione compoſitionis rationis, modo explicato: Reſpondent aliqui compoſitionem generis, & differentiæ ſemper ortum habere ex aliqua compoſitione reali, vt in rebus corporalibus ex compoſitione materiæ, & formæ, in rebus verò ſpiritualibus ex compoſitione naturæ, & ſuppoſiti; ſed hoc falſum eſt, vt notauit Vaſquez loco citato; vbi etiam dicit, falſum eſſe, quod genus ſumatur à materia, & differentia à forma, vel ab alijs rebus diſtinctis. Quapropter ex hac parte non repugnabit Deo compoſitio ex genere, & differentia, quatenus prædicabilia ſunt. Qua verò alia ratione repugnet, iam dixi in Controuerſia de ſimplicitate Dei; & quando alia non eſſet, ſufficeret illa, quæ habetur ex Anteprædicamentis cap. 4. de incomplexis, vbi communiter docent Commentatores, infinitum ſecundum eſſentiam non poſſe poni in prædicamento; & conſequenter, non poſſe conſtare ex genere, & differentia: quapropter, cum ea omnia, quæ ſunt in Deo, ſint infinita per eſſentiam, cum ſint vel ipſa eſſentia, vel identificata realiter, & formaliter ex natura rei cum illa; nullo modo poterit ex illis, iuxta regulas ſapientum, in ſcholis communiter receptas, formari compoſitio ex genere, & differentia. Et hoc eſt adeò inconcuſſum apud S. P. N. vt lib. 4. ſuarum Confeſſionum cap. 16. repræhendat ſe ipſum, quod reponeret Diuinam Maieſtatem in ſerie prædicamentali.

Dices 5. Sanctus Bernardus ſerm. 80. in Cantica ait: *Recedant nouelli non dialectici, ſed hæretici; qui magnitudinem, qua magnus eſt Deus, & item bonitatem, qua bonus eſt, & Sapientiam, qua Sapiens eſt, & iuſtitiam, qua iuſtus*

iuſtus eſt, *&* *poſtremò Diuinitatem*, *qua Deus eſt*, *Deum non eſſe impiiſſimè diſputant*. *Sed ſi Deus non eſt*, *quid eſt?* Ex hoc loco arguit P. Gonet Diſput. 3. de Trinit. artic. 2. §. *Denique probatur Concluſio*, *&c.* ſic. Cum paternitas, vt diſtinguitur virtualiter à natura Diuina, ſit eſſentialiter ens, & non ſit creatum, vt patet, ſi non eſt eſſentialiter ens Diuinum, & increatum, quid eſſentialiter eſt? cum inter ens à ſe, & ab alio, inter creatum, & increatum nihil poſſit aſſignari medium.

Reſpondet Vaſquez vbi ſupra, & Diſput. 119. cap. 3. num. 10. Quod licet inter ens à ſe, & ab alio, inter creatum, & increatum in re non detur medium, facta tamen aliqua reduplicatione, vel addito aliquo modo, poteſt medium aſſignari; ſicut inter eſſe album, & non album in re medium non datur, ſi tamen reduplicatio fiat de homine diſcurſiuo, prout ſic, nec albus, nec non albus eſt. Ita pariter inter hoc, quod eſt relationem à parte rei eſſe ens creatum, vel increatum non datur medium, vnde relatio Diuina à parte rei ens increatum eſt: reduplicando tamen ſupra relationem, vt virtualiter ab eſſentia diſtinctam, nec eſt eſſentialiter ens creatum, nec increatum, ſed ſolum relatio.

Contra opponit P. Gonet; quod reduplicatio illa diſtinctionis virtualis ab eſſentia non tollit, quin eſſentialiter prædicetur de illa ratio entis, vt ſic; alioquin Diuinæ relationes ſub tali reduplicatione eſſent purum nihil, aut merum ens rationis; ergo nec tollit, quod de illa eſſentialiter prædicetur aliquod ex membris, per quæ adæquatè diuiditur ens: ſed non eſt ens creatum; ergo ens Diuinum, & increatum. Minor ſubſumpta, & vltima conſequentia patent. Prima autem probatur: nam, verificato ente vt ſic, ſi nullum ex membris diuidentibus verificetur, illa non adæquabunt rationem diuiſi, & conſequenter diuiſio adæquata non erit.

Opponit 2. quod de quocumque affirmatur ens, & negatur ens Diuinum, affirmatur ens creatum, non ſolum in re, ſed facta quauis reduplicatione: ergo pariter affirmato ente, & negato ente creato, rectè colligitur affirmatio entis Diuini, non ſolum in re, ſed etiam ſub quacumque reduplicatione. Ad exemplum adductum reſpondet, eſſe extra rem, eo quod diuiſio hominis in album, & non album non eſt eſſentialis, ſed ſubiecti in acciden-

tia; vnde cum accidentia non competant ſubiecto, niſi vt exiſtenti, & ſint extra rei eſſentiam, nec ratione eſſentiæ cum reduplicatione ſubiecto conueniant; conſequens fit, quod addito ly eſſentialiter., vel reduplicata eſſentiâ, nec vnum, nec alterum extremum de ſubiecto affirmetur, ſed ſubiectum præſcindat ab vtroque extremo. In noſtro autem caſu diuiſio eſt eſſentialis, & diuiſum cum illa reduplicatione conueniens eſt eſſentialiter, ac proindè aliquod extremum, ſiue vnum ex membris diuidentibus cum illa reduplicatione ei competere debet.

Aliter ergo ſoluendum eſt argumentum. Propterea. Reſp. S. Bernardum ibi non agere de puncto noſtræ difficultatis, ſed diſputare contra Gilbertum Porretanum, qui ponebat diſtinctionem realem inter eſſentiam, & relationes Diuinas; vt eſt omninò certum ex ſerie citati ſermonis, & hoc non eſt dubium eſſe errorem in fide. Quo poſito, ad Argumentum, quod indè deducit P. Gonet: Reſpondeo, paternitatem, etiam virtualiter, & ratione noſtra contradiſtinctam ab eſſentia Diuina, eſſe ens increatum, & Diuinum; nam latius patet ratio entis increati, quam Deitatis, ſiue eſſentiæ Diuinæ, cum illa ſit communis etiam omnibus attributis, & relationibus; hæc verò non niſi naturæ, vt ab illis virtualiter, ſeu ratione noſtra contradiſtinctæ; nam rationes illæ eſſendi à ſe, improducti, independentis, & increati ſunt veluti tranſcendentes reſpectu eorum, quæ Deo tribuuntur, non ita ratio eſſentiæ Diuinæ. Hoc pacto etiam nomen ſubſtantiæ, quandoque ſignificat eſſentiam, quandoque verò rationes ſubſtantiales; hoc ſecundo modo eſt tranſcendens, & de quolibet attributo, ac etiam de ipſis relationibus Diuinis affirmatur, quod ſint ſubſtantia; non ſic primo modo. Addè, quod ad rationem entis à ſe, ſiue increati ſufficit, ſi ſit ens, non habens cauſam, à qua dependeat, ſiue accipiat eſſe per veram, & realem cauſalitatem, & efficientiam; ſiue poſtea habeat principium influens, quemadmodum habent Filius, & Spiritus Sanctus, ſiue non habeat, vt non habet nec eſſentia, nec paternitas. Ex quo ſic arguo: ſicut non tollit rationem entis Diuini, eſſendi à ſe, & independentis ratio eſſendi ab alio, tamquam à principio; eo quod in ratione ſua dicat identitatem cum eſſentia Diuina, & neget dependentiam ab alio, tamquam à cauſa; ita non tollit

lit eſſe ens Diuinum, & increatum contradiſtingui virtualiter, & ratione noſtra ab eſſentia Diuina, manente identitate reali, & formali ex natura rei eorum inter ſe.

Si dicas. relatio Diuina non eſt ens creatum formaliter; ergo formaliter Deus, & ens increatum; ergo non ſolum identicè, ſed formaliter eſt Deus, & ipſa eſſentia Diuina. Reſp. eſſe quidem ens Diuinum, prout ens Diuinum dicit, non ſolum identicè, ſed etiam formaliter ex natura rei, non eſſe ab alio tamquam à cauſa, cum quo tamen ſtat, vt virtualiter, & ratione noſtra, ſiue formaliter per intellectum diſtinguatur ab ipſa eſſentia Diuina; vt præcisè concepta, ſicut vice verſa.

Si dicas: de ratione entis Diuini eſt, vt ſit infinitum in genere entis; ſed relatio, tali modo ſumpta, non eſt infinita in genere entis; ergo non poteſt habere rationem entis Diuini. Reſp. eſſe infinitum ſtare dupliciter, ideſt ſimpliciter, vel in tali linea, ſeu ratione; & relationem Diuinam eſſe quidem identicè ſimpliciter infinitam, formaliter verò eſſe infinitam in tali ratione, paternitatis ſcilicet, filiationis, &c. vt de attributis etiam communiter dicitur.

Dices 6. Pater eſt eſſentialiter Deus; ſed paternitas, & Pater differunt ſolum in modo ſignificandi; ergo etiam paternitas, quantumuis præciſa, eſt eſsentialiter Deitas. Reſp. ly Pater, ſecundum communem loquendi vſum, aliquando ſumi pro conſtituto ex eſsentia, & relatione, aliquando verò pro ipſa relatione præcisè; ac proindè, ſi ſumatur primo modo, eſt eſsentialiter Deus; ſi verò ſumatur ſecundo modo, eſt ſolum identicè ipſa eſſentia, & Deitas; vtroque tamen modo eſt ſemper formaliter ens increatum, & independens, vt dictum eſt.

Dices 7. Eſsentia Diuina intimè imbibitur in ſingulis attributis; nam quodlibet attributum eſt infinitum: ergo etiam in relationibus. Reſp. negando primam partem antecedentis, ſi ſumatur prout ratione noſtra eſt ab illis contradiſtincta. Ad ſecundam. Reſp. quodlibet attributum eſse quidem identicè illimitatum ſimpliciter, ſed non formaliter; nam Sapientia ita dicit Sapientiam infinitam, vt ratione noſtra formaliter non dicat bonitatem, iuſtitiam, &c.

Dices 8. Eſsentia Diuina comparatur ad relationes, vt ens ad entia particularia, ſed ens intimè imbibitur in conceptu cuiuslibet

bet entis particularis; ergo & eſſentia Diuina in conceptu relationum. Reſp. iam ſupra eſſe aſſignatam differentiam entis in ordine ad inferiora, & eſſentiæ in ordine ad attributa, & relationes; conſequenter ad ibi dicta ſubiungo, negando paritatem, & dico, Eſſentiam, quatenus dicit naturam Diuinam, quæ eſt radix attributorum, & perſonalitatum, non includi intimè in iſtis, ſicut includitur conceptus entis in quolibet ſuo quantumuis minimo inferiori. Ratio eſt, quia ens dicit conceptum communiſſimum, ita neceſſariò incluſum, & imbibitum in quolibet inferiori, vt ſi non eſſet ita incluſum, eſſet verum affirmare de illo, quod ſit aliquid, & non ſit ens, quod lumini naturali repugnat. Eſſentia verò Diuina, noſtro concipiendi modo, eſt veluti fundamentum aliorum; & conſequenter, noſtro illo modo ſumpta, habet conceptum diuerſum à conceptibus relationum.

Dices 9. Quæ ita diſtinguuntur, vt neutrum includat alterum in ſuo conceptu, diſtinguuntur formaliter ex natura rei; ſed extra Scholam Scotiſtarum non admittitur talis diſtinctio inter eſſentiam, & relationes; ergo neceſſè eſt, vt in conceptu vnius includatur alterum, ſaltem implicitè. Reſp. illud gratis aſſumi à Suarez, & habere apertam iſtantiam in ſententia Thomiſtarum in animalitate, & rationalitate, quarum neutra alteram includit; & in communi ſententia de paternitate, & ſpiratione actiua, in quibus conceptus vnius non includit conceptum alterius.

Dices 10. cum Henrico. Nulla ratio refert aliquid ad aliud, niſi ratione alicuius abſoluti, ratione cuius relatio ineſt ſubiecto, ita vt relatio nullam addat realitatem ſupra illud abſolutum: relatio autem Diuina refert vnam perſonam ad aliam; ergo ratione alicuius abſoluti, ex quo habeat rationem *in*: nihil autem eſt in Deo abſolutum, præter eſſentiam; ergo relatio illam includit in ſuo conceptu. Reſp. Vaſquez Diſput.121. cap. 3. relationem quidem eſſe in ſubiecto, vt videmus in creaturis, ſed in Deo, in quo non dantur accidentia (ſaltem phyſica) concipi nihilominus à nobis per modum inhærentis, & ita vnicuique relationi ſuo modo competere rationem *in*, & rationem *ad*, hoc eſt, aut realiter, aut noſtro modo concipiendi: verum rationem illam *in* non eſſe abſolutam, vt falsò ſupponit Henricus; ſed aut ab-

abſtrahi ab abſoluta, & reſpectiua, aut, quod verius ipſe putat, eſse eamdem cum ratione *ad*, neque ab ea diuerſa, niſi ſolo nomine: eo quod accidens, ſicuti ens, analogicè de nouem prædicamentis dicatur: & ita ratio *in* proximè ſignificet nouem rationes prædicamentorum; & propterea rationem *ad* ſine ratione *in* nullo modo poſse cogitari; & ſic relatio Diuina noſtro more intelligendi concipitur, vt quid inhærens eſsentiæ, & inde dicitur habere rationem *in*: ſed, cum intelligatur, vt inhærens eſsentiæ, non poteſt includere in ſuo conceptu ipſam eſſentiam, vt iam fusè ſupra probatum eſt; nec ratio illa *in* Diuinæ relationis eſse poteſt Eſſentia Diuina, ſed aliquid præter eam in noſtra cogitatione. Hoc eò magis verum cenſeo, quod in philoſophia rationali in cap. 8. prædicamentorum, in quo explicatur relatio, pag. 297. dixi, relationem, ſumptam ſecundum illud, quod præcisè dicit in recto, ſiue ſecundum id, quod eſt intrinſecum fundamento, virtualiter, & ratione ratiocinata ab eo diſtingui. Et præterea quia relationes iſtæ ſunt ſubſiſtentes, & tres ex illis formaliter conſtituentes tres ſubſiſtentias Diuinas, paternitas ſcilicet, filiatio, & ſpiratio paſſiua; quas ſubſiſtentias certum eſt in ſuo conceptu contradiſtingui ab ipſa Diuina Eſſentia; Hæc enim eſt communicabilis: illæ verò ſunt incommunicabiles.

AXIOMA QVARTVM.

Quomodo Relationes Diuinæ dicant perfectionem.

Ex Lib. 6. de Trinit. Cap. 8.

IN ipſo Deo cum adhæret æquali Patri Filius æqualis, aut Spiritus Sanctus Patri, & Filio æqualis, non fit maior Deus, quam ſinguli eorum, quia non eſt quo creſcat illa perfectio. Perfectus autem ſiue Pater, ſiue Filius, ſiue Spiritus Sanctus, & perfectus Deus, Pater,

ter, & Filius, & Spiritus Sanctus, & ideò Trinitas potius, quam triplex.

DVBIVM IV.

An relationes Diuinæ addant aliquam perfectionem relatiuam ad eſſentiam, & quomodo.

SEnſus difficultatis eſt: an ſicut communiter dicitur attributa Diuina addere ad eſſentiam perfectionem aliquam abſolutam, virtualiter diſtinctam à perfectione eſſentiæ, ita etiam relationes, præter abſolutam perfectionem eſſentiæ, inſuper ratione conceptus relatiui, dicant perfectionem aliquam relatiuam, virtualiter diſtinctam à perfectione eſſentiæ: vel ſolum importent perfectionem abſolutam eſſentiæ. Duæ ſunt de hoc puncto ſententiæ.

Negatiua in Schola Diu.Thom. eſt communior, quam ferè omnes Thomiſtæ antiquiores conſtanter tenuerunt, & ex nouiſſimis ſubſcribunt PP. Salmaticenſes Diſput. 6. de hoc myſterio, P. Ioannes à S.Thoma, & P. Ioan. Baptiſta Gonet Tomo 5.Diſput.3. artic.1.§.1. Extra Scholam S.Tho. eam tuetur Scotus in 3. diſtinct.1. quæſt. 1. & 4. & ex profeſso quodlibeto 5. artic. 1. & 2. Durandus in 3. diſtinct. 1. quæſt. 3. num. 13.

Affirmatiuam ex antiquis DD. tenuerunt Okamus, & Gabriel in 1.diſtinct.7. quæſt.3. artic.3. Aureolus in 1. diſtinct. 19. artic. 3. Ex recentioribus Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 9. & 10. Granado Tomo 3. Diſput.5. ſect.2. Valentia, Arrubal, & Ruitz. Ex Thomiſtis Ledeſma de Diuina Perfectione quæſt.3. artic.2. & Gonzales Diſput. 6. de Trinit. ſect. 1. In hac quæſtione plura puncta à recentioribus ſolent pertractari. Primo quidem: an Diuinæ relationes in ſuo conceptu formali dicant ſpecialem perfectionem, ab eſſentia Diuina diſtinctam. Secundo, poſito, quod dicant: an ea ſit finita, vel infinita. Tertio an ſimpliciter ſimplicem. Quarto an poſſint dici

tres

tres perfectiones relatiuæ. Quinto an ſecundum propriam rationem dicendæ ſint inter ſe omninò æquales in perfectione. Sexto an quælibet Diuina Perſona habeat in ſe formaliter omnem perfectionem, etiam ex relatiuis alterius. Totidem concluſionibus ſingula proſequar. Propterea.

Dico 1. Diuinas relationes in ſuo conceptu formali dicere ſpecialem perfectionem; diſtinctam ab eſſentia Diuina. Pro hac ſententia citatur S. Hilarius lib.6. de Trinit. & S. P. Epiſt.173. & 178. Probatur primo. Quia Perfectio entitatiua (de qua quæritur) eſt illa, quæ in ſuo conceptu formali exprimit actualitatem entis, vt conſumatam, & cui nihil deſit, vel per modum totius integri conſumati, vel per modum partis, vel quaſi partis adintegrantis, requiſitæ ad conſumationem, & abſolutionem totius; ſed relationes Diuinæ ſe habent ſaltem ſecundo modo; licet enim verè non ſint partes, ſe habent tamen per modum quaſi partis: ergo dicunt ſpecialem rationem perfectionis. Maior admittitur communiter etiam à Philoſophis, & patet ex dictis in Axiomatibus Metaphyſicis S. P. Cap. 12. Vbi de bono, & perfecto egi à pag.312. Minor probatur. Quia relationes Diuinæ, licet non dicant totam Deitatem, & quaſi integrum, & abſolutum eſſe Diuinum, ſunt tamen aliquid per modum veluti partium, deſeruiens in ordine ad conſumatum, & integrum eſſe Diuinum.

Probatur 2. Quia relationes Diuinæ verè ſunt entia realia, & in ſuo conceptu veram entis realis rationem habent, tam ſecundum eſſe *in*, quam ſecundum eſſe *ad*; ergo & ſpecialis bonitatis, & conuenientiæ rationem, quæ eſt paſſio entis; ergo etiam ſpecialem perfectionem, quæ eſt inſeparabilis ab ipſa entitate, & bonitate; omnis enim entitas, quæ habet eſſe reale, eſt integra, & conſumata in ſua ratione, ſaltem quoad ſua prædicata quidditatiua, ſine quibus non poſſet eſſe vera entitas realis, nec talis entitas, in quo conſiſtit perfectio entitatiua, de qua in præſenti diſputamus.

Confirmatur. Quia ſaltem de tribus Diuinis relationibus negari non poteſt, quin in ſuo conceptu formali importent veram rationem talis entis realis, qualis eſt ſubſiſtentia Diuina; ſed ſubſiſtentia neceſſariò dicit ſpecialem perfectionem; ergo, &c. Probatur minor. Quia in creatis

certum eſt perfectius eſſe ſubſiſtere, quam non ſubſiſtere, ergo à fortiori in Diuinis: & propterea humanitas Chriſti Domini maximam perfectionem habet à ſubſiſtentia Verbi, per quam ipſa humanitas ſubſiſtit, & qua Verbum Diuinum terminat ipſam naturam humanam, quam vtique perfectionem non poſſet Verbum communicare, niſi ipſum in ſuo conceptu formali eſſet talis perfectio: nemo enim dat quod non habet.

Probatur 3. Quia ſi relationes iſtæ non eſſent perfectiones in ſe, & in ſuo conceptu quidditatiuo, nec etiam poſſent eſſe perfectiones entitatis Diuinæ, imò eſſent imperfectiones illius; atqui hoc eſſet ſummè inconueniens; ergo, &c. Probatur ſequela maioris; nam vel iſtæ relationes ſunt conuenientes entitati Diuinæ, vel non ſunt conuenientes; neque enim poteſt hic dari medium, cum verſemur inter contradictoria. Si dicatur primum; ergo ſunt perfectiones; nam quidquid eſt conueniens ſubiecto, eo ipſo eſt illius perfectio, ſiue ſit conueniens illi, tanquam ſubiecto phyſico, ſiue tanquam ſubiecto metaphyſico, ſiue prædicationis, vt fert communis opinio: ſiue dicatur hanc conuenientiam eſſe quidditatem, ſiue paſſionem perfectionis: licet enim, iuxta mea principia, perfectio quidditatiua non conſiſtat in conuenientia vniuerſaliter loquendo, nihilominus certum eſt, quidquid eſt conueniens alicui, vt ſubiecto, eſſe perfectionem illius. Si ſecundum, iam manifeſtè ſequeretur eſſe imperfectiones illius; nam quidquid non congruit, aut conuenit ſubiecto, in quo eſt, eo ipſo eſt illius imperfectio. Ne igitur admittatur in Deo tale abſurdum, detur huiuſmodi relationes eſſe, & dicere in ſuo conceptu formali ſpecialem perfectionem.

Ex prædicto argumento deducunt aliqui in confirmationem noſtræ aſſertionis, quod abſque Diuinis relationibus, nec Pater eſſet perfectus Pater, ſed potius imperfectus Deus, nec ipſa Diuina natura eſſet perfecta, ſed imperfecta. Prima pars huius illationis probatur; quia deficiente paternitate in Patre, vel in Deo, nec eſſet fœcundus; nec poſſet generare; eſto enim natura Diuina, ſeu Diuinus intellectus ſit potentia proxima generatiua, nihilominus complementum huius potentiæ prouenit à relatione, vt eſt clarum, & in confeſſo apud Theologos. Eſſe autem

Deum

Deum infœcundum, & impotentem, eſt idem, ac non eſſe perfectum Deum; imò & non eſſe Patrem: nam deficiente paternitate non eſſet actualis generatio, ſeu proceſſio actiua; & conſequenter non eſſet terminus generationis, ideſt Filius, ideòque nec Pater. Secunda pars probatur, quia, deficientibus Diuinis relationibus, natura Diuina non exiſteret ſub omnibus modis, quibus poteſt exiſtere; & deeſſet illi Trinitas, quæ eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Si dicas, ex hoc ſequi Patrem indigere Filio, & Spiritu Sancto ad ſui perfectionem. Reſp. negando illationem, eo quod indigentia importet imperfectiones alienas ab eſſe Diuino. Primò enim indigentia dicit, vt aliquis in ſe ipſo, & à ſe ipſo non habeat omne requiſitum ad ſui perfectionem, ſed debeat illud accipere, & quaſi mutuare ab aliena ſubſtantia, & eſſentia diſtincta. Secundo requirit diſtinctionem propriam cauſæ, & effectus; & conſequenter dependentiam, & extrema diſtincta in eſſentia. Hæc omnia longè abſunt à Diuinis, in quibus admittitur quidem exigentia, quo pacto actus Diuinæ ſcientiæ, & voluntatis exigunt obiecta creata, in quæ tendunt, non tamen poſſunt dici illis indigere; non verò indigentia, quæ eſt ab illa diuerſa, vt patet.

Dico 2. Relationes Diuinas eſſe perfectiones infinitas, non quidem in genere entis abſolutè, quæ eſt primaria ratio eſſendi à ſe; nam hac ratione ſola Diuina eſſentia poteſt dici infinita perfectio, ſed ſecundum propriam lineam, & quatenus rationes eſſendi à ſe, non primariò, ſed ſecundariò.

Concluſio hæc, ſic explicata, probatur. Relationes Diuinæ ſecundum propriam rationem includunt rationem entis à ſe, licet ſecundariam; ergo includunt perfectionem infinitam in propria linea. De antecedenti non eſt dubium; quemadmodum enim ratio entis ab alio includitur in quacunque ratione entis creati; ita ratio entis à ſe, quæ includit eſſentialiter negationem cuiuſcumque cauſæ propriè dictæ, ſic debet tranſcendere Diuinam entitatem, vt in quacumque illius ratione formali includatur. Conſequentia ergo probatur ex eo, quod ratio entis à ſe, cùm eſſentialiter importet negationem cuiuſcumque cauſæ, vt dictum eſt, quæ poſſit perfectionem limitare, eſſentialiter includit infinitatem, & perfectionem, ſine limite, & menſura. In tantum enim

ens ab alio eſt finitum, in quantum eſſentialiter reſpicit cauſam, quæ poteſt limitem, & menſuram perfectioni eius præfigere.

Probatur 2. à pari. Quia in tantum Attributa Diuina ſecundum proprias lineas ſunt perfectiones infinitæ, in quantum includunt rationem entis à ſe, licet ſecundariam, nam eo ipſo, quod vnumquodque ſecundum propriam lineam habet perfectionem ſine menſura, & limite, habet infinitudinem: ſed hoc idem habent relationes; ergo ſunt perfectiones infinitæ.

Probatur 3. Si Relationes Diuinæ non eſſent perfectiones infinitæ ſecundum propriam lineam, eſſent finitæ; nam in ente inter hæc duo extrema non datur medium; quodlibet enim ens aut eſt formaliter finitum, aut eſt non finitum, quod eſt omninò idem, ac eſſe infinitum; ſed repugnat relationes illas eſſe formaliter finitas; ergo neceſsè eſt omninò eas eſſe infinitas.

Reſpondet Vaſquez, relationes Diuinas, vt ab eſſentia præciſas, neque eſſe finitas, neque infinitas, ſed præſcindere: eo quod nihil prohibeat, quod à nobis cogitentur, vt relationes, & concipiantur neque vt finitæ, neque vt infinitæ: ac proindè vt cogitatione noſtra neque vnum, neque alterum habeant, eſto re ipſa à parte rei, ratione eſſentiæ, cum qua ſunt vnum, & idem, ſint perfectiones infinitæ.

Sed contra hanc reſponſionem ſtat primo, quod licet quodlibet ens poſſit præſcindi imperfectè à finitudine, & infinitudine, non tamen poteſt præſcindi perfectè, ficut non poteſt præſcindi perfectè ens ab eſſe à ſe, & ab eſſe ab alio, & ab eſſe per ſe, & ab eſſe in alio; explicando enim conceptum confuſum cuiuslibet per ſingula prædicata, quæ implicitè continet, neceſsè eſt tandem determinare, an ille conceptus præciſus ſit entitatis finitæ, vel infinitæ: & hoc non ſolum identicè, ſed etiam formaliter; nam de ratione formali cuiuſque entitatis, quantumuis præciſæ, eſt, vel eſſe finitam, vel infinitam formaliter; ſicut de ratione cuiuſque entitatis, quantumuis præciſæ, eſt, vel eſſe à ſe, vel eſſe ab alio. Stat ſecundo, contra prædictam Reſponſionem. Quod tres ex iſtis Diuinis relationibus ſunt conſtitutiuæ trium Perſonarum infinitarum; ſunt enim perſonalitates, & ſubſiſtentiæ, & hoc non ſolum identicè, ſed etiam formaliter: nam conſtituunt infinitum Patrem,

Digitized by Google

trem, infinitum Verbum, & infinitum Amorem notionalem; ſed Perſonæ Diuinæ ſub hac ratione non poſſent eſſe formaliter infinitæ, niſi relationes, quæ illas conſtituunt, eſſent & ipſæ formaliter infinitæ: ergo, &c. Stat tertio, quod illæ relationes terminant naturam Diuinam infinitam, & comparantur cum illa, tamquam modi, & perfectiones, non finitè; ergo infinitè.

Dices iterum cum eodem Vaſquez; huiuſmodi relationes non poſſe aliundè habere infinitudinem, niſi ex terminis, ad quos referuntur, qui termini, cum non ſint infiniti, nec etiam poſſunt conſtituere infinitas relationes. Supponit hæc ratio illud vulgatum axioma: Relationes ſpecificantur à termino. Reſp. nihilominus relationes Diuinas etiam aliundè, quam à terminis, habere infinitudines ſuas; ex eo nempè, quod ſint ens à ſe modo ſupra explicato; & præterea ex eo, quod ſunt ſubſiſtentiæ, & Perſonalitates Diuinæ intrinſecè, & non dependenter à terminis; præter quam quod falſiſſimum eſt, terminos ipſos, ideſt perſonas, ad quas referuntur, non eſſe infinitas; nam & Verbum Diuinum, quatenus verbum eſt; & Amor ſpiratus, qua talis eſt, ſunt perſonæ infinitæ.

Scotus, qui iecit fundamenta doctrinæ Vaſquez, ex eo infert relationes non poſſe eſſe perfectiones infinitas, quod ſi paternitas, exempli gratia, deberet eſſe perfectio infinita in genere relatiuo; deberet in ſe continere perfectionem filiationis, & ſpirationis, nec dum actiuæ, ſed etiam paſſiuæ; alioquin non poſſet eſſe infinita in genere relationis Diuinæ. Verum, ex eiuſdem Scoti doctrina, iſte ipſius diſcurſus redargui poteſt; concedit enim ipſe Attributa Dei ex natura rei inter ſe diſtingui, & ſingula in propria linea eſſe infinita; quia infinitudo vniuſcuiuſque non extrahit illud extra ſuum genus, ſed in genere ſuo reddit infinitum, ita vt infinita perfectio Sapientiæ non contineat formaliter ex natura rei infinitam perfectionem voluntatis; ergo, licet aſſeramus, paternitatem eſſe perfectionem infinitam, non tamen propterea debemus aſſerere, quod ſibi identificet perfectionem filiationis; nam ad hoc vt ſit infinita, ſufficit, ſi contineat infinitudinem in propria linea, ideſt in genere paternitatis; quemadmodum in ratione abſoluti, ad hoc vt Sapientia ſit infinita, ſatis eſt, ſi in

ſuo

Digitized by Google

ſuo genere ſit talis, licet non ſit talis in genere Amoris.

Dico 3. Relationes prædictas in Deo eſſe perfectiones ſimpliciter ſimplices. Probatur. Quia quælibet relatio ex illis in ſe ipſa melior, & perfectior eſt, & Deo conuenientior, quam quæuis alia forma oppoſita, quæ in Deo induceret negationem relation is illius, per quam Deus non eſſet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Dices: paternitas non eſt melior filiatione, quæ non eſt ipſa paternitas; ergo non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Reſp. hoc non obſtare, quo minus ſit talis; nam exceſſus perfectionis ſimpliciter ſimplicis non exigit eſſe ſupra omnem aliam perfectionem, quæ non ſit ipſa, ſed ſupra omnem aliam oppoſitam, quæ in ſuo ſubiecto afferret negationem illius: quo pacto vna relatio non comparatur cum alia: quia licet inter ſe opponantur, ſunt tamen compoſſibiles in vno Deo.

Dices: eidem Perſonæ, v. g. Filio filiatio inducit negationem paternitatis; ergo paternitas reſpectu illius non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & vice verſa. Reſp. ſubiectum, cui comparatur relatio in Deo, vt dici poſſit perfectio ſimpliciter ſimplex, non eſſe perſonam, ſed naturam Diuinam, ſiue Deum, qui continet in ſe formaliter tres relationes; cui procul dubiò melius eſt eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quam eſſe cuiuſuis alterius formæ oppoſitæ, quæ in Deo induceret negationem relationum. Præterea, cum in vnaquaque Perſona ſit omnis alia per admirabilem circum inſeſſionem; ideò, quamuis in Filio non ſit paternitas per identitatem, eſt tamen cum illo alio perfectiſſimo modo, ideſt per identitatem cum eſſentia, quæ eſt communis omnibus perſonis; ideòque paternitas non inducit negationem filiationis in eodem ſubiecto, neque eſt cauſa, vt Filius non ſit; ſed optimè inuicem in eodem ſubiecto, modo explicato, compatiuntur.

Dico 4. Relationes Diuinas poſſe rectè dici tres perfectiones relatiuas, quod ſic probatur. Quidquid prædicatur de relatione ſecundum propriam rationem formalem, prout eſt ab eſſentia diſtincta, multiplicatur, ſicut relationes ipſæ multiplicantur; ſed perfectio ita prædicatur de relatione; ergo multiplicatur iuxta numerum relationum. Probatur maior; quia ideò multiplicamus entitatem,

tem, vnitatem, &c. quia dicuntur de relatione ſecundum propriam rationem formalem, vt ab eſſentia diſtincta, & ſunt prædicata traſcendentalia; & propterea in linea relationis dicimus tres entitates, tres vnitates, tres ſubſiſtentias relatiuas,&c. Probatur ſecundo, quia quælibet relatio habet perfectionem ſibi propriam, & realiter diſtinctam à perfectione alterius relationis, à qua realiter contradiſtinguitur; ergo ſicut ſunt tres relationes, quæ hoc modo diſtinguuntur, ita ſunt etiam tres perfectiones; Agimus enim hic de perfectione entitatiua, quæ eſt ipſa bonitas tranſcendentalis, quæ, ſicuti eſt paſſio entis realis, ita multiplicatur, multiplicato ipſo ente reali; quapropter ſicut ens reale multiplicatur in relationibus, quia quælibet habet propriam entitatem diſtinctam ab entitate alterius, ita neceſsè eſt, vt multiplicetur bonitas, & perfectio, itaut vnaquæque ex illis tribus relationibus habeat propriam bonitatem, & perfectionem diſtinctam realiter à bonitate alterius.

Si quæras, an huiuſmodi relationes debeant dici tres perfectiones, ſumpta perfectione ſecundum illam vulgatam acceptionem, ideſt pro eo, quod eſt conueniens, & pertinet ad integritatem rei, vt ipſum perficiens; Aliqui negant. Nos cum affirmantibus ſentimus, & ſic probamus. Vnaquæque relatio maximè conueniens eſt Perſonæ, quam conſtituit: & ſingulæ habent ſingulas conuenientias inter ſe diſtinctas; conuenientia enim, quam habet paternitas reſpectu Patris, eſt diſtincta à conuenientia, quam habet filiatio reſpectu Filij; ergo, &c.

Probatur 2. Quia conſtitutiua Perſonarum, quatenus talia ſunt, pertinent ad integritatem Perſonarum, & conſequenter ſunt earum perfectiones, ſunt tria conſtitutiua perſonarum; ergo ſunt tres perfectiones.

Sed Vaſquez opponit: Ad perfectionem in hac acceptione neceſſariò requiri realem diſtinctionem ab eo, cuius eſt perfectio; eo quod hæc ratio perfectionis conſiſtat in reſpectu conuenientiæ, quo vnum dicitur conueniens alteri, qui reſpectus non poteſt eſſe ſolum rationis: quapropter, cum relatio in Deo non differat realiter à natura, vel perſona, concludit non poſſe dici realem perfectionem Naturæ, vel Perſonæ. Confirmat hoc totum ex eo, quod hoc modo integrare importat ordinem

inter

inter rem integrantem, & integratam, qui ordo non poteſt eſſe inter relationem, & Deum, eo quod non ſit inter extrema realiter diſtincta, quod iuxta ipſius principia requiritur, ad hoc, vt poſſit dici aliquid integrare realiter.

Reſp. fundamentum Vaſquez non ſubſiſtere; nam attributa Diuina ſunt perfectiones reales Dei, quamuis ab illo non diſtinguantur realiter; & in nobis gradus rationalis eſt maxima perfectio naturæ humanæ, eſto ab illa non diſtinguatur realiter. Vnde ad confirmationem. Reſp. relationem Diuinam realiter integrare naturam, & Perſonam; eſto realiter ab illis non diſtinguatur: cum ad hoc ſufficiat, quod re ipſa eſt, vt ita poſſimus enunciare, quamuis ille ordo ſit ſolum rationis; quemadmodum verè dicimus relationem realiter identificari cum eſſentia, quamuis relatio identitatis non ſit realis, ſed rationis.

Ex his clarum manet in hoc puncto difficultatis, qui eſt de modo loquendi, nullum eſſe ſcrupulum aſſerere, eſſe tres perfectiones relatiuas; nam & ipſe Vaſquez, licet ſit in oppoſita ſententia, nihilominus Cap. 7. cit. Diſput. num. 27. concedit, ſi abſit ſcandalum, & rectè intelligatur, quod dicitur, ſecundum proprietatem ſermonis, dici poſſe eſſe in Deo tres vnitates, ſicut dicitur eſſe numerus ternarius. Nam & Concilium Rhemenſe, cui interfuit S. Bernardus, in ſuo decreto concedit tres res, tres ſingularitates, tres vnitates, dummodo dicamus eas eſſe omninò idem cum eſſentia, & ipſo Deo. De veritate, loquendo de ea, quæ eſt paſſio entis, idem admittit: ac proindè conſequenter loquendo, etiam de perfectione entitatiua, quæ eſt idem formaliter cum ipſa bonitate traſcendentali, quæ eſt & ipſa paſſio entis, vt ipſe docet, hoc deberet concedere; vel ſaltem aſſignare maiorem rationem, cur de illis concedat, non verò de ipſa perfectione, ſeu bonitate, prout concedunt plures, & eruditiſſimi DD. tam moderni, quam antiqui.

Dico 5. tres Diuinas relationes, ſecundum propriam rationem eſſe inter ſe omninò æquales. Concluſio iſta ſequitur ex prædictis, & ſic probatur. Quælibet ex Diuinis relationibus eſt entitas infinitè perfecta etiam ſecundum propriam rationem; ergo ſunt omninò inter ſe æquales; infinitas enim non admittit

inæ-

inæqualitatem, & maximè in entitatibus Diuinis, in quibus non poteſt aſſignari à quo limitentur nec materialiter, nec formaliter.

Contra hanc doctrinam arguunt primo Doctores illi, qui cenſent, relationes in Deo, ſecundum propriam rationem formalem, non dicere perfectionem, ſic. Si relationes Diuinæ eſſent tres perfectiones infinitæ, inter ſe realiter diſtinctæ, rectè poſſet dici tres Perſonas Diuinas, illis relationibus conſtitutas, aliquid maius, & perfectius continere, eſto quælibet eſſet infinita, quam contineat vnica ſola; ſed hoc non benè ſonat: ergo, &c. Sequela maioris ſic probatur. Vnica perſona v. g. Pater non habet alias duas relationes, quæ ſunt in alijs duabus perſonis, cum non identificet ſibi, neque filiationem, neque ſpirationem paſſiuam; ergo non eſt ita perfecta vna perſona, ſicut ſunt omnes tres ſimul.

Reſp. communiter huic argumento. Perfectiones illas relatiuas contineri eminenter in Eſſentia, propter eius infinitam fœcunditatem, ac proindè, ſicut quælibet Perſona gaudet eadem omninò eſſentia, ita gaudebit etiam omni alia perfectione relatiua, quæ eſt in alijs perſonis.

Contra hanc Reſponſionem ſtat, quod hic agimus de relationibus Diuinis, vt dicunt ſpecialem perfectionem multiplicatam proportionaliter in tribus Perſonis, & quatenus vna eſt contradiſtincta ab altera. Quo poſito, ex data reſponſione ſequerentur duo inconuenientia. Primum eſt, quod adhuc quælibet relatio ſecundum ſpecialem perfectionem, quam importat in recto, & prout eſt contradiſtincta ab eſſentia, eſſet inæqualis reſpectu perfectionum, quas aliæ relationes important in recto: nam duæ relationes excedunt vnicam vna relatione, & conſequenter vna perfectione. Alterum inconueniens eſt, quod perfectio propria relationum, eo quod relatiua eſt, eſſet inæqualis reſpectu perfectionis eſſentiæ; cum hæc ſit perfectio abſoluta: & ſic diceretur maioritas, & minoritas in perfectionibus Diuinis; vndè neceſſariò ſequeretur inæqualitas. Cum enim Diuinæ perfectiones ad inſtar ſpecierum differant, & ſpecies ſint veluti numeri, conſequenter eſſent inæquales.

Reſp. tamen, quod etiam ſumptis eo modo relationibus, adhuc nullum ex dictis inconuenien-

nientibus ſequitur. Nam, quoad primum, exceſſus ille non habet locum in infinitatibus, quia, vt eſt in confeſſo apud philoſophos, etiam in quantitate molis, ſeu corporea, quodlibet infinitum continet infinitas infinitates, & conſequenter vnicum infinitum æquiualet infinitis infinitatibus; quanto magis hoc habebit locum, vbi eſt ſolum quantitas virtutis, & conſequenter, vna tantumdem habebit, quantum duæ, imò quantum tres ſimul; vt ex illis tribus globulis glorioſiſſimis, (repertis in corde noſtræ Beatæ Claræ de Monte Falco, repræſentantibus hoc altiſſimum Myſterium) deprehenditur, ex quibus vnuſquiſque tantum ponderis habet, quantum omnes tres ſimul.

Pulchrè Explicauit hoc S. P. lib. 3. contra Maximinum Epiſcopum Arrianorum, ſic. *In Trinitate ergo, quæ Deus eſt, & Pater Deus eſt, & Filius Deus eſt, & Spiritus Sanctus Deus eſt, & ſimul hi tres vnus Deus: nec huius Trinitatis tertia pars eſt vnus, nec maior pars duo, quam vnus eſt ibi: nec maius aliquid ſunt omnes, quam ſinguli, quia ſpiritalis hæc, non corporalis eſt magnitudo. Qui poteſt capere capiat: qui autem non poteſt, credat, & oret, vt, quod credit, intelligat*. Ex hac doctrina S. P. ſatis plauſibili in ſcholis, ſequitur Trinitatem Perſonarum collectiuè, non eſſe magis perfectam, quam ſingulas Perſonas diuiſiuè. Hæc ſequela, vltra prædicta à SS. PP. infertur ex vnitate eſſentiæ, communis omnibus Perſonis, quam ſic placet in præſenti explicare. Perfectio, quæ poſita eſt in integritate Dei, & conſurgit in eo ex omnibus, tam abſolutis, quam relatiuis, quæ in Deo formaliter reperiuntur, eſt vnica, & communis Deo, & ſingulis Perſonis diuiſiuè, ac etiam omnibus collectiuè ſumptis; ergo ab hac perfectione, in qua poſita eſt tota diuinitatis plenitudo, Deus, & ſingulæ perſonæ diuiſiuè, & omnes ſimul collectiuè dicuntur æquè inter ſe perfectæ; atque adeò tres Perſonæ ſimul non poterunt dici magis perfectæ, quam ſingulæ diuiſiuè: & Pater ſeorſim acceptus æquè perfectus erit, ac tota Trinitas; cum totam ipſam plenitudinem perfectionis Diuinæ formaliter in ſe habeat: quæ perfectionis plenitudo conuenit Perſonis ratione eſſentiæ communis, vt dictum eſt. Hanc rationem adduxit Caſpenſis Tract. de Trinit. Diſp. 2. ſect. 4. membro 7. num. 108.

Si dicas: Id quod excedit aliud

Digitized by Google

aliud in aliqua perfectione, habet in ſe aliquid maius, & plus perfectionis, quam illud; ſed tres perſonæ collectiuè excedunt Patrem in duplici perfectione; ergo &c. Reſpondet, tres Perſonas, ſimul comparatas cum Patre, ſecundum id tantum, quod affertur in recto, excedere quidem illam in duplici perfectione, ideſt filiatione, & ſpiratione, quæ non affertur in recto à Patre, ſicut affertur in recto à tribus Perſonis collectiuè; Verum ſecundum id, quod quouis modo formaliter affert, ſiue in recto, ſiue in obliquo, tres Perſonas collectiuè non excedere Patrem in aliqua perfectione, eo quod filiatio ipſa, & ſpiratio formaliter, licet in obliquo, affertur à Patre tamquam ſui perfectio per mirabilem circuminſeſſionem.

Si replices: ſemper aliquam maiorem perfectionem dicunt tres perfectiones æquales, quam vnica perfectio; ſed tres perſonæ collectiuè ſunt tres perfectiones; & vna perſona eſt vna tantum perfectio; ergo &c. Reſpondet: diſtinguendam eſſe maiorem; ita vt dicamus, tres perfectiones omninò æquales inter ſe non eſſe maiorem aliquam perfectionem intenſiuè, ſed tantum dici poſſe maiorem perfectionem extenſiuè, quatenus numerus perfectionum excedit vnitatem perfectionis.

Puto tamen, huic reſponſioni eſſe addendum; hoc habere locum ſolum in entibus, ſeu entitatibus infinitis: nam in entibus finitis, quando perfectiones ſunt æquales non ſolum extenſiuè, ſed etiam intenſiuè, maiorem perfectionem dicunt tres, quam vnica tantum. Quoad ſecundum verò, in quo confertur eſſentia Diuina præciſè ſumpta cum relationibus præciſè ſumptis: Reſp. non eſſe nouum in ſcholis, quod eſſentia Diuina, ſic accepta, iudicetur ſimpliciter perfectior, non ſolum qualibet relatione, ſed etiam omnibus tribus ſimul ſumptis: Conceptus enim Diuinæ eſſentiæ dicit formaliter in recto ipſam naturam Diuinam radicem, vel, vt alij loquuntur, mare, ſeu rationem à priori omnium perfectionum attributalium, & relationum Diuinarum, quas exigit vt ſibi intrinſecas, & quas continet eminenter; & quælibet relatio Diuina, imò, & omnes ſimul ſumptæ ſolum in recto, formaliter dicunt propriam entitatem relatiuam; & quaſi ſupponunt ipſam naturam Diuinam, vt rationes poſteriores, ad illam conſequentes, quæ illam non

continent eminenter. Verum neque hinc ſequitur inæqualitas propriè dicta, tum quia talis inæqualitas requirit extrema, inter quæ ſit comparatio, realiter diſtincta, vt patet ex æqualitate, & inæqualitate, quæ eſt inter corpora; & natura Diuina non eſt realiter diſtincta à prædictis relationibus: tum quia in entitatibus infinitis non datur exceſſus ſufficiens ad inæqualitatem propriè dictam, vt iam dictum eſt. Ad illud de ſpeciebus: Reſp. (quidquid ſit de illo axiomate, quod non admittitur ab omnibus, vt omninò certum) tale principium non habere locum in Diuinis, vbi non reperitur nec propria ratio generis, nec ſpeciei.

Dico 6. Quamlibet Diuinam Perſonam formaliter in ſe habere omnem perfectionem, etiam ex relatiuis alterius, non ſolum ſecundum eſſentiam communem omnibus tribus, ſed etiam ſecundum perſonalem proprietatem, ita vt vna relatio in alia relatione formaliter exiſtat. De hoc puncto eſt neceſsè determinare in præſenti; eo quod alterum ex potiſſimis fundamentis eorum, qui docent Relationes Diuinas in ſuo conceptu formali non dicere perfectionem, eſt, quia ſequeretur vni Perſonæ deeſſe aliquam perfectionem, quæ eſt in alia; Et hoc probant illo ſyllogiſmo expoſitorio. *Paternitas non conuenit Filio, paternitas eſt aliqua Diuina perfectio: ergo aliqua Diuina perfectio non conuenit Filio*. Et, cum ex alia parte, omnes ſcholæ Theologorum conueniant in hoc, quod nulla eſt perfectio in vna perſona, quæ non ſit in alia, neceſsè eſt probare, & explicare propoſitam quæſtionem. Quod ſic præſto.

Primo quoad primam partem Concluſionis: Catholica Fides docet, Diuinas perſonas eſſe in ſe innicem; ita vt Pater in Filio, & Filius in Patre, & vterque in Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus in vtroque eſſe dicatur; Quam mutuam inexiſtentiam Theologi circuminſeſſionem dicunt; & eſt idem, ac ſi dicatur, vnam in alia ſedere; hoc autem eſt idem, ac vnam perſonam habere in ſe omnem perfectionem perſonalem, & relatiuam alterius, ſiue aliarum; ergo &c. Maior probatur ex Sacra Scriptura Ioan. 10. ver. 38. *Vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & Ego in Patre*. Quod pulchrè explicat S. Thom. 1. par. quæſt. 42. artic. 1. docendo Patrem eſſe in Filio, & è conuerſo ſecundum eſſentiam,

rela-

relationem, & originem. Secundum eſſentiam, quia eſſentia Patris eſt in Filio, & Pater eſt ſua eſſentia, & eam communicat Filio; & eſſentia Filij eſt in Patre, & Filius eſt ſua eſſentia. Secundum relationem, quia vnum correlatiuum eſt in alio ſecundum intellectum. Secundum originem verò, quia proceſſio verbi intelligibilis non eſt aliquid extra, ſed manat in dicente, & quod verbo dicitur, in verbo continet; Quapropter modus iſte eſſendi in alio eſt omninò diuerſus ab illis octo, quos philoſophus lib. 4. Phyſic. enumerat.

Nec obſtat, quod Filius dicatur procedere, & exire à Patre, & habere cum eo oppoſitionem relatiuam; nam exitus ille eſt ſolum ſecundum diſtinctionem realem relationum, & Perſonarum, non verò ſecundum aliquam eſſentialem diſtantiam. Nec etiam obſtat illa oppoſitio relatiua, neque enim vnus opponitur alteri ſecundum eſſentiam, quod ſufficit ad hoc, vt vnus poſſit eſſe in alio etiam ſecundum relationem, vt dictum eſt. Sic Philoſophatur ibi S. Thom. cuius doctrina applicari debet etiam Spiritui Sancto.

Si opponas: etiam in nobis eſt Deus, & nos ſumus in eo, & tamen non poteſt dici, nos habere in nobis formaliter omnem perfectionem Diuinam; ergo nec etiam benè infertur hoc in Diuinis ex illa inexiſtentia. Reſp. S. P. N. Auguſtinus Tract. 48. in Ioan. explicando prædicta verba Euangeliſtæ, hoc modo. *Non ſic dicit Filius, in me eſt* Pater, *& ego in illo, quomodo poſſunt homines dicere. Si enim benè cogitemus; in Deo ſumus: & ſi benè viuamus, Deus in nobis eſt. Fideles, participantes eius gratiam, illuminati ab ipſo, in illo ſumus, & ipſe in nobis: ſed non ſic vnigenitus Filius. Ille in* Patre, *&* Pa*ter in illo tamquam æqualis in eo, cui eſt æqualis. Denique nos aliquando poſſumus dicere, in Deo ſumus, & Deus in nobis. Ego, & Deus vnum ſumus, numquid nos poſſumus dicere? in Deo es, quia Deus te continet: Deus eſt in te, quia templum Dei factus es, ſed numquid quia in Deo es, & Deus eſt in te, potes dicere; qui me videt, & Deum videt: quomodo Vnigenitus dixit, qui me videt, videt &* Patrem: *& ego, &* Pater *vnum ſumus? agnoſce proprium Domini: & munus ſerui. Proprium Domini eſt æqualitas* Patris: *munus ſerui eſt participatio Saluatoris.* Nihil clarius, aut verius. Certum igitur eſt, vnam perſonam ſecundum relatio-

tionem in alia eminenter contineri; cum quælibet formaliter contineat eſſentiam, & hæc in ſe eminenter contineat relationes aliarum Perſonarum, & vnaquæque ſit in alia etiam ſecundum relationem, & originem, vt infra dicetur, & per hæc, iam ſatis demonſtrata manet prima pars noſtræ aſſertionis.

Secunda pars habet ſpecialem difficultatem, ratione diſtinctionis realis, & oppoſitionis relatiuæ. Verum nihil horum obſtat, quominus verè dicatur, Diuinas perſonas eſſe in ſe ipſis inuicem formaliter, ſecundum relationem vniuſcuiuſque propriam; ita vt relatio vnius perſonæ in relatione alterius formaliter eſſe dicatur. Hoc non obſcurè indicauit S.P. & cum eo S. Thomas locis ſupra citatis; Cum quibus ſentiunt etiam S. Bonauentura in 1. diſtinct. 19. quæſt. 4. Scotus ibidem quæſt. 2. ex recentioribus Vaſquez tom. 2. in primam partem Diſput. 169. cap. 2. Montoya Diſput. 117. ſect. 4. & Caſpenſis in Tract. de Trinitate Diſput. 2, ſect. 4. num.95.

Probatur 1. auctoritate S. R. Eccleſiæ, quæ in hymno S. Ambroſij, quem concinit in laudibus feriæ ſecundæ, habet. *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater*. Si totus, non ergo ſolum ſecundum eſſentiam.

Probatur 2. ex Sancto Hilario, qui lib. 7. de Trinitate circa finem ait: *Ineſſe autem, non aliud in alio, vt corpus in corpore; ſed ita eſſe, ac ſubſiſtere, vt ſubſiſtens in ſubſiſtenti inſit, ita verè ineſſe, vt ipſe ſubſiſtat*. Si ergo vna perſona ineſt in alia, vt ſubſiſtens in ſubſiſtente, manet non ſolum ſecundum eſſentiam, ſed etiam ſecundum relationem, vnicuique perſonæ propriam, vnam perſonam eſſe formaliter in alia.

Probatur 3. ratione S. Thomæ loco citato; qui mutuam perſonarum inexiſtentiam ex ratione originis deducit, quia proceſſio verbi intelligibilis non eſt aliquid extra, ſed manet in dicente; quod eſt idem, ac dicere, quia eſt terminus operationis vitalis, quæ ex genere ſuo requirit immanentiam termini producti in producente, quod ſicut dicitur de Verbo, ſic etiam dicendum eſt de Spiritu Sancto, qui Amor productus eſt, & conſequenter exigens, ratione ſuæ formalis productionis, manere in ſuo principio producente. Cum autem principium productiuum in Deo ſit Perſona, neceſsè eſt totum Verbum in Perſona Patris, & to-

& totum Spiritum Sanctum in perſonis Patris , & Filij formaliter manere; ac proindè, non ſolum ſecundum eſſentiam , ſed etiam ſecundum relationes ipſas , quæ ad rationem Verbi , atque Amoris ſpirati ſpectant.

Hoc etiam modo , Patrem in Filio , & in Spiritu Sancto formaliter manere, Probatur ratione , deſumpta ex S. Thom. Quia tota ratio , propter quam in creaturis principium productiuum operationum , & terminorum vitalium non dicitur manere in illis formaliter , eſt , quia terminus eſt accidens , & diuerſæ naturæ à ſuo principio, non ſolum ſpecificè , ſed etiam genericè ; at in Deo , & eſſentia eſt omninò eadem principij productiui , & termini producti ; ac præterea ipſæ relationes , & Perſonalitates Diuinæ ſunt ſubſtantiales ; (nullum enim omninò accidens phyſicum reperitur in Deo) & ſunt infinitæ, ac immenſæ : & conſequenter impoſſibile eſt totum principium non manere in termino producto , ſicut terminus ipſe manet in principio : ergo, ſicut totus Filius in Patre , & Spiritus Sanctus in Patre , & Filio , ratione vitalis originis , dicuntur manere : ita etiam totus Pater in Filio , & vterque totus in Spiritu Sancto , ob eandem rationem , formaliter manere dicendi ſunt.

Probari vltimo ſolet hæc formalis immanentia ex eo , quod relatio vnius Perſonæ complet in alia plenitudinem perfectionis ; & conſequenter vna perſona non ſolum ſecundum eſſentiam , ſed etiam ſecundum relationem formaliter exiſtit in alia.

Dices: ex hac doctrina ſequi plura inconuenientia , propter quæ huiuſmodi immanentia non videtur admittenda. Primò enim ſequitur, vnam , & eandem rem eſſe formaliter habentem , & habitam ab eadem perſona ; quatenus enim Filius eſt in Patre , Pater dicitur habens Filium , quatenus verò Pater eſt in Filio , Pater diceretur formaliter habitus ab ipſo Filio . Secundo ſequeretur, vnum eſſe in alio , ſine identitate, vel vnione reali , nam adhuc perſonæ manerent realiter diſtinctæ . Tertio , manere terminum formalem in aliquo , cui non tribuit ſuam denominationem ; nam filiatio in Patre non tribuit ipſi Patri denominationem Filij ; & ſic de alijs; quod communiter in alijs , rectè philoſophando , cenſetur repugnare. Quarto, Filium v. g. habere in ſe formaliter paterni-

tatem

Digitized by Google

tatem, non productam, neque communicatam; non productam, quia ex ſua ratione eſt improducta; nec communicatam, quia in Concilio Florentino in litteris vnionis habetur. *Omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo dedit, præter eſſe Patrem*. Præterea relatio paternitatis eſt ipſa perſonalitas Patris, & de ratione perſonalitatis eſt incommunicabilitas. Hæc omnia ſunt abſurda. Ergo non eſt admittendum id, ex quo ſequuntur, prædicta ſcilicet immanentia.

Reſp. ex prædictis, in hoc altiſſimo myſterio nihil incommodi ſequi. Et quoad primum negatur, illud eſſe non poſſe; nam, & beati dicuntur habere Deum in ſe ipſis; & Deum habere illos in ſe. Similiter relationes Diuinæ dicuntur habere in ſe eſſentiam Diuinam, & vice verſa, eſſentiam Diuinam habere in ſe ipſas relationes.

Ad ſecundum Reſp. non requiri talem identitatem, aut vnionem; nam & Angeli ſunt in Deo, & Deus in Angelis, abſque eo, quod intercedat talis identitas, aut vnio ſubſtantialis. Præterea, dato etiam, quod requireretur, patet Diuinam eſſentiam ſatis congruè poſſe dici ſubſtantialem vnionem (ſublatis imperfectionibus, quæ reperiuntur in vnione ſubſtantiali, quæ eſt in creaturis) immediatam inter ipſas perſonas; eſt enim communis omnibus tribus perſonis, & connotat relationes inter ſe realiter diſtinctas; ac proindè eſt ſufficiens fundamentum mutuæ inexiſtentiæ ipſarum perſonarum.

Ad tertium Reſp. relationem vnam non eſſe in alia relatione, ſeu Perſona, tamquam formam denominantem, & propterea eſſe impoſſibile, vt Filius à paternitate Diuina denominetur Pater; cum ſit in eo per modum ſubſiſtentis in ſubſiſtente; neque enim ſemper id, quod eſt intrinſecum, ſeu intimè exiſtens in alio, ſe habet vt forma illius; Deus namque eſt intimè præſens, & intrinſecè exiſtens in omnibus, & ſingulis ſuis creaturis, & tamen non eſt forma illarum.

Ad quartum Reſp. Filium non habere quidem paternitatem communicatam à Patre per realem identitatem, ita vt per eam ſit Pater, quemadmodum eſt Pater. Et hoc eſt, quod ibi docuit Sacroſanctum Concilium Florentinum: cum quo tamen rectè ſtat, vt habeat eam ita communicatam, vt ſit ei intimè præſens, & intrinſecè in eo exiſtens,

tam-

tamquam principium vitale, media exiſtentia Diuina vtriſque communi; nihil enim impedit, communiter loquendo, duas relationes oppoſitas, ſecundum immanentiam vnius in alia poſſe inuicem inter ſe cohærere. Neque eſt vlla repugnantia, vt ſubſiſtentia communicetur ſubſiſtentiæ per circuminſeſſionem modo dicto.

Dices 2. contra prædicta omnia, hanc doctrinam, quatenus aſſerit Diuinas relationes formaliter dicere perfectionem, eſſe contra mentem S. P. Auguſtini, qui lib. 5. de Trinitate cap. 8. ait. *Magnus Pater, magnus Filius, magnus Spiritus Sanctus: non tamen tres magni, ſed vnus magnus; & bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus Sanctus, nec tres boni, ſed vnus bonus.* Et cum ſit idem eſſe tres bonos, ac eſſe tres perfectos, vt ex ſupradictis eſt certum, ſi non poſſumus (ex ſententia S.P.) dicere eſſe tres bonos, nec etiam poterimus dicere eſſe tres perfectos.

Si Reſpondeatur: ideò non poſſe dici tres bonos, aut tres perfectos, quia non multiplicatur eſſentia Diuina; & ad multiplicationem concretorum requiritur, vt, cum multiplicatione formæ, multiplicetur etiam ſubiectum, ſiue id, quod habet rationem ſubiecti. Contra inſtant primo, quod, ſicut ad multiplicationem vnitatum, & ſubſiſtentium ſufficit multiplicatio ſuppoſitorum, eſto ipſa natura Diuina non multiplicetur; conſequenter etiam, ſine hac multiplicatione, dummodò multiplicarentur bonitates, ſeu perfectiones, deberent multiplicari ipſi boni, & perfecti, quod tamen S. P. negat poſſe fieri; licet illam priorem multiplicationem admittat. Contra inſtant ſecundo, quia idem S. P. lib. 7. de Trinitate cap. 1. & 6. ait: *Bonitatem, & magnitudinem perfectionis in Diuinis non relatiuè, ſed ad ſe dici.* Vnde, cum relationes ad eſſentiam nihil addant abſolutum, diſtinctum ab illa ratione, & per S. P. ratio perfectionis in Deo, non relatiuè, ſed abſolutè dicatur, manet eſſe omninò de mente eiuſdem, relationes Diuinas non addere perfectionem ad eſſentiam, ab illa ratione diſtinctam.

Sed Reſp. ad primam inſtantiam, eadem omninò ratione probari, eſſe tres perfectiones relatiuas, qua oſtenditur eſſe tria ſuppoſita relatiua; cum enim hic quæratur de perfectione eſſentiali, quæ eſt idem formaliter cum bonitate tranſcenden-

tali, vt in Axiomatibus metaph. cap. 12. pag. 284. notaui, manet, quod multiplicata vnitate tranſcendentali ſuppoſitorum, neceſsè etiam ſit multiplicari bonitatem tranſcendentalem eorumdem; cum implicet contradictionem multiplicari vnum aliquod tranſcendentium entis, quin ſimul multiplicetur & alterum; ac proindè S.P. ſtudio ibi loquutum eſſe in concreto, non verò in abſtracto, vt indicaret ſe loqui de Bonitate abſoluta eſſentiæ, non autem de bonitate relatiua perſonarum.

Ad ſecundam inſtantiam Reſp. S.P. ibi in 1. cap. non reſoluendo, ſed inquirendo, de hoc puncto loquutum fuiſſe; ait enim ibi: *Iam nunc quæramus diligentius &c. Vtrum & ſingula quæque in Trinitate perſona poſſit, & per ſe ipſam, non cum cæteris duabus, dici Deus, aut magnus, aut Sapiens, aut verus, aut omnipotens, aut iuſtus; & ſi quid aliud de Deo dici poteſt, non relatiuè, ſed ad ſe ipſum: an verò non dicantur iſta, niſi cum Trinitas intelligitur. Hoc enim quæſtionem facit, quia ſcriptum eſt Chriſtum Dei Virtutem, & Dei Sapientiam &c.* Quibus verbis certum eſt ipſum quæſtionem mouere, quam in eo primo capite non reſoluit; ſed totus in eo eſt, vt oſtendat Patrem ex ſe Sapientem eſſe, non autem Sapientia à ſe genita. In cap. 6. poſtea ratione, quam aſſignat, cur dicantur tres Perſonæ, omninò potius noſtræ fauet, quam oppoſitæ ſententiæ: ait enim ibi: *Quo circa vt ſubſtantia Patris ipſe Pater eſt, non quo Pater eſt; ſed quo eſt; ita & Perſona Patris non aliud, quam ipſe Pater eſt; ad ſe quippe dicitur perſona, non ad Filium, vel Spiritum Sanctum &c. Cur ergo non hæc tria ſimul vnam perſonam dicimus, ſicut vnam eſſentiam & vnum Deum, ſed tres dicimus perſonas, cum tres Deos, aut tres eſſentias non dicamus, niſi quia volumus vel vnum aliquod vocabulum ſeruire huic ſignificationi, qua intelligitur Trinitas, ne omninò taceremus, interrogati, quid tres, cum tres eſſe fateremur?* Vbi, præterquamquod non recuſat dicere tres perſonas, eſto perſona ad ſe dicatur: Aduerte, quod aſſignat pro ratione, cur dicantur tres perſonæ, & non vna ſolum; ne interrogati, quid eſſent illi tres in Trinitate, taceremus, ideſt non haberemus, quid poſſemus reſpondere; cur ergo & hoc non militabit ad hoc, vt interrogati, an, ſicut ſunt tres entitates,

tes,

Digitized by Google

tes, & vnitates relatiuæ, ſic etiam poſſet dici, quod ſint tres bonitates relatiuæ, cum militet eadem ratio de vna paſſione entis, ac de alijs, cum ſint ab eo omninò inſeparabiles. Sublato ergo periculo erroris (vt aufertur omninò, ſpecificando multiplicationem ibi accipi non penes abſoluta, ſed penes relatiua) omninò eſt, & ſecundum rationem, & de mente S. P. admittere tres perfectiones, ſeu bonitates relatiuas. Quod totum non obſcurè aperuit idem S. P. in fine dicti capitis 6. vbi eſt terminus illius libri ſeptimi, cum ait. *Aut ſi iam placet, propter diſputandi neceſſitatem, etiam exceptis nominibus relatiuis, pluralem numerum admittere, vt vno nomine reſpondeatur, cum quæritur, quid tria, & dicere tres ſubſtantias, ſiue tres perſonas; nullæ moles, aut interualla cogitentur, nulla diſtantia quantulæcumque diſſimilitudinis, vt ibi intelligatur aliud ab alio, vel paulo minus, quocumque modo eſſe minus ab alio poteſt, vt neque Perſonarum ſit confuſio, nec talis diſtinctio, qua ſit impar aliquid. Quod ſi intellectu capi non poteſt, fide teneatur, donec illuceſcat in cordibus ille, qui ait per Prophetam: Niſi credideritis non intelligetis.* Eſt igitur citra controuerſiam nomina relatiua pluralem numerum admittere in Diuinis; dummodo ibi non admittatur inæqualitas, diſſimilitudo, aut ſimiles imperfectiones, quæ Deo repugnant, quarum nullam ibi ex noſtra ſententia admitti iam demonſtratum eſt; & hoc eo magis in præſenti admittendum eſt, quod diſputandi neceſſitas nos cogit, ad inferendum iſtud per neceſſariam conſequentiam ex alijs tranſcendentibus, quæ ibi ſine ſcrupulo ab omnibus neceſſariò multiplicantur; cum quibus hoc, de quo agimus, habet neceſſariam connexionem, imò & identitatem.

Remanent nunc ſoluenda argumenta, quibus plures, & graues Auctores contendunt, relationes Diuinas non poſſe dicere perfectionem formaliter in eo ſenſu, quo nomine perfectionis importatur integritas Dei.

Primum eſt, quia ſi huiuſmodi Relationes pertinerent ad Diuinam integritatem, prima Perſona non eſſet integer, & perfectus Deus, eo quod, cum Pater non ſit tres relationes, non poterit eſſe in eo perfectio Deitatis, quæ conſurgit ex illis tribus, ac propterea non eſſet perfectus, & integer Deus. Reſp. ad hoc, vt Pater dicatur Deus omninò integer, & perfectus, ſufficere, quod

habeat in ſe formaliter aliquo modo ea omnia, quæ concurrunt ad Diuinam integritatem, vel per identitatem, quo pacto habet omnia eſſentialia, vel per circumſeſſionem, quemadmodum habet omnia notionalia, quæ conſtituunt alias perſonas.

Secundum argumentum eſt: quod ex huiuſmodi perfectione data ſequeretur, perfectionem Dei nec eſſe abſolutam, nec relatiuam, ſed ex vtraque conflatam, ac ideò fore compoſitum aliquod, vel ens per accidens, coaleſcens ex rebus etiam genere inter ſe diſtantibus. Reſp. ſequi ſolummodo perfectionem Diuinam eſſe ſimul, & ſemel & abſolutam, & relatiuam; quod nullam importat inconuenientiam, cum Deitas ſit fons, & Origo cuiuſcumque entitatis; imò eſſe formaliter ens abſolutum, & formaliter relatiuum omnes tenentur admittere, ſiue dicant relationes importare formaliter perfectionem, ſiue non; & quemadmodum ibi non inueniunt imperfectiones, ſic neque hic, cum vtrobique militet eadem ratio. Neque ſequitur compoſitio realis, abſolutè loquendo; cum non conſurgat huiuſmodi perfectio ex rebus diſſolutis, & nullo modo inter ſe identificatis; ſed ex rebus ſummè connexis, media vnitate, & identitate cum Diuina eſſentia. Nec obſtat diſtantia generica entis abſoluti, & relatiui, quemadmodum non obſtat in creatis, quo minus in eodem indiuiduo inueniantur identificatæ relationes cum prædicatis abſolutis.

Tertium eſt: Filiatio eo modo, quo eſt in Filio, non eſt in Patre; ſed filiatio eo modo, quo eſt in Filio, eſt aliqua perfectio: ergo aliqua perfectio non eſt in Patre, quæ eſt in Filio, & ſic de alijs. Reſp. diſtinguo maiorem, non eſt eo modo, ita vt Patrem conſtituat Filium, concedo maiorem; non eſt in Patre per circuminſeſſionem, tanquam terminus vitalis operationis ab intellectu Patris, nego maiorem. Cum enim totus Filius ſit in Patre, vt dictum eſt, eſt etiam in eo modus ille, quo filiatio conſtituit ſecundam perſonam Filium, eſto non conſtituat ipſum Patrem Filium: hoc enim nullo modo requiritur. Et ſic, conceſſa minori, negatur conſequentia.

AXIO-

AXIOMA QVINTVM.

Quomodo ſe habeant ad inuicem Diuinæ Relationes Paternitatis, Filiationis, Spirationis actiuæ, & Spirationis paſſiuæ.

Ex Lib. 5. de Trinitate Cap. 14.

AD ſe inuicem in Trinitate ſi gignens ad id, quod gignitur, principium eſt, Pater ad Filium principium eſt, quia gignit eum. Vtrum autem, & ad Spiritum Sanctum principium ſit Pater, quoniam dictum eſt: de Patre procedit, non parua quæſtio eſt. Quia ſi ita eſt, non iam principium ei tantum rei erit, quam gignit, aut facit; ſed etiam ei, quam dat &c. Fatendum eſt Patrem, & Filium Principium eſſe Spiritus Sancti, non duo principia. Sed ſicut Pater, & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus Creator, & vnus Dominus, ſic relatiuè ad Spiritum Sanctum vnum Principium. Ad creaturam verò Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vnum Principium, ſicut vnus Creator, & vnus Dominus.

DVBIVM

DVBIVM V.

Quomodo diſtinguantur Relationes iſtæ inter ſe.

EX quatuor Diuinis Relationibus, Paternitate ſcilicet, Filiatione, Spiratione actiua, & Spiratione paſſiua aliquæ inter ſe relatiuæ opponuntur, vt ſunt paternitas, & filiatio ex vna parte, & ſpiratio actiua, cum ſpiratione paſſiua ex altera parte. Aliquæ verò non opponuntur, vt ſunt paternitas, & ſpiratio actiua, ac etiam filiatio cum eadem ſpiratione actiua. Quæritur nunc de omnibus vtroque modo comparatis, quomodo diſtinguantur. Propterea.

Dico 1. Relationes, ad inuicem oppoſitas, eſſe realiter diſtinctas. Hæc aſſertio eſt de fide, definita *in Capite firmiter de ſumma Trinitate*, vbi dicitur. *Hæc Sancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam indiuidua, ſecundum proprietates perſonales diſcreta*. Idem habetur in Concilio Toletano XI. Eam probat S. Thom. 1. par. quæſt. 28. artic. 3. ex eo, quod, cui attribuitur relatio realis, eſt etiam attribuenda realis oppoſitio, quæ eſt de ratione illius. De ratione enim relationis eſt reſpectus vnius ad alterum, ſecundum quem aliquid alteri opponitur relatiuè. Et cum in Deo realiter ſit Relatio; oportet, quod realiter ibi ſit oppoſitio: relatiua autem oppoſitio in ſui ratione includit diſtinctionem. Vnde oportet, quod in Deo ſit realis diſtinctio, non quidem ſecundum rem abſolutam, ſed ſecundum rem relatiuam. Sic diſcurrit ibi A.D.

Aliqui putant hanc rationem, ad hoc vt ſit efficax, eſſe intelligendam in ſubiecta materia de oppoſitione, quæ eſt ſecundum originem vnius ſubſtantiæ completæ ab alia, eo quod oporteat, hanc eſſe inter rem, & rem; alioquin ſi latius ſumatur pro quacumque oppoſitione exiſtente à parte rei, cenſent, eam non ſemper conuincere diſtinctionem rei à re; ſed quandoque vt rei à modo, vel formalitatis à formalitate, ac proindè aſſer-

ſertionem S. Thom. eſſe intelligendam de relationibus realibus oppoſitis, & ſic intellectam, eſſe certiſſimam; cum ſit penè de fide Perſonas Diuinas conſtitui proprietatibus relatiuis; & perſonas eſſe realiter diſtinctas, definitum habeatur, & contra Sabellium, & in Cap. *Firmiter*.

Verum hanc limitationem arbitror eſſe ſuperuacaneam; eo quod S. Thom. arguit à priori de diſtinctione reali, quæ eſt inter relationem realem, & terminum realem illius, eſſentialiter requiſitum, ſiue talis diſtinctio ſit ratione originis, ſiue proueniat aliundè; non enim minus diſtinguuntur realiter ea, quæ opponuntur relatiuè ratione originis, quam ea, quæ ſine origine habent relationem realem intermediam inter ſe. Nec ratio adducta conuincit oppoſitum; nam in ſententia, quam ego veriorem arbitror, non dantur huiuſmodi entitates modales; & inter formalitates, quæ dantur à parte rei, non datur relatio realis, nec oppoſitio realis, niſi etiam ſimul detur diſtinctio realis.

Dices: in hoc Sanctiſſimo Myſterio quælibet diſtinctio realis eſt ratione originis; ſed vna relatio non originatur ab alia; ergo neque diſtinguitur. Reſp. diſtinguendo minorem: non originatur adæquatè, concedo, eo quod reuera Paternitas, vt ſic abſtracta, non eſt principium; inadæquatè, & nego; quia Filius eſt à Patre, qui conſtituitur paternitate; & propterea negatur conſequentia. Vel dic cum S. Thom. loco citato in reſp. ad 3. quod, eſto relationes propriè loquendo non oriantur, vel procedant ab inuicem, tamen accipiuntur per oppoſitionem, ſecundum proceſſionem alicuius ab alio; quod ſufficit ad diſtinctionem.

Maior difficultas eſt de illis relationibus, quæ inter ſe non opponuntur; cum enim certum ſit, eſſe vnam Spirationem actiuam, communem Patri, & Filio; & hanc diſtingui realiter à Spiratione paſſiua, propter realem oppoſitionem cum illa: quæſtio non leuis conſurgit, quomodo hæc ſpiratio diſtinguatur à relatione paternitatis, & filiationis; ſiue à generatione actiua, vel paſſiua, cum quibus nullam habet oppoſitionem. In qua duæ ſunt ſententiæ extremè oppoſitæ.

Prima eſt Durandi in 1. diſt. 13. quæſt. 2. docentis, diſtingui realiter, quam dicit eſſe Magiſtrorum ſui temporis.

Secun-

Secunda ſententia eſt communis in ſcholis, ſola ratione diſtingui. Sed ex ijs, qui eam ſequuntur, aliqui dicunt cum Gabriele non eſſe quatuor relationes: eo quod, alias poſſet dici, eſſe quatuor res, cum multiplicato inferiori neceſſariò multiplicetur etiam ſuperius. Alij verò abſolutè concedunt eſſe quatuor relationes, non verò quatuor res, & hæc eſt communior. Propterea.

Dico 2. Spirationem actiuam non diſtingui realiter à Paternitate & Filiatione, vt rem à re. Hæc aſſertio eſt adeò certa apud Theologos, vt communiter ſententia Durandi habeatur pro temeraria, & errori proxima. Quod probatur primo: quia ex ea ſequitur in Deo eſſe admittendam quaternitatem, quod eſt damnatum in Concilio Lateranenſi Cap. *Damnamus*. Sequela eſt clara; poſitis enim quatuor relationibus realibus, realiter diſtinctis, quarum vnaquæque ſit ſubſiſtentia per ſe ſubſiſtens, nullo modo poteſt negari, eſſe quatuor res.

Durandus reſpondet damnari ibi ſolummodo quaternitatem perſonarum expreſsè, & concomitanter quaternitatem ex perſonis, & eſſentia. Verum, eſto hoc effugium defendat hanc ſententiam ab hæreſi, non tamen eximit eam à prædicta cenſura; Concilium enim definiuit, in Diuinis eſſe tantum Trinitatem, quia quælibet perſona eſt illa res, ſeu eſſentia communis; ergo conſequenter definit nullam eſſe aliam rem in Diuinis, cum qua tres perſonæ ponant numerum, alias non eſſet ibi ſolum Trinitas: & tamen iuxta Durandum tres perſonæ non ſunt illa res, quæ eſt ſpiratio.

Probatur 2. Quia ſpiratio actiua eſt per ſe ſubſiſtens, & iuxta Durandum realiter diſtincta ab alijs relationibus; ergo ſi eſſet vera hæc ſententia, eſſet admittenda neceſſariò quarta perſona; cum non poſſit aſſignari maior ratio, cur aliæ tres relationes conſtituant tres perſonas, & hæc non conſtituat.

Reſpondet Durandus, eſſe quidem per ſe ſubſiſtentem, ſed non eſſe incommunicabilem, quod requiritur ad rationem perſonæ. Sed contra eſt, quia nec communicatur per identitatem, iuxta ipſum, alias iam nobiſcum ſentiret; nec per compoſitionem, quia tolleretur ſimplicitas; nec apparet, quo alio modo poſſit communicari.

Præ-

Præterea: quid eſt aliud incommunicabiliter ſubſiſtere, quam eſſe ſubſtantiam realiter diſtinctam à quolibet ſubſiſtente?

Probatur 3. ex illo communi axiomate: *In Diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat oppoſitio relatiua*. Sed ſpiratio actiua non opponitur nec paternitati, nec filiationi; ergo eſt vnum cum illis. Et hoc proculdubiò intendit S. P. cum ait: *Fatendum eſt Patrem, & Filium principium eſſe Spiritus Sancti, non duo principia, ſed ſicut Pater, & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus creator, & vnus Dominus: ſic relatiuè ad Spiritum Sanctum vnum Principium*. Sicut ergo ad creaturam relatiuè dicitur per S. P. & tamen non propter hoc ponitur relatio diſtincta realiter ab illis tribus; ſic nec etiam in ordine ad Spiritum Sanctum. Hæc argumenta militant etiam contra diſtinctionem formalem ex natura rei aliquo modo, non tamen ita euidenter, vt contra realem.

Dices primo cum Durando: ſunt ibi duo termini realiter diſtincti: ergo & duæ relationes realiter diſtinctæ. Reſp. negando conſequentiam: non enim reperitur ſemper, aut requiritur tanta diſtinctio in principijs producentibus, quanta reperitur in terminis productis; vt patet in creatis, in quibus vnica cauſa plures effectus non ſolum numero, ſed etiam ſpecie differentes producit, ſola diſtinctione rationis, ſeu virtuali in ipſa cauſa exiſtente. Non eſt igitur par ratio de terminis, ac de relationibus; ideò namque ſunt duo termini realiter diſtincti; quia inter ipſos eſt oppoſitio originis; Filius enim à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedit; quare ex eo, quod hi termini differant veluti ſpecie, non aliud ſequitur, quam quod relationes ipſæ, in ratione relationis, debeant differre virtualiter, ſeu ratione, ſiue terminatiuè, quod vltrò conceditur, non verò entitatiuè; nam, & in creatis paſſim, vt dicebam, conceditur plures relationes, quibus Sol v. g. reſpicit plures terminos ſpecie differentes, quales ſunt metalla, plantæ, animalia &c. inter ſe in ipſa cauſa identificari, & ſolum ratione ratiocinata, ſeu virtualiter diuerſificari: ſic etiam in ſubſtantia in ordine ad ſuas proprietates, quæ ab ipſa emanant.

Dices 2. ſunt quatuor relationes reales; ergo inter ſe om-

omnes realiter diſtinguuntur; diſtinctio enim virtualis non ſufficit ad ponendum numerum realem. Reſp. negando conſequentiam; alias etiam omnia attributa realiter diſtinguerentur; cum omnia ſint realia; eſto enim in rebus corporalibus non habeatur numerus, niſi per ſeparabilitatem realem, ratione quantitatis molis, nihilominus in rebus ſpiritualibus, vbi habetur ſolum quantitas virtutis, numeramus etiam per ſolam ſeparabilitatem, ſiue ſeparationem rationis ratiocinatæ, & ſic dicimus Miſericordiam, & Iuſtitiam eſſe duo attributa realia: Vnitatem, Veritatem, & Bonitatem eſſe tres paſſiones reales entis: Memoriam, Intellectum, & Voluntatem eſſe tres paſſiones reales animæ intellectualis; & ſimilia.

Dices 3. quæ non poſſunt conuenire eiſdem reſpectu eiuſdem; non ſunt vnum, & idem realiter, ſaltem in relatiuis, quorum totum ſuum eſſe eſt, ad aliud ſe habere; ſed generare competit Patri reſpectu Filij, non verò reſpectu Spiritus Sancti, & ſpirare è contra; & ſic proportionaliter, generari competit Filio reſpectu Patris, non verò reſpectu Spiritus Sancti; & ſpirari reſpectu ſpiratoris, non verò reſpectu Patris, aut Filij; ergo diſtinguuntur realiter. Reſp. negando maiorem; nam ad illam diuerſitatem, vbi non obuiat oppoſitio relatiua, ſufficit diſtinctio virtualis relationum, & actualis terminorum.

Dices 4. ſicut ſe habet generare ad generari, ita ſe habet ſpirare ad ſpirari; & commutata proportione, ſicut ſe habet generari ad ſpirari, ſic ſe habet generare ad ſpirare; ſed illa duo diſtinguuntur realiter: ergo etiam iſta duo. Reſp. Argumentum à commutata proportione non valere; niſi in quantitate molis, vbi retinetur eadem proportio; ſic enim reſpondetur ad illud argumentum Auerrois: ſicut ſe habet cauſa antiqua ad effectum antiquum, ita ſe habet cauſa noua ad effectum nouum; ergo, ſicut effectus antiquus non poteſt eſſe à cauſa noua, ita nec effectus nouus à cauſa antiqua. Ratio eſt, quia in argumentis, quæ non deſumuntur à quantitate corporea, non reperitur illa rigoroſa proportio, quæ requiritur ad verificandam paritatem; quod in præſenti ſic oſtendo: inter generari, & ſpirari eſt oppoſitio orginis, quia ſpiratus eſt à genito; quæ oppoſitio non reperitur

Digitized by Google

ritur inter ſpirare, & generare.

Dices 5. ſi Paternitas, & Filiatio eſſent idem re cum Spiratione actiua, eſſent etiam idem inter ſe; nam ea, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe; conſequens eſt falſum; ergo & id, vndè ſequitur. Reſp. quod ſi hoc argumentum probaret de ſpiratione actiua, probaret etiam eſſentiam Diuinam non eſſe communem tribus perſonis, quod tamen eſt hæreticum aſſerere. Si dicas ideò eſſentiam eſſe communem, quia non habet oppoſitionem cum vlla perſonarum, ſeu relationem; at ſpirationem actiuam habere oppoſitionem cum ſpiratione paſſiua, ac proindè non poſſe eſſe communem. Reſp. hac inſtantia ſolum probari non poſſe eſſe communem tribus perſonis, ſicut eſt eſſentia; non verò non poſſe eſſe communem duabus; imò indè potius habetur intentum; nam ſi eſſentia ideò eſt communis tribus perſonis, quia cum illis non habet oppoſitionem; ſic pariter ſpiratio actiua erit communis duabus, cum quibus nullam habet oppoſitionem. Quod ſi iterum dicas: Eſſentiam ideò eſſe communem tribus perſonis, quia eſt infinita ſimpliciter in omni genere, quod non habet ſpiratio actiua, quæ ſolum in proprio genere eſt infinita. Reſp. ſufficere hanc infinitatem, vt identificetur cuicumque non opponitur, vt patet in attributis, quorum vnumquodque eſt infinitum ſolum in propria linea, & tamen identificatur & cum eſſentia, & cum omnibus alijs attributis, & cum ſingulis perſonis.

Dices 6. Generari, & Spirari ſunt duæ proceſſiones paſſiuæ: ergo debent procedere à duabus productionibus actiuis. Reſp. eodem modo philoſophandum eſſe de actionibus, ſeu productionibus, ac de relationibus: paſſiuæ enim multiplicantur propter oppoſitionem, quam habent ad inuicem; quod non habet locum in actiuis, quæ cum non opponantur, ad hoc, vt multiplicentur, ſufficit diſtinctio virtualis, vt ſupra dictum eſt.

Dices 7. Implicat eſſe omninò eamdem relationem producti, & producentis: ergo implicat identificari relationem ſpirationis actiuæ cum filiatione. Probatur antecedens. Si Spiritus Sanctus eſſet filius Filij, ad ipſum referretur Filius relatione paternitatis, & ad Patrem relatione filiationis; ac proindè relationibus realiter diuerſis: ergo etiam nunc eſt realiter diuerſa ſpiratio actiua à filiatione;

cum militet eadem ratio. Reſp. quod, ſicut in ſuppoſito creato, pro diuerſitate relationum paternitatis, & filiationis, ſufficit diſtinctio virtualis, ſeu rationis ratiocinatæ, multò magis in Diuinis, vbi ea, quæ ſunt diſperſa in inferioribus, ſunt omninò vnita, & identificata.

Dices 8. ſi Pater non ſpiraret, adhuc tamen generaret; ergo non eſt idem realiter generare, & ſpirare. Reſp. data illa ſuppoſitione, tolli alterum terminum; ideòque etiam relationem, ſola ratione diſtinctam ab alia, remanente eadem realitate; ſicut dixi, loquendo de relatione in communi in Philoſophia rationali, ſublato termino, remanere abſolutum cum ſua realitate relatiui quoad ſuum eſſe, non verò quoad ſuum denominari; eo quod ad ſuum denominari requiritur terminus, & relatio mutua, quæ in eo caſu, ſeu hypoteſi deeſſet.

Dices 9. Non poſſunt duæ res abſolutæ eſſe ab inuicem realiter diſtinctæ, & eſſe idem cum aliqua tertia abſoluta; ergo nec etiam duæ relationes cum tertia. Reſp. duas res abſolutas realiter diſtinctas, ob ſui limitationem, non poſſe identificari alicui tertio; eo quod talis diſtinctio inter abſoluta non reperiatur, niſi in creatis: loquendo verò de relationibus infinitis, nihil impedit, quo minus vna identificetur duabus, ſi non obuiat oppoſitio relatiua.

Si opponas: Paternitas vt ſic adæquatè reſpicit Filium, ergo non poteſt reſpicere alium terminum; nam vna relatio non reſpicit niſi vnum terminum adæquatè, & quando reſpicitur alter terminus, alia relatione reſpicitur; ac idcircò ſi prima perſona reſpicit Spiritum Sanctum, illum neceſſariò reſpicit alia relatione, à paternitate realiter diſtincta. Reſp. Paternitatem, vt ſic, dicere illam relationem primæ perſonæ, vt præcisè à nobis concipitur cum ordine ad genitum; & vt ſic habere pro termino adæquato Filium; ſed Paternitatem, vt eſt à parte rei idem cum ſpiratione, non reſpicere ſolum Filium, ſed etiam Spiritum Sanctum. Quapropter ſi ſignificetur aliquo nomine tranſcendentali communi ad abſoluta, & relatiua, vt ſi dicas res, vel entitas, quæ eſt paternitas, reſpicit ſolum Filium, erit falſa propoſitio. Per hæc manent ſoluta Durandi argumenta.

Ad rationem Gabrielis, ſupra adductam. Reſp. Tunc, multipli-

plicato inferiori realiter, debere etiam multiplicari ſuperius realiter, quando identificatur cum inferiori; ſed multiplicato inferiori ſecundum rationem, non adeſſe neceſſitatem multiplicandi ſuperius abſolutè, eo quod poteſt eſſe in inferiori aliqua ratio, propter quam poſſit abſolutè multiplicari, quæ non ſit in ſuperiori, vt eſt in præſenti; vbi, ſecundum communem vſum loquendi in ſcholis, multiplicantur relationes etiam in creatis in eodem indiuiduo, ſecundum multiplicationem terminorum; nunquam tamen illæ plures relationes verè dicuntur eſſe plures res, nec etiam in ſententia eorum, qui eas diſtinguunt pluſquam virtualiter à fundamento, ſed ad ſummum dicuntur eſſe, vel plures modi, vel plures formalitates; quod multò magis debet habere locum in Diuinis. Non enim propterea dicimus eſſe ibi tres res, quia ibi ſint tres relationes ſimpliciter, ſed quia ſunt tres relationes realiter diſtinctæ, conſtituentes tres diuerſas Perſonas.

AXIOMA SEXTVM.

Dantur in Deo relationes Aequalitatis, & ſimilitudinis.

Ex Lib. 1. de Doctrina Chriſtiana Cap. 5.

EAdem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem maieſtas, eadem poteſtas. In Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto vnitatis, æqualitatiſque concordia. Et tria hæc vnum omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum Sanctum.

DVBIVM VI.

An relationes æqualitatis, ſimilitudinis, & identitatis inter Diuinas Perſonas ſint reales, vel rationis.

PRæter prædictas quatuor relationes paternitatis, filiationis, ſpirationis actiuæ, & ſpirationis paſſiuæ, de quibus certum eſt eſſe reales, dantur aliæ, de quibus eſt difficultas inter Theologos, an ſint reales, vel rationis: huiuſmodi ſunt relationes identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis. In hac quæſtione ſunt duæ celebres ſententiæ.

Prima eſt communis inter Thomiſtas, qui vno ore tuentur, eſſe relationes rationis; eamque dicunt eſſe expreſſam S.Thom. 1. part. quæſt. 42. artic. 1. ad quartum, ac eam ſequuntur plures alij extra ſcholam S. Thomæ.

Secunda ſententia eſt Scoti quodlibeto 6. artic. 1. & in 1. diſtinct. 31. quæſt. 1. affirmantis eſſe reales. Becanus autem Tract. de Sanctiſſima Trinitate cap. 2. quæſt. 2. num. 7. putat Scotum hoc docere ſolum de duabus, ideſt de æqualitate, & ſimilitudine: ſed re vera, ipſum hoc docere etiam de identitate, tenent communiter Scotiſtæ.

Præmitto ſolutioni, eſſe citra controuerſiam dari in Diuinis perſonis, independenter ab operatione noſtri intellectus, identitatem; ideſt vt ſint vnius, & eiuſdem numero naturæ, & æqualitatem fundatam, non in quantitate molis, ſed in quantitate virtutis; quæ dupliciter in Deo ſpectari poteſt, primo ſecundum perfectionem eſſentialem; ſecundo in perfectionibus attributalibus, & perſonalibus, ſeu relatiuis: & huiuſmodi æqualitatem habere in Deo omnia requiſita ad hoc, vt ſit vera æqualitas; ad quam hæc tria requiruntur, & ſufficiunt: primo diſtinctio realis; ſecundo quantitas eiuſdem rationis, nam ſi ſit diuerſæ rationis, vt ſunt linea, & virtus Angeli, non poteſt haberi æqualitas; tertio, vt huiuſmodi quantitas non ſit maior in

vno,

vno, quam in alio, vt docet Philoſ. lib. 10. metaph. quæ omnia reperiri inter Diuinas perſonas, nullus dubitat. Demum reperiri etiam ibi ſimilitudinem non eſt dubium; non quidem eo ſenſu, quo eam ponebant Arriani, qui illam vocem græcam (Omouſion) perperam accipientes, explicabant per ſolam ſimilitudinem eſſentiæ, negando vnitatem numericam naturæ, & æqualitatem in perfectione; ſed in ſenſu Catholicorum, qui ponunt ſimilitudinem in Diuinis, cum vnitate naturæ ſingularis, & æqualitate perfectionis, quæ maxima eſt; vt propterea S. P. lib. 7. de Trinitate cap. vltimo docuerit Perſonas Diuinas dicendas eſſe ſimiles, non diſſimiles, quia hoc ad ſubſtantiam refertur. His poſitis.

Dico 1. cum S. Thoma loco citato in ſenſu, quo communiter agitatur hæc quæſtio, has tres relationes identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis eſſe relationes rationis; eſto identitas, æqualitas, & ſimilitudo ſint reales. Ratio eſt eadem, quam affert S. Thomas, quia ad relationem realem non ſufficit, quod fundamentum ſit reale, ſed præterea, vt ſit realiter diſtinctum in vtroque extremo; ſed fundamentum identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis in Diuinis eſt ipſa Diuina eſſentia, ſiue etiam ipſa Diuina attributa, quæ non diſtinguuntur in vtroque extremo, cum in omnibus perſonis ſit omninò eadem numero eſſentia, & ſint eadem numero attributa; ergo identitas, æqualitas, & ſimilitudo, ſecundum hanc conſiderationem, non ſunt relationes reales in Deo. Dixi in ſenſu, in quo communiter diſputatur hæc quæſtio; nam, ſi loquamur in alio ſenſu, nempè quatenus tres perſonæ Diuinæ conueniunt in hoc, quod ſint tres ſubſtantiæ relatiuæ, tres ſubſiſtentiæ, ſeu perſonalitates, & tres perfectiones relatiuæ, vt ſupra probatum eſt, non video cur non. Ideò.

Dico ſecundo, iuxta hanc acceptionem, poſſe admitti inter illas relationes reales: quod probo à pari. Ideò inter homines, habentes eamdem naturam, quantitatem, & qualitatem, admittitur, relationes identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis eſſe reales, quia ſubſtantiæ, quantitates, & qualitates illæ diſtinguuntur realiter; ſed etiam in Diuinis Perſonis rationes illæ ſubſtantiæ relatiuæ, ſubſiſtentiæ, ſeu perſonalitatis, quantitates, & ipſæ perfectiones relatiuæ diſtinguuntur realiter: ergo in hoc ſen-

ſenſu nihil impedit, quominus dicamus eſſe ibi relationes reales identitatis in ſubſiſtentijs, æqualitatis in infinitate, & ſimilitudinis in perfectionibus relatiuis. Hoc totum eſſe de mente S.P. facilè perſpicies, ſi attentè legas caput ſextum lib.7. de Trinitate.

Dices 1. cum Scoto contra primam noſtram aſſertionem. Ad relationem realem ſufficit ſi extrema habeant inter ſe diſtinctionem realem in aliquo, eſto fundamentum, ſiue ratio fundandi ſit eadem in vtroque extremo; ergo gratis ponitur relationes huiuſmodi eſſe rationis ex eo, quod eſſentia, & attributa abſoluta ſint eadem numero in tribus perſonis. Probatur antecedens: quia paternitas, & filiatio ſunt relationes reales, & tamen fundamentum illarum eſt eſſentia Diuina, quæ in vtroque extremo eſt eadem. Præterea ſi in duobus ſubiectis eſſet eadem numero qualitas, puta in duobus parietibus eadem albedo, quod non implicat, adhuc inter illos eſſet relatio realis; ergo ad relationem realem non requiritur, vt fundamentum, aut ratio fundandi ſit in vtroque extremo realiter diſtincta. Reſp. tunc fundamentum debere eſſe diſtinctum in vtroque extremo, quando extrema ratione ſolius fundamenti, ſiue rationis fundandi referuntur. Ratio ex D. Thoma deſumpta eſt, quia eiuſdem ad ſe ipſum non datur relatio realis; alias eiuſdem ad ſe ipſum eſſet oppoſitio realis, & diſtinctio realis, quod inuoluit contradictionem. Et propterea identitas, æqualitas, & ſimilitudo in perſonis Diuinis, ſecundum priorem conſiderationem, non poſſunt eſſe relationes reales, quia extrema, ratione ſolius fundamenti, ideſt ratione eſſentiæ Diuinæ, & attributorum, quæ ſunt eadem in extremis, inter ſe referuntur. Tres enim Perſonæ ſunt inter ſe eædem, æquales, & ſimiles, ratione Eſſentiæ, Magnitudinis eſſentialis, & Bonitatis, Potentiæ &c. quæ priori modo attentæ ſunt eadem numero in ſingulis perſonis. Hoc idem eueniret, ſi duo parietes haberent eandem numero albedinem; tunc enim ratione albedinis non eſſet inter illos oppoſitio, & diſtinctio realis: ac proindè nec etiam relatio realis; licet aliundè, v. g. in ratione duritiei, aut frigiditatis diuerſæ realiter, poſſet eſſe relatio realis, vt eſt in præſenti in perfectionibus relatiuis. Ad inſtantiam de paternitate, & filiatione. Reſp. eſſe diſpa-

diſparem rationem ; nam iſta non faciunt extrema inter ſe referri præciſè quoad fundamentum , ſed per ſe primo diſtinguuntur , opponuntur, & referuntur . Etenim Pater non eſt præciſè Pater ratione eſſentiæ, ſed ratione paternitatis , neque refertur ad Filium per eſſentiam , ſed per paternitatem . Per quæ patet hoc argumentum non ita grauiter torquere Theologos , vt aliqui putant . Alias , & acutas ſolutiones adhibent Thomiſtæ, quas non vacat modo hic referre, & videre potes apud P. Gonet Diſput. 11. de Trinitate artic. 1. §. 3.

Dices 2. fundamentum æqualitatis eſt vnitas in quantitate, ſeruata diſtinctione reali extremorum ; ergo quo magis conueniunt extrema in vnitate quantitatis, eo magis ſunt æqualia : ſed perſonæ Diuinæ ſummè conueniunt in vnitate quantitatis, ideſt in vnitate numerica eſſentiæ Diuinæ , & magnitudinis eius ; ergo perſonæ Diuinæ ſunt ſummè inter ſe æquales ; ergo æqualitate reali , quæ ſit relatio realis . Reſp. aliud eſſe rationem æqualitatis perfectius , ac verius in aliquibus reperiri , aliud verò talem æqualitatem eſſe realem formaliter , aut ſolum fundamentaliter . Quo poſito , datur quidem rationem æqualitatis verius , ac perfectius reperiri inter perſonas Diuinas , quam inter creaturas , quia maius , & arctius fundamentum eſt in illis , quam in iſtis ; ſed negatur æqualitatem illam eſſe relationem realem ; nam , vt realis ſit , debet fundamentum in vtroque extremo eſſe diſtinctum . Exemplificant hoc aliqui in ratione dominij , quæ verius , ac perfectius reperitur in Deo , quam in creaturis , & tamen relatio dominij in Deo ponitur à multis eſſe relationem rationis ; & in homine relationem realem .

Dices 3. S. P. lib. 3. contra Maxim: Arrianum cap. 14. dicere : *Ideò non eſt Pater maior Filio, quia æqualem eum genuit*. & lib. 6. de Trinitate cap. 9. *In Filio eſt prima æqualitas* . Ergo æqualitas in Filio eſt realis . Probatur conſequentia, quia vi productionis non poteſt eſſe quidquam in Filio , niſi reale ; ſed æqualitas, & ſimilitudo ſunt in Filio vi productionis realis , per S. Patrem ; ergo ſunt relationes reales , & non ſolum rationis . Reſp. communiter æqualitatem , & ſimilitudinem eſſe quidem in Filio vi productionis realis , non tamen eſſe tamquam terminum productum , ſed tamquam

Digitized by Google

aliquid conſequens productionem, ac terminum productum, & ſic nullum eſſe inconueniens, ſi vi productionis realis conueniat termino aliquid rationis, tamquam quid conſequens terminum, ac productionem ipſam. Hoc explicant ex ſimili de productione creaturarum, ad quam conſequuntur in Deo relationes Creatoris, & Domini; & exemplo Incarnationis Dominicæ, ad quam in Verbo conſequitur relatio vniti ad humanitatem vnitam, quæ tamen ſunt omnes relationes rationis. Hæc nihilominus non habent locum in ſententia, quam ſequor de huiuſmodi relationibus, vt patet ex dictis in Philoſophia rationali, & in naturali. Propterea. Reſp. hæc magis confirmare ſecundam aſſertionem ſupra poſitam, nempè, præter illam identitatem in natura, & eſſentia, æqualitatem, & ſimilitudinem in prædicatis abſolutis, eſſe dandam aliam identitatem, æqualitatem, & ſimilitudinem in ſubſiſtentijs, & perfectionibus relatiuis, quæ ſint relationes reales; & hoc eo magis, quod Sancta Eccleſia in Præfatione ſolemnitatis Sanctiſſimæ Trinitatis canit: *Vt in Perſonis proprietas, in eſſentia vnitas, & in maieſtate adoretur æqualitas*. Quod non diceret, ſi omnis æqualitas in Diuinis eſſet eſſentialiter relatio rationis, non enim adorantur entia rationis, ſed entia realia.

Dices 4. contra ſecundam noſtram aſſertionem, cum P. Matthia Hauzeur in ſua Anatome tom.2. ad cap.6. lib.7. de Trinitate: ſicut Perſonæ ſunt incommunicabilis exiſtentiæ, ita & ſunt incommunicabiles in hoc nomine (perſona) quo ita ſignificetur pluralitas, vt eodem non poſſit ſignificari aliqua vnitas &c. Ita, vt, ſi quæ ratio communis Perſonarum humanarum, aut creaturarum non eſt ita communis Perſonis Diuinis; ſed ſingulæ ſunt ſingulariſſimæ, & prorſus incommunicabiles ſub illa ratione perſonæ Diuinæ, non tantum reali communicatione, ſed nec conceptionali, ſeu obiectiua, imò nec nominali; fruſtra, & falsò fingatur ibi identitas ratione ſubſiſtentiarum, ſeu perſonalitatum, qualis in hominibus ratione plurium naturarum humanarum, Et hoc putat eſſe de mente S. Patris in eo capite. Reſp. hunc Auctorem eadem auctoritate S. P. quam pro ratione dubitandi adducit, potuiſſe ſatisfacere ſuæ obiectioni. Ait enim S. P. *Quia volumus, vel vnum vocabulum* (loquitur de hac voce perſona) *ſeruire huic ſignificationi*, qua

qua intelligitur Trinitas. Sentit ergo prædictum nomen eſſe commune tribus Diuinis Perſonis, & conſequenter etiam ſignificatum illius nominis, vt attentè conſideranti illud caput clarum fiet. Oſtendit enim ibi S.P. non dari quidem vnitatem numericam inter Perſonas, ſicut eſt eſſentiæ, alias eſſet ſolum vna Perſona, non tamen negat rationem perſonalitatis reperiri in ſingulis Perſonis, imò in dicto Capite totus eſt in eo, vt oſtendat pluralitatem Perſonarum ſub hoc nomine, Perſona.

Digitized by Google

CONTROVERSIA TERTIA.

De Diuinis Perſonis.

AXIOMA PRIMVM.

De ratione Perſonæ, ſubſiſtentiæ, & hypoſtaſis.

Ex Lib. 7. de Trinitate Cap. 6.

QVamquam, & illi (ideſt Græci) ſi vellent, ſicut dicunt tres ſubſtantias, tres hypoſtaſes, poſſent dicere tres Perſonas, tria Proſopa. Illud autem maluerunt, quod fortè ſecundum linguæ ſuæ conſuetudinem aptius diceretur; Nam & in perſonis eadem ratio eſt. Non enim aliud eſt Deo eſſe, aliud Perſonam eſſe, ſed omninò idem. Nam ſi eſſe ad ſe dicitur, Perſona verò relatiuè, ſic dicamus tres perſonas Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quemadmodum dicuntur aliqui tres amici, aut tres propinqui, aut tres vicini, quod ſint ad inuicem, non quod vnuſquiſque eorum ſit ad ſe ipſum. Quapropter quilibet ex eis amicus eſt duorum cæterorum, aut propinquus, aut vicinus, quia hæ nomina relatiuam ſignificationem habent. Quid ergo? num placet, vt dicamus Patrem perſonam eſſe Filij, & Spiritus Sancti, aut Filium perſonam eſſe Patris, & Spiritus Sancti, aut Spiritum Sanctum perſonam eſſe Patris,

Digitized by Google

tris, & Filij? Sed neque perſona ita dici alicubi ſolet, neque in hac Trinitate, cum dicimus perſonam Patris, aliud dicimus, quam ſubſtantiam Patris: Quo circa, vt ſubſtantia ipſe Pater eſt, non quo Pater eſt, ſed quo eſt; ita & perſona Patris non aliud, quam ipſe Pater eſt: ad ſe quippè dicitur Perſona, non ad Filium, vel Spiritum Sanctum, ſicut ad ſe dicitur Deus, & Magnus, & Bonus, & Iuſtus, & ſi quid aliud huiuſmodi.

DVBIVM I.

An ſit idem Perſona, Subſiſtentia, Hypoſtaſis, & Eſſentia.

PLura dixi de ſubſiſtentia, & perſonalitate in explicatione Axiomatum metaphyſicorum S.P.N. in Cap. 7. vbi de ſubſiſtentia: idcircò ad ibi dicta me remitto, & illis ſuppoſitis. Breuiter

Dico: Perſonam, ſuppoſitum, hypoſtaſim, & ſubſiſtentiam, vt contracta ad naturam intellectualem, idem ſignificare; Eſſentiam verò, ſeu naturam quid diuerſum. In hac doctrina explicanda immoratur S. P. in eo cap. vndè deſumptum eſt Axioma; ac etiam in capite præcedenti: Cumque hæc aſſertio indigeat magis declaratione, quam probatione, propterea eam ſic explico. Subſiſtentia ſumitur tum pro ratione ſubſiſtendi in abſtracto, tum etiam in concreto pro eo, quod ſubſiſtit, ſicut etiam hoc nomen Intelligentia quandoque naturam ſignificat. Vtroque modo dupliciter accipitur, primo, vt ſubſiſtentia dicat rationem ſubſiſtendi ſimpliciter, ideſt eſſendi per ſe, vel id, quod ſubſiſtit, & eſt per ſe. Secundo, vt dicit rationem ſubſiſtendi incommunicabiliter, ſiue id, quod incommunicabiliter ſubſiſtit; quo ſenſu in Concilijs definitur, eſſe in Diuinis tres ſubſiſtentias, ideſt tres perſonas. Totidem modis ſumi poteſt nomen hypoſtaſis, cui latinè correſpondet ſubſiſtentia.

Digitized by Google

tia. Verum communius accipitur pro ſubſiſtentia incommunicabili in concreto, ſiue pro ſuppoſito: quo nomine refert Euſebius lib. 10. hiſt. Eccl. cap. 15. in hac ſignificatione primo vſum fuiſſe Oſium Epiſcopum, vt contra Arrium vnitatem eſſentiæ, & contra Sabellium Trinitatem perſonarum tueretur. Sed cum hoc nomen, quandoque à Græcis vſurparetur etiam ad ſignificandam eſſentiam, ita vt anceps videretur, ad ſignificandum id, quod ſubſiſtit, & id quod ſubſtat; propterea antequam trita eſſet huius vocis ſignificatio, PP. latini ab ea refugiebant, ne, admittendo tres hypoſtaſes, viderentur admittere tres eſſentias. Hoc fuit in cauſa vt S. Hieronymus Epiſt. ad Damaſum ſcriberet: *In hoc nomine venenum ſub melle latere*: & S. Boetius Seuerinus, in lib. de duabus naturis, negauerit conuenire Deo, eo quod ſignificet id, quod ſubijcitur accidentibus, & S. Paulinus Epiſcopus Nolanus nollet admittere tres hypoſtaſes. PP. Græci è contra nolebant admittere in Deo tres perſonas, & ſic D. Gregorius Nazianzenus in oratione de laudibus D. Athanaſij Græci dicit, quod illi, qui tres hypoſtaſes dicebant, Latinis videbantur tres vſias, ſiue eſſentias cum Arrio dicere, eo quod, vt refert S. Hieronymus Epiſt. 57. *Tota prophanorum ſchola diſcrimen inter hypoſtaſim, & vſiam ignorabat*. Latini verò, qui reiecto nomine hypoſtaſis, perſonas dicebant, Græcis videbantur diſtinctionem ſolum rationis, & non realem inter tres Diuinas ſubſiſtentias ponere; ideſt ratione muneris, ſeu officij inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum cum Sabellio agnoſcere, eo quod perſonæ vocabulum, ad auctoritatem officij accommodari ſolet. Et ob hanc verborum ambiguitatem *eo res adducta eſt*, referente eodem S. Greg. Nazianz. loco citato, *vt periculum eſſet, ne orbis terrarum fines* (ideſt Orientalis, & Occidentalis Eccleſia) *vna cum ſillabis à ſe inuicem diſtraherentur, & abrumperentur*. Litem illam, in Concilio Alexandrino excitatam, compoſuit magnus Athanaſius, qui huic Concilio interfuit, vt refert Niceforus lib. 10. Cap. 16. & S. Greg. Nazianz. loco citato, qui idipſum præſtitit Conſtantinopoli, vt ipſe teſtatur in oratione ad 150. Epiſcopos, quæ eſt 32. in ordine; cum enim fuiſſent à Theodoſio conuocati, & ſimilis inter eos controuerſia orta fuiſſet; Nazianzenus probauit, nullam de rebus eſſe diſtinctionem

inter

inter eos, qui vnam, eamdemque rem, & fidem faterentur. Quapropter depoſita nominum controuerſia, quemadmodum, vt Græci προσωπα, ſeu Perſonæ vocabulum pro hypoſtaſi acceptarent, effecit S. Athanaſius; viciſſim etiam, vt Latini hypoſtaſim pro perſona dicerent, effecit apud Pontificem Damaſum Diuus Hieronymus Epiſt. 57. Ac idem etiam, quod hypoſtaſis, & perſona, vocabulo ſuppoſiti (quod Græci ὑφιςαμενον vocant) itemque ſubſiſtentiæ ſignificaretur, ex ratione ipſa nominum, & vſu Scriptorum Eccleſiaſticorum factum eſt, vt S. Thom. oſtendit 1. par. quæſt. 29. artic. 1. Explicata igitur notione vocis, paſſim à Sacris Concilijs, & à Doctoribus tres hypoſtaſes in Deo conceduntur, quia, licet illud, à quò nomen hypoſtaſis eſt deſumptum, ſubſtare, vel ſubſidere importet, quod in Deo non habet locum, in eo tamen reperitur illud, ad quod ſignificandum eſt impoſſitum, ideſt res incommunicabiliter ſubſiſtens. Hypoſtaſis igitur, & ſubſiſtentia in concreto, ac ſuppoſitum idem planè ſignificant, & à perſonà ſolum differunt, vt magis commune à minus communi: illa enim, ſine reſtrictione ſumpta, ſignificant rem ſubſiſtentem in quacumque natura; perſona verò in natura rationali, quatenus rationale ſignificat quamcumique naturam intellectualem. Propterea à S. Boetio definitur perſona, quod ſit: *Rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*.

Eſſentia in præſenti ſignificat Naturam, & quidditatem, quæ eſt fundamentum proprietatum; qnapropter, cum nomen ſubſtantiæ quandoque ſignificet eſſentiam rei, quandoque hypoſtaſim, ſeu ſuppoſitum, ne daretur occaſio errandi, Patres antiqui veriti ſunt, tres ſubſtantias in Deo concedere, ne viderentur ponere tres eſſentias; propterea S. Hieronymus epiſt. cit. ait: *Sufficiat nobis dicere vnam ſubſtantiam*. Sic etiam loquitur Concilium Toletanum XI. & S. P. N. lib. 5. de Trinitate cap. 9. ait: *Sed quia noſtra loquendi conſuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur, cum dicimus eſſentiam, quod ſubſtantiam &c. non audemus dicere vnam eſſentiam, tres ſubſtantias, ſed vnam eſſentiam, tres autem perſonas*. Et re vera non eſt dicendum ſine vlla reſtrictione, in Diuinis eſſe tres ſubſtantias, ſed, cum addito, tres ſubſtantias relatiuas, & tres incommunicabiles

les dicere poſſumus ; quia tunc ſubſtantia ſumitur in alia ſignificatione ; Et S. P. lib. 7. de Trinitate cap. 6. non omninò improbat hanc vocem in plurali ; ait enim ibi : *Cum conaretur humana inopia proferre , quod in ſecretario mentis pro captu tenet , timuit dicere tres eſſentias &c. quæſiuit , quid tria diceret : Et dixit tres ſubſtantias , ſiue perſonas.* Ex dictis clarum fit, quod habet S. P. prædicto lib. 7. cap. 5. vbi docet, Deum non dici propriè ſubſtantiam à ſubſtando ; ſed eſſentiam ; & cur in cap. 6. vndè deſumptum eſt Axioma, notet, Græcos poſſe, *ſi vellent, ſicut dicunt tres ſubſtantias , tres hypoſtaſes , dicere tres perſonas , & tria Proſopa :* lite enim compoſita , vt erat tempore S. P. nullus ſupererat ſcrupulus.

AXIOMA SECVNDVM

De ſubſiſtentia Diuina.

Ex Lib. 7. de Trinitate Cap. 5.

Manifeſtum eſt , Deum abuſiuè ſubſtantiam vocari : vt nomine vſitatiore intelligatur eſſentia , quod verè , ac propriè dicitur : ita vt fortaſsè ſolum Deum dici oporteat eſſentiam , eſt enim verè ſolus ; quia incommutabilis eſt , Exodi 3. Ego ſum qui ſum. Sed ſiue Eſſentia , ſiue ſubſtantia &c. vtrumque ad ſe dicitur , non relatiuè. Vnde hoc eſt Deo eſſe , quod ſubſiſtere : Et ideò , ſi vna eſſentia Trinitas , vna etiam ſubſtantia. Fortaſſis igitur commodius dicuntur tres perſonæ , quam tres ſubſtantiæ.

Digitized by Google

DVBIVM II.

An ſit concedenda in Deo ſubſiſtentia abſoluta.

Deum eſſe ens ſubſiſtens, eſt citra omnem controuerſiam. Sed difficultas eſt inter ſcholaſticos, an ſubſiſtat formaliter per eſſentiam, quatenus virtualiter diſtinguitur à relatione; an verò ſolum formaliter per relationes; ita, & per eſſentiam ſolum radicaliter, quatenus ſcilicet eſt fundamentum relationum. An etiam vtroque modo formaliter poſſit dici ſubſiſtere, eſſentiam quidem abſolutè, perſonas verò relatiuè. Agitatur autem quæſtio de ſubſiſtentia, tam in abſtracto, quam in concreto, non tamen quatenus ſubſiſtentia dicit rationem ſubſiſtendi incommunicabiliter, vel id, quod incommunicabiliter ſubſiſtit; hoc enim modo certum eſt, eſſentiam ſecundum ſe non eſſe perſonam à tribus perſonis diſtinctam: ſed quatenus importat rationem ſubſiſtendi ſimpliciter, ſiue id, quod ſubſiſtit. Quæſtio igitur eſt, magna ex parte, de voce, vt notauit etiam S. P. dicto lib. 7. de Trinitate cap. 4. quatenus ſcilicet in ea quæritur, vtrum talis perfectio exiſtendi Diuinæ eſſentiæ ſit vocanda ſubſiſtentia: ſed partim etiam de re, quatenus inquiritur, vtrum Deitas præciſa à relatione ſit per ſe, non ſolum vt id quo, ſed etiam vt quod. Quo explicato, facilè poſtea determinatur numerus ſubſiſtentiarum in Deo. Vtrumque ſimul breuiter expediam.

In hac difficultate tres ſunt Theologorum ſententiæ præcipuæ. Prima eſt Durandi, Paludani, & Capreoli in 3. diſtinct. prima, apud Becanum Tract. de Sanctiſſima Trinitate cap. 3. quæſt. 9. num. 2. quibus videtur fauere S. Tho. quæſt. 2. de Potentia artic. 1. & quæſt. 8. artic. 3. & 7. aſſerentium vnam eſſe ſubſiſtentiam abſolutam, ſeu eſſentialem, & nullas perſonales, ſiue relatiuas; licet enim concedant tres perſonas Diuinas conſtitui, & diſtingui per relationes, negant tamen ſubſiſtere per relationes, ſed volunt eas ſubſiſtere per eſſentiam.

Secunda ſententia eſt Alenſis 3 par. quæſt.2. memb.4. S. Bonauenturæ in 3. diſtinct. 2. artic. 1. quæſt.3. Marſilij in 3.quæſt.2. artic. 3. aſſerentium, tres eſſe ſubſiſtentias relatiuas, & nullam abſolutam, ſiue eſſentialem: cum quibus magna ex parte conſentit Henricus quodlib. 5. quæſt 8. vbi negat ſuppoſitum abſolutum commune.

Tertia eſt Caietani in 1. par. quæſt.3.artic.3.& in 3.par.quæſt.2. artic.2. & alibi; & videtur eſſe de mente S. Thom. 1.par. quæſt.30. artic.2. ad 2. Richardi, Gabrielis, Okami. & nouiſſimè Suarez in 3.par. diſput.11. ſect.3. vnam eſſe ſubſiſtentiam abſolutam, & tres relatiuas.

Præmitto ſolutioni, ſubſiſtentiam tria ſignificare. Primo rationem exiſtendi per ſe, & non in ſubiecto inhæſionis, quod conuenit omnibus ſubſtantijs. Secundo rationem exiſtendi per ſe, & independenter, quo pacto conuenit etiam animæ rationali ſeparatæ à corpore. Tertio rationem exiſtendi per ſe, & independenter, & incommunicabiliter; & ſic conuenit omnibus, & ſingulis ſuppoſitis. Ex his.

Dico primo: Eſſentiam Diuinam, vt ratione noſtra præciſam à relationibus, exiſtere per ſe exiſtentia perfecta, quæ in creaturis dicitur ſubſiſtentia. Probatur hæc aſſertio, quia Deitas vt ſic habet exiſtentiam propriam, non emendicatam à relationibus; ſed illa exiſtentia eſt exiſtentia per ſe, omninò independens ab alio, tanquam à ſubſtentante; ergo exiſtit exiſtentia illa perfecta, quæ in nobis habet rationem ſubſiſtentiæ. Maior probatur, quia hoc nomen (qui eſt) Deus ipſe, vt proprium, & eſſentiale ſibi impoſuit; vt propterea S.P. lib. 2. de moribus Manich. cap. 1. dicat: *Hoc enim maximè eſſe dicendum eſt, quod ſemper eodem modo ſeſe habet, quod omninò ſui ſimile eſt, quod nulla ex parte corrumpi, aut mutari poteſt, quod non ſubiacet tempori, quod aliter nunc ſe habere, quam habebat anteà, non poteſt. Id enim eſt, quod eſſe veriſſimè dicitur. Subeſt enim huic verbo manentis in ſe, atque incommutabiliter ſe habentis naturæ ſignificatio. Hanc nihil aliud, quam Deum poſſumus dicere &c.* Similia habet Rup. cap. 14. in Cap. 1. Exodi. Sanctus Ambroſius Epiſt. 63. & S. Dionyſius in lib. de Diu. Nominibus. Significat igitur exiſtentiam, & cum ſit eſſentiale ſignificat exiſtentiam abſolutam, & communem. Minor probatur, quia exiſtentia Deitatis, vt ſic, eſt in-

infinita ſimpliciter in ratione eſſendi; nam per illam, & non per relatiuam, habet quælibet perſona, vt ſit infinita ſimpliciter in genere entis: ſed non poteſt eſſe infinita in ratione eſſendi, quin includat per ſe exiſtere omninò independenter ab alio, tanquam à ſubſtentante; & tale exiſtere eſt ſubſiſtere; ergo &c.

Si opponas, ad hoc ſatis eſſe, vt ſit radix, à qua, noſtro modo intelligendi, fluat perſeitas in relationibus, quas ſibi identificat. Contra eſt, quia exiſtere per ſe eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ non ſolum identicè, ſed etiam formaliter debet conuenire eſſentiæ vt ſic. Præterea in Diuinis abſtractum, & concretum idem planè ſignificant quoad rem, & differunt ſolum in modo ſignificandi; & propterea de eſſentia, vt à relationibus contradiſtincta, dicitur, quod ſit Deitas, & Deus; ſed concretum non poteſt prædicari niſi de ſubſiſtente per ſe; ergo &c. Confirmatur, quia humanitas Chriſti, eo quod ſubſiſtat in alio, non poteſt dici homo, & inter illam vt ſic, & Deitatem vt ſic, eſt iſta differentia, quod humanitas ita exiſtit, vt poſſit ab alio ſuſtentari, & de facto ſubſtentetur; Deitas autem, ſeu eſſentia Diuina vt ſic, ſola ratione diſtincta, concipitur, vt independens ab alio ſuſtentante.

Dico 2. talem exiſtentiam poſſe dici ſubſiſtentiam. Hæc concluſio, quæ eſt quoad quid nominis, non poteſt aliter probari, quam ex vſu loquendi. Probatur igitur primo ex Agathone Papa, qui in epiſtola, quæ habetur in ſexta Synodo Act. 4. ait: *Confitemur trium ſubſiſtentiarum, ſiue perſonarum vnam ſubſiſtentiam.*

Probatur 2. ex S. P. N. qui lib. 7. de Trinitate cap. 4. ait: *Omnis res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quantò magis Deus*. Sic etiam loquuntur S. Hieronymus Epiſt. 17. quæ eſt ad Damaſum, S. Hilarius lib. 7. de Trinitate S. Ioan. Damaſc. lib. 3. de fide Orthod. & S. Cyrillus, & alij SS. PP. quos referunt Salmanticenſes Diſput. 9. de Trinitate Dubio 5. §. 2.

Probatur 3. ex S. Thom. qui in 1. diſtinct. 21. quæſt. 2. artic. 1. ait: *Natura Diuina eſt in ſe habens eſſe ſubſiſtens, nulla intellecta perſonarum diſtinctione*. Et in 3. diſtinct. 6. quæſt. 2. artic. 1. ad 2. ait: *In Deo ipſa eſſentia ſubſiſtens eſt; vndè ei ſecundum ſe habetur eſſe, imò ipſa eſt ſuum eſſe ſubſiſtens*. Et lib. 4. contra Gentes cap. 14. ait: *In Deo ſunt plures*

res ſubſiſtentes, ſi relationes conſideremus, & vna res ſubſiſtens, ſi conſideretur eſſentia. Vltimo in quæſt. 9. de Potentia artic. 5. ad 11. *Ipſa*, inquit, *Eſſentia eſt ſecundum ſe ſubſiſtens, & ab illa habent proprietates perſonales, quod ſubſiſtant, ipſæ verò proprietates perſonales ex ſe habent, quod perſonas ad inuicem diſtinguant*. Diu. Thomam ſequuntur ferè omnes Thomiſtæ, & plures alij extra ſcholam ipſius. Ex quibus apparet, immeritò, & ſine fundamento Becanum in Tract. de Trinitate cap. 3. quæſt. 9. §. 5. ſcripſiſſe: hos Auctores errare in modo loquendi, & non loqui propriè. Qualis enim verior loquendi modus, & magis propria loquutio, quam illa, qua vtuntur Summi Pontifices, Sacra Concilia. SS. PP. & DD. nec non & celebriores Theologorum Scholæ?

Opponit Vaſquez tom. 2. Diſput. 125. cap. 5. multa, & primo reſpondet, teſtimonium S P. ſupra adductum nullius eſſe momenti pro noſtra ſententia; eo quod nos non concedamus vnam ſolam ſubſiſtentiam abſolutam in Deo, ſed vlterius admittamus etiam tres relatiuas; & S. P. Auguſtinus, omnem ſubſiſtentiam relatiuam neget, ait ille, & vnam ſolum abſolutam aſſerat, cum dicit, Deum, non relatiuè, ſed ad ſe ſubſiſtere; & propterea S. P. nunquam vſum fuiſſe hoc nomine latino ſubſiſtentia, & nomen græcum Hypoſtaſis fuiſſe illi ſuſpectum: ac proindè, cum in dicto cap. 4. timeret, tres hypoſtaſes, aut ſubſtantias latinè concedere, iure optimo dixiſſe: Deum ad ſe, non ad aliud ſubſiſtere, ſicut ad ſe, non ad aliud ſubſtantia, & eſſentia eſt. Quod ſi tres ipſe ſubſiſtentias fateretur, non negaret Deum ad aliud ſubſiſtere; eo quod intelligeret, idem eſſe ſubſiſtere, quod incommunicabiliter exiſtere; & quia ratio incommunicabilitatis prouenit ex relatione, indè quoque diceret, Deum relatiuè ſubſiſtere, ſicut etiam nunc dicitur, in Deo relatiua ſubſiſtere: quare non aſſereret, in Deo eſſe vnam abſolutam ſubſiſtentiam, ſed tres ſolum relatiuas fateretur: *Nos verò* (ait ibi Vaſquez) *qui iam ex vſu Eccleſiaſtico, nomine latino, ſubſiſtentia, pro græco hypoſtaſis, vtimur, & ita græcè dicimus in Deo tres hypoſtaſes relatiuas, vt non audeamus concedere aliquam abſolutam, eodem modo pronunciamus nihil in Deo eſſe abſolutum, & commune, cui nomen latinum, ſubſiſtentia, quadrare poſſit.*

Ad teſtimonium Agathonis Summi Pontificis Reſpondet: litteram

teram eſſe mendoſam, cum legitur: Trium ſubſiſtentiarum, ſeu perſonarum vnam ſubſiſtentiam. Sed legendum: *Vnam ſubſtantiam*, ſicut in pluribus latinis exemplaribus reperitur, nec credibile eſſe, in tam paucis verbis, eadem voce vſum fuiſſe Agathonem, in ſenſu tam diuerſo.

Ad Auctoritatem S. Hieronymi reſpondet eodem prorſus modo, quo ſupra reſpondit auctoritati S. P. eo quod & iſte ſeuerius reijceret tres hypoſtaſes, vt, nulla ratione hunc loquendi modum admittendum eſſe, diceret: & interpretabatur nomen græcum *hypoſtaſis*, ſicut Auguſtinus, non ſubſiſtentiam, ſed ſubſtantiam; propterea, non mirum, ſi diceret, Naturam Diuinam ex ſe ſubſiſtere, & non aliundè, concedens abſolutè, & ad ſe ſubſiſtere, ſicut Auguſtinus.

Similiter ad alios SS. PP. reſpondet: verba S. Hilarij malè citari, eo quod S. Hilarius ibi non habeat: *Vt ſubſiſtentiæ naturæ habeant perfectam vnitatem*. Sed, *vt ſubſiſtentis naturæ habeant &c.* Se autem non negare, quod Diuina natura ſubſiſtat in tribus perſonis; ſed quod negat, eſſe ſubſiſtentiam illam abſolutam, diſtinctam virtualiter à tribus relatiuis, qualis à nobis ponitur. Sic etiam ad alios SS. PP. reſpondet: vel eos perperam citari. Cum enim D. Dionyſius lib. de diu. nom. dicat: *Bonitatis ſubſiſtentiam per ſuum eſſe, cauſam eſſe omnium ſubſiſtentium*. Reſpondet: eum non dixiſſe Bonitatis ſubſiſtentiam, eo quod græcè non habeatur hypoſtaſis, ſed *vſiam*, quod ſignificat eſſentiam; & ideò Perionius transfert *eſſentiam*. Vel cum dicunt, naturam Diuinam ſubſiſtere, intelligendos eſſe in tribus perſonis; non verò ſubſiſtentia abſoluta. Sic interpretatur S. Gregorium Nyſſenum: qui in lib. de vita Moyſis col. 13. dicit: *Supremam eſſentiam verè ſubſiſtere*.

Pro ſolutione harum difficultatum Vaſquez. Noto, cum Suarez Diſputat. 33. metaph. ſect. 1. ex S. P. Auguſtino, & D. Iſidoro, ſubſtantiam dictam eſſe, vel à ſubſiſtendo, vel à ſubſtando, vel ab vtroque; & præterea communiter ſubſiſtentiam tribui, non ſolum ſubſtantijs completis, ſed etiam incompletis, & partialibus; ita vt dicatur Animam rationalem, etiam ſeparatam à corpore, ſubſiſtere ſubſiſtentia partiali, & materiam primam, ſi ſeparata à compoſito conſeruaretur, habituram ſubſiſtentiam propriam partialem; & ex ipſo Vaſquez

tom.

tom. 1. in 3.par. Diui Thom. diſput. 32. In ſubſtantijs compoſitis ex materia, & forma, naturalem ſubſiſtentiam totius nihil aliud eſſe, quam naturalem ſubſiſtentiam partium, eo quod, ſicut ex duabus naturæ partibus fit vna natura integra, ita ex partium partialibus ſubſiſtentijs vna fit integra, & totalis. Ex his deduco neceſſariò, nomen ſubſiſtentiæ latius patere, quam perſona, hypoſtaſis, & ſuppoſitum; nam, vt notaui in Axiomatibus metaph. S. P. cap. de ſubſiſtentia, eſto anima rationalis, adhuc ſeparata, dicatur ſubſiſtens, & ſubſiſtere, nihilominus hypoſtaſis, & perſona, ſeu ſuppoſitum non dicuntur, niſi de toto compoſito completo; licet enim manus hominis ſeparata poſſit dici ſubſiſtens, & ſubſiſtere, non tamen poteſt dici perſona, hypoſtaſis, vel ſuppoſitum. Hæc adeò vera ſunt, vt Franciſcus Zumel in Commentarijs ad 1. par. S. Thom. ad artic. 1. quæſt. 30. diſput. vnica concl. 1. dicat: neceſsè eſſe, ponere in Deo Naturam Diuinam per ſe ſubſiſtentem eſſentialiter ex propria ratione abſoluta, & non tantum propter relationes, & conſequenter neceſsè eſſe, ponere ſubſiſtentiam abſolutam communem, & eſſentialem. Quod probat, non ſolum prædictis Auctoritatibus Sanctorum; ſed etiam, quia ſubſiſtentia ſumitur pro ſubſtantia, vel eſſentia; eo quod nomen græcum, illi correſpondens, omnia hæc ſignificat. Similiter etiam Hieronymus Faſolus tomo 3. in 1.par. quæſt. 29. artic. 2. num. 5. in confirmationem huius ſententiæ adducit explicationes S. Hieronymi in Epiſt. 57. ad Damaſum: vbi refert, ſe fraudulenter ab Arrianis requiſitum, vt concederet tres hypoſtaſes; & ſubdit: *Tota ſæcularium litterarum ſchola nihil aliud hypoſtaſim, niſi Vſiam nouit.* Et præterea adducit etiam auctoritatem S. P. lib. 5. de Trinitate cap. 8. & lib. 7. cap. 4. poſt medium, vbi ait: *Licuit, loquendi, & diſputandi neceſſitate, tres perſonas dicere, non quia Scriptura dicit, ſed quia Scriptura non contradicit.*

Quibus prænotatis, facilè eſt retundere reſponſiones, & rationes Vaſquez. Propterea ad primam Reſp. dico, ex ipſo contextu S. P. apertè conſtare, ipſum Vaſquez falli; nam, antecedenter ad prædictum locum, in eodem capite ſic loquitur: *Certiſſimè quidem, & de Scripturis cognoſcitur, quod piè credendum eſt, & aſpectus mentis indu-*

indubitata perceptione perſtringitur, & Patrem eſſe, & Filium, & Spiritum Sanctum, nec eundem Filium, qui Pater eſt, nec Spiritum Sanctum eundem eſſe, vel Patrem, vel Filium. Quæſiuit quid tria diceret: & dixit ſubſtantias, ſiue perſonas, quibus nominibus, non diuerſitatem intelligi voluit, ſed ſingularitatem noluit, vt non ſolum ibi vnitas intelligatur, ex eo, quod dicitur, vna eſſentia; ſed & Trinitas, ex eo, quod dicuntur tres Perſonæ, vel ſubſtantiæ. Tres ergo ſubſiſtentias relatiuas admittit ibi S. P. nam pro eodem accipit ibi ſubſtantiam, ac ſubſiſtentiam, non ſolum quia pro eodem accipit ibi tres perſonas, ac tres ſubſtantias, ſed quia, vt infra in dicto capite ſe explicat: *Sicut ab eo, quod eſt eſſe, appellatur eſſentia; ita ab eo, quod eſt ſubſiſtere, ſubſtantiam dicimus.* Ex quibus patet, falsò ibi dicere Vaſquez, quod timuit eo capite tres ſubſtantias latinè concedere. Nam licet in fine capitis dicat, *abſurdum eſt autem, vt ſubſtantia relatiuè dicatur.* Nihilominus in capite ſequenti ſtatim explicat, ſe loqui de ſubſtantia, quatenus ſubiectum eſt accidentium phyſicorum, & à ſubſtando illis dicitur ſubſtantia, vt dicitur de corporibus. Vnde concludit, quod: *nefas eſt dicere, vt ſubſiſtat, & ſubſit Deus bonitati ſuæ, atque illa bonitas non ſubſtantia ſit, vel potius eſſentia, neque ipſe Deus ſit bonitas ſua, ſed in illo ſit tanquam in ſubiecto.* Quo ſenſu ait: *Manifeſtum eſt Deum abuſiuè ſubſtantiam vocari.* Et, eodem ſenſu excluſo, in principio cap. 6. poſtea admittit Græcos, *ſicut dicunt tres ſubſtantias, tres hypoſtaſes poſſe dicere, tres perſonas, tria proſopa.* Et in fine capitis liberè concedit quibuſque diſputantibus, *ſi iam placet propter diſputandi neceſſitatem; etiam, exceptis nominibus relatiuis, pluralem numerum admittere, vt vno nomine reſpondeatur, cum quæritur, quid tria, & dicere, tres ſubſtantias, ſiue tres perſonas, nullæ moles, aut interualla cogitentur &c.* Ex his clarum eſt, & tres hypoſtaſes admiſiſſe, & tres ſubſtantias, & vnam ſubſtantiam, & conſequenter vnam ſubſiſtentiam abſolutam, & tres relatiuas; cum ab eo, quod eſt *ſubſiſtere*, deducat nomen *ſubſtantia.*

Ad id, quod Vaſquez addit, pro ratione prædictorum, ideſt, quod, ſi tres ſubſtantias fateretur, non negaret, Deum ad aliud ſubſiſtere. Reſp. primo, petendo ab ipſo; an ſit idem formaliter hypoſtaſis, & perſona, ac

ac ſubſiſtentia relatiua, an verò præſcindat ab eo, quod eſt eſſe abſolutam, aut relatiuam: primum non poteſt aſſerere, nam alias quæcumque hypoſtaſis, & perſona creata eſſet relatiua; tenetur igitur dicere, quod præſcindat, & propterea eſſe diuerſum conceptum perſonæ à conceptu relationis cum illa identificatæ, & conceptum hypoſtaſis eſſe ad ſe, quia ſubſtantia incommunicabilis; & eſſe ad aliud in quantum identificat ſibi relationem. Fatetur ergo S. Pater, & vnam ſubſiſtentiam abſolutam, & tres relatiuas, ſi attentè legatur, & ſecundum germanum ſenſum interpretetur, vt eum legit, & interpretata eſt ſchola Thomiſtica, & alij plures, eruditiſſimique Doctores, qui, fulti prædictis Sanctorum DD. Auctoritatibus, ſubſiſtentiam latius patere hypoſtaſi, & Perſona agnouerunt; ac proindè communiter à SS. PP. admiſſam ſubſiſtentiam communem in Deo, & tres relatiuas, in quibus ratione noſtra diſtinguendus eſt conceptus ſubſiſtentiæ à conceptu relationis, quam ſibi identificat in Diuinis Perſonis.

Ex his patet: non eſſe admittendam cenſuram ipſius Vaſquez, qui in prædicta Diſput. 125. cap. 4. à num. 15. hæc ſcribit. *Nec vllus eſt ex Sanctis PP. tam latinis, quam græcis qui poſt compoſitam litem, quam diximus, concedat in Deo abſolutam aliquam ſubſiſtentiam, aut hypoſtaſim. Nam, vt infra dicemus, Hieronymus, & Auguſtinus, qui eam conceſſerunt, non ſatis intellexerunt ſignificationem nominis hypoſtaſis &c. Quare dubium non eſt Scholaſticos, qui hoc noſtro tempore, ob teſtimonia Hieronymi, & Auguſtini, concedunt in Deo ſubſiſtentiam communem, & abſolutam, ignoratione vocis lapſos fuiſſe. Mirandum tamen eſt, eos id ignoraſſe, quod tam ab Eccleſia græca, quam latina, & iamdiu ſine controuerſia receptum erat: nempè, ſubſiſtentiam idem eſſe, quod ſuppoſitum, & Perſonam. Quod enim Hieronymus, & Auguſtinus hoc ignorauerint, mirum non eſt, quia nondum vis nominis græci apud Græcos ipſos ſatis nota erat.* Nam & S. P. loco citato ex lib. 7. cap. 6. apertiſſimè concedit tres hypoſtaſes, & S. Hieronymus in dicta Epiſt. quæ eſt 57. ad Summum Pontificem Damaſum, non detrectat admittere tres hypoſtaſes, modo abſit periculum ponendi tres Vſias, ideſt ſubſtantias abſolutas, ſiue tres eſſentias: optimè enim nouerat S. Doctor tunc, hoc nomen hypo-

Digitized by Google

hypoſtaſis potuiſſe habere vtrunque ſenſum. Legatur tota illa Epiſtola, & clarè videbit Lector in fine Sanctum Doctorem, ſic loquentem. *Si rectum putatis, tres hypoſtaſes, cum ſuis interpretationibus, debere nos dicere, non negamus &c. Benè interpretantur hypoſtaſim, & cum id, quod ipſi exponunt, habere me dicam, hæreticus iudicor. Quid tam anxiè vnum verbum tenent? Quid ſub ambiguo ſermone latitant? Si ſic credunt, vt interpretantur, non damno, quod retinent. Si ſic credunt, vt ipſi ſentire ſe ſimulant; permittant, & mihi meis verbis ſuum ſenſum loqui*. Nouerat ergo benè S. Hieronymus vim nominis hypoſtaſis, & rectè explicatum, ſublata ambiguitate, habere bonum ſenſum, quem nunc habet in S. Eccleſia.

Quod ſpectat ad Auctoritatem Summi Pontificis Agathonis, concedo libenter, & ego ipſe vidi in recentioribus codicibus Conciliorum, ac eo loco legi: *Vnam ſubſtantiam*; ſed nego eſſe mendoſos codices antiquiores, in quibus omnibus habetur *Vnam ſubſiſtentiam*: imò, cum illi omnes in hoc concordent, veroſimilius eſt Summum Pontificem ſcripſiſſe *ſubſiſtentiam*. Neque vllum eſt abſurdum, quod opponitur. Cum enim hoc nomen latius pateat perſona, & hypoſtaſi, vt dictum eſt, & vtraque ſit propria ſignificatio; nullum eſt inconueniens, vt repetitum ſecundum diuerſitatem, & exigentiam ſubiecti, cui applicatur, diuerſificetur eius ſignificatum.

Ad alias explicationes, ſeu extorſiones auctoritatum aliorum Sanctorum, ex ſupradictis patet reſponſio; ex ſola enim, & nuda inſpectione, & lectione ipſorum conſtat, eos admiſiſſe Naturam Diuinam ſubſiſtentem ſubſiſtentia abſoluta. Et quando alius non eſſet, ſufficit nobis Auctoritas S. Thomæ pro mille Vaſquez.

Dices 1. cum dicto Auctore: Nunquam inuenitur apud PP. Græcos nomen *hypoſtaſis*, nec apud Latinos nomen *ſubſiſtentia* pro eſſentia, vel pro aliquo communi eſſentiali, poſtquam illa antiqua controuerſia in Eccleſia Dei explicata, & definita fuit: ita vt Imperator Iuſtinianus, & ipſe latinè ſcribens ad Pontificem Ioannem Secundum in edicto, ſeu confeſſione, ad eum miſſa, quæ habetur in tomis Conciliorum poſt Concilium Toletanum ſecundum, columna 9. intelligens hunc communem ſenſum PP. ſic ſcribat. Quoniam non eſt idem natura, & ſubſiſtentia. *Omnes enim SS. PP. conſonanter*

nos docent , aliud eſſe naturam , ſeu ſubſtantiam , & formam : aliud ſubſiſtentiam , ſiue perſonam : & naturam quidem , vel ſubſtantiam , & formam hoc , quod eſt commune , ſignificare : ſubſiſtentiam autem , ſiue perſonam hoc , quod eſt ſpeciale . Ergo ſubſiſtentia nullo modo poteſt ſumi pro eo , quod eſt commune , ſed ſolum pro eo , quod eſt ſpeciale . Reſpondeo: ſufficere nobis , quod Eccleſia , aut SS. PP. numquam improbarint loquutiones illas SS. DD. S. R. E. quales ſunt Hieronymus, Auguſtinus , & Thomas ; imò plurimos claſſicos Doctores Scholaſticos eas approbaſſe , & vnam ſubſiſtentiam abſolutam vſque hodie in pluribus celebrioribus vniuerſitatibus propugnari . Ad auctoritatem Concilij Toletani ſecundi ſub Ioanne Papa Secundo. Reſpondeo haberi quidem Epiſtolam Iuſtiniani Imperatoris, directam ad dictum Summum Pontificem . Quæ incipit : *Victor Iuſtinianus Pius Felix* ; ſed in ea nihil tale omninò habetur ; profitetur enim ibi Imperator fidem Catholicam, ſed de ſubſiſtentia , contradiſtincta à natura &c. nec verbum quidem habet ; nec alia Epiſt. Profeſſio , aut edictum ibi continetur huius, vel alterius Imperatoris : ſed immediatè ſubſequitur Concilium Aurelianenſe Secundum . Quapropter vnum è duobus neceſſariò dicendum eſt , vel prædictam auctoritatem eſſe ſuppoſititiam , & fictam : aut , ſi habetur, contineri in illis codicibus , quos , vt mendoſos , reijcit ipſe Vaſquez. Nam in correctiſſimis , & caſtigatiſſimis , quales ſunt illi , qui ſub Summo Pontifice Sixto V. Venetijs apud Dominicum Nicolinum excuſſi fuerunt anno Domini 1585. nihil tale habetur ; quod ſi ſublata fuerunt illa verba, ſignum euidens eſt , quod talem doctrinam non approbabat Eccleſia. Et ſic ruit Concluſio Vaſquez, & diſcipulorum,qui niſi huic,aut fictæ, aut reprobatæ auctoritati , contra DD. S. R. E. claſſicum cecinerunt.

Dices 2. In Sexta Sinodo Actione vndecima : Sabelliana prauitas dicitur , tres perſonas in vnam colligere, vel confundere ſubſiſtentiam ; ergo nullo modo ponenda eſt vna ſubſiſtentia , ne videamur conſentire Sabellianis. Reſp. longè diuerſam eſſe mentem Concilij. Nam in eo damnabatur directè error Sabellij , qui tres perſonas in Diuinis realiter diſtinctas negabat ; vnamque ſolam perſonam, ſola nominum , & officiorum diuerſitate , ratione noſtra diſtinctam ponebat. Et hoc eſt , quod ibi damnat S.Sy-

Digitized by Google

S. Synodus ; non verò eos, qui, admiſſa vna ſubſiſtentia abſoluta communi, tres perſonas realiter diſtinctas, & cum illa identificatas, admittunt.

Dices 3. Operari non eſt, niſi ſubſiſtentium: ſed Diuina eſſentia non operatur, niſi vt eſt in perſonis; ergo non ſubſiſtit, niſi prout eſt in illis. Aliqui Reſpondent, quod, licet eſſentia nec operetur, nec exiſtat, niſi in tribus perſonis, non tamen pendet ab illis in exiſtendo, vel operando; Deus enim vt ſic creat, & exiſtit, non verò quatenus eſt Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Mihi aliter reſpondendum, qui in Axiomatibus Metaphyſic. cap. 7. quod eſt de ſubſiſtentia, teneo cum S. P. Tract. 1. in Ioannem, perſonalitates Diuinas, etiam ſecundum proprias rationes, eſſe actiuas. Reſpondeo igitur, quidquid ſit de maiori, ad minorem; aliud eſſe, loqui de Diuina eſſentia, prout eſt à parte rei; & aliud, prout à nobis ratione noſtra præciſa. Verum quidem eſt, Diuinam eſſentiam non operari, niſi vt eſt in perſonis, quia eſt cum illis realiter identificata & tam ipſa, quam hypoſtaſes ſunt operatiuæ, & operatio indiuiſibiliter profluit & ab eſſentia, & à perſonis. Quod ſi per impoſſibile realiter ſepararetur ab illis, adhuc nihilominus eſſet operatiua, quod arguit potius ſubſiſtentiam illam abſolutam, quam eius negationem. Exemplum habemus in operationibus, in quibus ità concurrit prima cauſa cum ſecunda, vt etiam, ſi tolleretur operatio cauſæ ſecundæ, adhuc cauſa prima ſe ſola operaretur; eo quod etiam ſola ſit operatiua; & propterea negatur conſequentia; cuius oppoſitum potius erat inferendum.

Dices 4. Si Natura Diuina non eſſet niſi vna Perſona, quemadmodum ponunt Hebræi, & Gentiles; tunc eſſentia Diuina, vt contradiſtincta virtualiter, ſeu ratione noſtra à perſonalitate, non poſſet dici ſubſiſtere huiuſmodi ſubſiſtentia abſoluta communicabili; ergo nec etiam ex eo, quod ſit in tribus perſonis; cum vtrobique ſit eadem ratio. Reſp. negando conſequentiam: ex ea namque hypoteſi impoſſibili idem omninò eſſet in Deo id, per quod exiſteret per ſe, & id, per quod incommunicabiliter exiſteret; & ſolum differret eſſentia à perſona ex modo concipiendi; vndè conſiderata eſſentia, vt præſcinderet noſtro concipiendi modo à perſonalitate, non ſolum non ſubſiſteret incom-

municabiliter, ſed neque ſubſiſteret abſolutè & eſſet tantum id, quo Deus eſt, non verò, quod eſt. Vt de facto res ſe habet: aliud eſt in Deo, non quidem realiter, ſed virtualiter id, per quod Deus eſt per ſe, & aliud id, per quod ſubſiſtit incommunicabiliter: & ſic mirum non eſt, ſi, præciſa eſſentia ab ea ratione, per quam incommunicabiliter ſubſiſtit, adhuc poſſit concipi vt ſubſiſtens; nam ſecluſa ſubſiſtentia relatiua vt ſic, manere poteſt abſoluta: ſuppoſita verò vnica ſubſiſtentia abſoluta, & nulla alia omninò, vt eſſet ex hypoteſi, non poſſet, ea præciſa, concipi eſſentia, vt ſubſiſtens; eo quod eſſet excluſum totum id, per quod formaliter redderetur ſubſiſtens.

Dices 5. Subſiſtentia eſt vltimus terminus conſtitutiuus perſonæ; idcircò enim dicitur actus ſuppoſiti, quemadmodum communiter dicitur exiſtentia actus eſſentiæ: ſed non datur vna perſona abſoluta; ergo nec etiam vna talis ſubſiſtentia. Confirmatur ex S. Thom. qui 1. par. quæſt. 29. artic. 2. docet, ſubſiſtentiam, & ſuppoſitum idem eſſe. Reſp. terminum conſtitutiuum perſonæ non eſſe ſubſiſtentiam quamcumque, ſed ſolum ſubſiſtentiam incommunicabilem. Nam, licet hæc duo in ſubſiſtentia creata, propter eius limitationem, ſeparari non poſſint, quia id, quod vltimatè ſubſiſtit in creatis, non poteſt eſſe commune multis; in Diuinis tamen virtualiter diſtinguuntur; ita vt per aliud eſſentia Diuina habeat ſubſiſtere, per aliud ſubſiſtere incommunicabiliter; aliud, inquam, non re, ſed ratione, & virtualiter ſolum diuerſum. Et ideò hæc ſubſiſtentia abſoluta, cum ſit communicabilis, nullo modo poteſt dici eſſe, aut conſtituere perſonam incompletam, aut ſemiperſonam (vt perperam admiſiſſe Caietanum refertur). Nam licet eſſentiæ conueniat ſubſiſtere tale, quod, addita incommunicabilitate conſtituat perſonam; ratio tamen perſonæ conſiſtit in indiuiſibili, ideſt in re ſubſiſtente incommunicabiliter in natura rationali, ſeu intellectuali. Aliàs, ſi eo, quod vna ratio partialis alicuius eſſentiæ reperitur in aliqua natura, ea poſſet denominari ſemper illa denominatione eſſentiali, quæ competit habenti illam eſſentiam, ſeu naturam; etiam Leo, in quo reperitur ratio animalis, poſſet dici homo incompletè, vel ſemihomo, quod, quam abſurdum ſit, nemo eſt, qui non videat; Cumque in materijs theologi-

logicis, & maximè in hac de Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis ſit vitanda vocum nouitas, aliena à modo loquendi SS. PP. & Conciliorum, loquutiones dictæ non ſunt admittendæ.

Ad Confirmationem ex S.Tho. reſpondeo: ibi S. Doctorem nullo modo contradicere ijs, quæ docuit locis ſupracitatis; imò potius ea ibi confirmare; docet enim ibidem, ſubſtantiam vno modo dici quidditatem rei, quam Græci Vſiam; nos eſſentiam vocamus; alio modo ſubiectum, vel ſuppoſitum, vel quod ſubſiſtit in genere ſubſtantiæ, & hoc nomine ſignificante intentionem, vocari (dicit) ſuppoſitum; nomine autem rei ſecundum, quod per ſe exiſtit, & non in alio, ſubſiſtentia. Illa enim ſubſiſtere dicimus, quæ non in alio, ſed in ſe exiſtunt. Hæc ibi habet S. Thom. ex quo patet nomen ſubſiſtentiæ, non ſolum ſignificare perſonam, ſed etiam ſubſtantiam quamcumque, quatenus per ſe exiſtit, & non in alio; ac proindè non dici ad conuertentiam cum hypoſtaſi; ſed latius patere illa. Vide prædictum articulum, & clarè perſpicies ipſum, ex S. Seuerino Boetio, & notione illorum quatuor nominum Perſona, hypoſtaſis, ſubſiſtentia, & eſſentia, breui complexu docere id, quod hucuſque cum S.P. dictum eſt.

AXIOMA TERTIVM.

De vnitate, vel multiplicatione ſubſiſtentiæ in Deo.

Ex Lib. 7. de Trinitate Cap. 6.

ILli (ideſt Græci) *ſi vellent, ſicut dicunt tres ſubſtantias, tres hypoſtaſes, poſſent dicere tres perſonas, tria proſopa. Illud autem maluerunt, quod fortè ſecundum linguæ ſuæ conſuetudinem aptius diceretur. Non enim aliud eſt Deo eſſe, aliud perſonam eſſe, ſed omninò idem &c.* (in fine capitis). *Aut ſi iam placet*

placet propter diſputandi neceſſitatem; etiam exceptis nominibus relatiuis, pluralem numerum admittere, vt vno nomine reſpondeatur, cum quæritur, quid tria, & dicere tres ſubſtantias, ſiue tres perſonas, nullæ moles, aut interualla cogitentur, nulla diſtantia quantulæcumque diſſimilitudinis, vt ibi intelligatur aliud alio, vel paulo minus, quocumque modo minus eſſe aliud alio poteſt, vt, neque perſonarum ſit confuſio, nec talis diſtinctio, qua ſit impar aliud. Quod ſi intellectu capi non poteſt, fide teneatur, donec illuceſcat in cordibus noſtris ille, qui ait per Proph. Niſi credideritis, non intelligetis.

DVBIVM III.

Vtrum Relationes Diuinæ ex propria ratione ſubſiſtant.

Certum eſt Relationes Diuinas eſſe ſubſiſtentes, eo quod identificentur cum eſſentia Diuina, quæ ſubſiſtit. Difficultas in præſenti eſt, an vnaquæque habeat propriam ſubſiſtentiam, diſtinctam ratione à ſubſiſtentia abſoluta, an verò quælibet earum ſubſiſtat eadem ſubſiſtentia abſoluta. In qua duæ ſunt oppoſitæ ſententiæ.

Prima eſt Scoti quodlib. 4. ad primum, Capreoli in 3.diſtinct.1. quæſt. 1. artic. 3. ad 2. Durandi in 3.diſtinct.1. quæſt.2. & in 1.diſtinct.26. quæſt.1. num.6. & aliorum apud Vaſquez diſput. 125. cap. 1. aſſerentium huiuſmodi relationes ſubſiſtere ſolummodo ſubſiſtentia eſſentiæ, ita vt, cum duo ſint de ratione perſonæ, primo ſubſiſtere, ſecundo incommunicabiliter ſubſiſtere, ſubſiſtentia perſonis conueniat ratione eſſentiæ, incommunicabilitas ratione relationis.

Secunda ſententia eſt, quamlibet relationem habere propriam ſubſiſtentiam realiter diſtinctam à ſubſiſtentia alterius, ac proindè eſſe in Deo tres ſubſiſtentias relatiuas, præter abſolutam; nec tamen propterea admittunt eſſe quatuor ſubſiſtentias; quia aliqui eorum

eorum negant illam abſolutam, quam nos ponimus, vt faciunt Alenſis, Bonauentura, & Marſil. locis ſupracitatis dubio præcedente: alij verò dicunt abſolutam intimè includi in relatiuis; vt Suarez 3.par.quæſt.3.diſput.11. ſect. 4. Fonſeca lib. 5. metaph. cap. 8. quæſt. 5. ſect. 7. Molina quæſt.29. artic.2. diſput. 3. Caiet. 3. par. quæſt. 3. artic.2. & plures recentiores, maximè Thomiſtæ, quibus nouiſſimè ſubſcribit P.Gonet tomo 5.diſput.5.art.2.§.2. cum quibus.

Dico: non ſolum in concreto, & adiectiuè, ſed etiam in abſtracto, & ſubſtantiuè concedendas eſſe in Deo tres ſubsiſtentias relatiuas. Probatur primo communiter hæc aſſertio ex Sacris Concilijs. Nam dicitur in Niceno ſecundo in exemplari litterarum Theodori Patriarchæ Hieroſolim. *Trinitatem quidem in tribus ſubſiſtentijs, vnitatem verò in vnitate Deitatis*. In Conſtantinopolitano tertio, quod & ſexta Synodus dicitur actione 13. in exemplari ſatisfactionis inter Cyrum &c. *Si quis non confitetur Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Trinitatem conſubſtantialem, vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs, anathema ſit*. Eſt etiam celebre teſtimonium in eadem ſexta Synodo Conſtantinopol. Act. 11. in Epiſt. Sophronij, vbi habetur *Trinitatem itaque in vnitate credimus, & in vnitate Trinitatem glorificamus: Trinitatem quidem pro tribus ſubſiſtentijs, vnitatem autem propter ſingularitatem Deitatis. Seu igitur Sancta Trinitas numerabilis perſonalibus facta eſt ſubſiſtentijs, ſiue Sancta vnitas extra omnem numerum eſt, & hac quidem indiuiſibilem habet diuiſionem, & inconfuſam gerit coniunctionem. Cum diuiditur namque numerabilibus ſubſiſtentijs, & numeratur perſonalibus alternitatibus*.

Probatur 2. Auctoritate SS.PP. nam S. Athanaſius ſerm. de Deipara ait: *Vnum Deum in tribus ſubſiſtentijs prædicamus, in quibus vna ſit ſubſtantia*. S. Ambroſius in Symbolo Apoſtol. cap. 2. *Catholicum eſt, vt & vnum Deum ſecundum vnitatem ſubſiſtentiæ fateamur; & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum in ſua quemque ſubſiſtentia ſentiamus*. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. de Trinitate his verbis. *Omnis noſtra fidei ſermo huc tendit, vt vnam dicamus Deitatis naturam, quæ in tribus ſubſiſtentijs propriè ſubſiſtit*. Denique S.Ioan. Damaſcenus lib. 1. de fide cap.9. *Filius propriam habet ſubſiſtentiam, præter eam, quæ Patris eſt*.

Reſpondent aliqui: prædicta teſtimonia Conciliorum, SS. PP. & ſimilia ſumere ſubſiſtentiam pro perſonalitate, & idcircò pluraliter loqui de ſubſiſtentijs, quia ſunt plures perſonæ, ſeu perſonalitates. Sed contra primo eſt, quia vel iſta acceptio eſt propria, vel impropria; ſi primum dicas, habetur intentum: ſi ſecundum, præterquamquod eſt inconueniens detorquere loquutiones Synodorum, & Doctorum, ac PP. S. Eccleſiæ ad improprium ſenſum; illa verba ſextæ Synodi: S. *Trinitas numerabilis facta eſt perſonalibus ſubſiſtentijs*, redderet ſenſum nugatorium; ſic enim eſſent exponenda, facta eſt numerabilis perſonalibus perſonalitatibus, quem patet eſſe nugatorium.

Reſpondent alij Concilia, & SS. PP. loqui de ſubſiſtentijs in concreto, ſeu pro re ſubſiſtente, & idcircò, cum dicunt eſſe in Deo plures ſubſiſtentias, idem eſſe, ac ſi dicerent eſſe in Deo plures res ſubſiſtentes; ad quod non eſt neceſsè, vt ſubſiſtentiæ multiplicentur; ſed ſufficit, quod ſint plures perſonæ eadem ſubſiſtentia gaudentes. Contra tamen eſt, quia etiam dato, & non conceſſo, quod loquerentur de concretis; cum huiuſmodi concreta ſint ſubſtantialia, adhuc neceſſariò eſſet inferenda multiplicatio ſubſiſtentiarum, eo quod ad multiplicationem huiuſmodi concretorum non ſufficit multiplicatio ſubiectorum, ſed vlterius requiritur multiplicatio formarum, vt eſt commune apud Philoſoph. & Theologos, vbi ex profeſſo de concretis loquuntur. Dixi dato & non conceſſo: nam ex ipſa voce, & modo loquendi eſt clarum, ea loqui de ſubſiſtentijs in abſtracto; loquuntur enim de illis veluti de formis, ſeu quaſi formis, quibus Tripit s multiplicatur, & numeratur, quod eſt loqui de ſubſiſtentijs non in concreto, ſed in abſtracto.

Vltimo reſpondent alij: tres ſubſiſtentias poni à Concilijs, & SS. PP. quia ſubſiſtentia abſoluta, in perſonis Diuinis incluſa, diuerſimodè ab illis modificatur, & diuerſis incommunicabilitatis modis terminatur, eo modo, quo conceduntur in Deo plures potentiæ notionales, generatiua ſcilicet, & ſpiratiua, abſque pluralitate rationis formalis producendi, quæ in vtraque eſt abſoluta, per hoc ſolum, quod ratio illa abſoluta diuerſis relationibus terminetur. Ita Nazarius ad quæſt. 39. 1. par. artic. 4. Controuerſia prima. Verum contra hanc doctrinam ſtat primo, quod

ſic

ſic etiam poſſent dicere eſſe tres Naturas Diuinas, quia etiam hæc in Perſonis Diuinis incluſa diuerſimodè ab illis modificatur; & diuerſis incommunicabilitatis modis terminatur: quod tamen nullus Catholicus admittet; ergo nec etiam illud debet à nobis concedi, propter paritatem rationis. Secundo repugnat præ cæteris loquutio *S. Ioan.* Damaſceni, qui apertè dicit, quod Filius propriam habet ſubſiſtentiam, præter eam, quæ eſt Patris; quod eſſet falſum, ſi ratio formalis ſubſiſtendi in Perſonis Diuinis non multiplicaretur; nam ex eo, quod ſubſiſtentia abſoluta à paternitate, & filiatione diuerſimodè modificetur, colligi ſolum poteſt, quod Filius habet ſubſiſtentiam ſibi appropriatam, non tamen ſibi propriam, & diuerſam ab illa, quæ eſt Patris.

Probatur 3. ratione communi, quam tetigi in refutatione ſecundæ Reſp. Quia videlicet ſunt tres Perſonæ ſubſiſtentes, non ſolum adiectiuè, ſed etiam ſubſtantiuè; ſed ſubſtantiua non multiplicantur, niſi ad multiplicationem formæ; ergo &c.

Reſpondent aliqui ex aduerſarijs, negando maiorem; & concedendo, eſſe quidem tres perſonas, quia ſunt etiam tres perſonalitates; ideſt relationes perſonales, conſtituentes perſonas in eſſe incommunicabili; & aſſerendo eſſe vnum tantum ſubſiſtens ſubſtantiuè, ideſt Deum in tribus Perſonis; adiectiuè verò tres habentes eamdem ſubſiſtentiam. Sed contra hanc reſponſionem ſtat, quod etiam dato, & non conceſſo, quod eſſent ſolum tres ſubſiſtentes adiectiuè, non habetur intentum ab ipſis. Nam concretum adiectiuum, vt benè notat Gonetus loco citato, non poteſt plurificari; niſi plurificetur ratio habendi formam ab eo importatam; cumque in præſenti ratio habendi formam importatam per concretum adiectiuum non ſit aliud, quam ſubſiſtentia, nam illa eſt prima ratio ſuſtentandi, aut quaſi ſuſtentandi formam; manet omninò neceſsè eſſe, quod ipſa ſubſiſtendi ratio plurificetur.

Probatur 4. quia relatio Diuina eſt actualis entitas diſtincta ratione noſtra à Deitate, ſed actualis entitas formaliter conſtituitur per exiſtentiam; ergo habet exiſtentiam: illa exiſtentia eſt omninò per ſe; ergo eſt ſubſiſtentia.

Hanc rationem, quæ eſt demonſtratiua, infirmare conantur aduerſarij, dicendo relationem ſecundum ſuam rationem, &

quidditatem non eſſe actualem entitatem, ſed ſolum quatenus identificatur cum eſſentia, & participat idem eſſe; Ad quod confirmandum dant inſtantiam in ſpiratione actiua; nam & ipſa eſt actualis entitas; de qua ſi dicatur habere exiſtentiam, & ſubſiſtentiam diſtinctam inferunt dari quartam ſubſiſtentiam relatiuam. Quod ſi dicatur exiſtere exiſtentia communi, idem dicendum eſſe de alijs relationibus contendunt. Reſp. tamen quod licet relatio præcisè in ſuo conceptu formali non inuoluat eſſe actualem entitatem contradiſtinctam ab eo, cum quo identificatur; nihilominus eam inuoluit, & importat, quatenus eſt idem, cum quo proximè, & immediatè identificatur; quod in præſenti eſt ratio perſonalitatis Diuinæ, vt contradiſtinctæ ratione noſtra ab ipſa eſſentia, quæ ratio perſonalitatis, vt ſic contradiſtinctæ, dicit in ſuo formali conceptu rationem ſubſiſtendi contradiſtinctam. Nec vrget inſtantia de ſpiratione actiua, quæ in ſuo conceptu formali dicit solummodo rationem relationis, & originis, & ratione eorum, cum quibus identificatur, non poteſt multiplicare perſonalitates, cum hæc ſint duæ perſonalitates Patris, & Filij, quibus eſt communis ipſa ſpiratio actiua; quæ manent duæ, ſicut erant; & ſic non dicit ſubſiſtentiam diſtinctam ab illis. Hinc deducitur ſequens ratio, &

Probatur 5. Quia ſunt in Deo tres perſonalitates; ſed perſonalitas dicit ſubſiſtentiam incommunicabilem; ergo ſunt tres ſubſiſtentiæ incommunicabiles. Confirmatur, quia relatio Diuina habens ea, quæ requiruntur, conſtituit perſonam; vel ergo conſtituit ſubſiſtentem, & habetur intentum, quia conſtituit formaliter, tribuendo ſe ipſam; vel aduenit ſubſiſtenti, vt ſpiratio actiua; & hoc eſſet eſſe veluti formam accidentaliter aduenientem, non verò hypoſtaticam; quod reiecit S. Thomas 1.par. quæſt.40. artic. 3. vbi dicit, proprietates perſonales non intelligi aduenire hypoſtaſibus Diuinis, tanquam formas ſubiecto, ſed ferre ſecum ſuppoſita: & quæſt. 9. de Potentia: Perſonam Diuinam ſignificare diſtinctum ſubſiſtens in Natura Diuina. Ex quibus locis plures Auctores probant, hanc fuiſſe ſententiam S.Thom.

Probatur 6. Quia in Deo eſt duplex eſſe, vnum abſolutum, alterum relatiuum, & vtrumque eſt independens à ſubſtentante: & pariter eſt duplex operatio, ad intra vna, ad extra altera,

ra, quæ ſupponunt vtrumque principium ſubſiſtens; ergo ſemper ponendæ ſunt ſubſiſtentiæ relatiuæ, diuerſæ ab abſoluta.

Probatur 7. Quia vnio humanitatis in Chriſto Domino ita terminatur ad ſubſiſtentiam Verbi Diuini, vt non terminetur ad alias ſubſiſtentias; ſed ſi eſſet vna ſolum ſubſiſtentia ſub diuerſis modificationibus, non poſſet terminari ad vnam perſonam, quin terminaretur ad alias; ergo diuerſa ſubſiſtentia eſt in Verbo à ſubſiſtentijs Patris, & Spiritus Sancti.

Reſpondet huic argumento Durandus loco citato: vnionem humanitatis primò terminari ad naturam Diuinam ſubſiſtentem, & conſequenter ad Perſonam Verbi. Sed in hac reſponſione non videtur poſſe ſaluari, quin omnes perſonæ ſint incarnatæ; & propterea hæc doctrina communiter reijcitur.

Reſpondent alij: terminari ad ſubſiſtentiam, vt modificatam proprietate Filij, & factam ipſius propriam. Sed in hac etiam reſponſione vix ſaluatur, quomodo ad alias perſonas non terminetur, & propterea non ſaluantur loquutiones Conciliorum, & SS. PP. quod ſint diuerſæ ſubſiſtentiæ, quod importat diuerſitatem in ipſis ſubſiſtentijs; non verò in ſolis modis, ſeu modificationibus.

Dices primo hanc doctrinam eſſe omninò contra expreſſam auctoritatem S. P. N. Auguſtini lib. 7. de Trinitate Cap. 4. qui rationem ſubſiſtendi in Deo maniſeſtè abſolutam putat, & de relationibus non prouenire aliquod genus ſubſiſtentiæ: ait enim: *Nam ſi hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere, ita non erant dicendæ tres ſubſtantiæ, vt non dicuntur tres eſſentiæ, quemadmodum quia hoc eſt Deo eſſe, quod ſapere, ſicut non tres eſſentias, ita nec tres Sapientias dicimus: Sic enim quia hoc eſt illi Deum eſſe, quod eſt eſſe, tam tres eſſentias, quam tres Deos dicere fas non eſt. Si autem aliud eſt Deo eſſe, aliud ſubſiſtere, ſicut aliud Deo eſſe, aliud Patrem, aut Dominum eſſe, quod enim eſt, ad ſe dicitur; Pater autem ad Filium, & Dominus ad ſeruientem creaturam dicitur: relatiuè ergo ſubſiſtit, ſicut relatiuè gignit, & relatiuè dominatur: ita iam ſubſtantia non erit ſubſtantia, quia relatiuum erit. Sicut enim ab eo, quod eſt eſſe, appellatur eſſentia; ita ab eo, quod eſt ſubſiſtere, ſubſtantiam dicimus: abſurdum autem eſt vt ſubſtantia relatiuè dicatur: omnis enim res ad ſe ipſam*

ſubſiſtit, quanto magis Deus. Quibus verbis apertè videtur reijcere tres ſubſiſtentias relatiuas.

Reſpondet P. Ludouicus Caſpenſis diſput. 3. de Trinitate ſect. 4. num. 33. ſequutus Vaſquez diſput. 125. cap. 5. S.P. Auguſtino & D. Hieronymo nunquam placuiſſe vſum nominis hypoſtaſis in ordine ad ſignificandas perſonalitates Diuinas, & ſubſiſtentias, & ſic communiter illud nomen adhibuiſſe ad ſignificandam ſubſtantiam Diuinam. Vnde quando conuertebant vocem hypoſtaſim iuxta linguam latinam, non ſubſtituebant nomen ſubſiſtentia, ſed nomen ſubſtantia. Et quando ponebant Verbum ſubſiſtere, vel nomen ſubſiſtentia, quæ illis ſonabat idem, quod ſubſtantia, nolebant relatiuè poſſe accipi, ſed ſolum eſſe ad ſe, & non ad aliud, ideſt ſecundum eſſe ſubſtantiale, & non relatiuum; quod ſi illi obtinuiſſent vſum, iam canonicè approbatum ab Eccleſia, & à Scholaſticis, ſecundum quem hypoſtaſis ſtat, non pro ſubſtantia, ſed pro ſubſiſtentia incommunicabili; non ita ſe gererent ſcrupuloſè, in admittendis tribus hypoſtaſibus, ſeu ſubſiſtentijs, cum addito relatiuis.

Verius Reſponderi poſſe arbitror, S. P. eo loco in argumento adducto non procedere definiendo; ſed ſolum ſuo vſitatiſſimo more inquirendo, vt patet ex principio capitis. Cuius euidentiſſimum indicium eſt, quod in cap. 6. quod eſt vltimum dicti lib. ſeptimi, vbi reſoluit difficultatem, concedit, vt poſſint dici tres ſubſtantiæ, tres hypoſtaſes, tres perſonæ & tria proſopa; ſubiungendo, quod in Perſonis eadem ratio eſt; & ſi diſputandi neceſſitas adſit, etiam exceptis nominibus relatiuis, poſſe admitti numerum pluralem, dummodò excludantur illæ imperfectiones, quas ibi enumerat: quæ omnia habes in Axiomate; ex cuius ſola lectione conſtat, nec diſplicuiſſe ei nomen hypoſtaſis; non enim reprobat ibi vſum illum loquendi Græcorum, ſed potius illum approbat; quod ſi non ſubſtituebant, nomen ſubſiſtentia pro hypoſtaſi, hoc ideò erat, quia licet verbum ſubſiſtere eſſet in vſu apud principes linguæ latinæ, pro diuerſis ſignificatis, non erat tamen in vſu nomen ſubſiſtentia, vt videre eſt apud ſelectiora, & correctiora vocabularia, quale eſt illud noſtri Ambroſij Calepini; vnde ex eiſdem Caſpenſi, & Vaſquez contra ipſos ad hominem ſic arguo. Subſiſtere, vel ſubſiſtentia apud

S.P.

S. P. & D. Hieronymum ſonabat idem, quod ſubſtantia, & nolebant relatiuè poſſe accipi, & ſi obtinuiſſent vſum, iam canonicè probatum ab Eccleſia, ſecundum quem hypoſtaſis ſtat pro ſubſiſtentia, & non pro ſubſtantia, non ſe gererent ita ſcrupuloſè in admittendis tribus hypoſtaſibus, ſeu ſubſiſtentijs, cum addito relatiuis; hæc ſunt verba ipſa Caſpenſis. Sed ſic eſt, quod S. P. admittit, vt eſt clarum in Axiomate, & ex toto illo cap. 6. & tres hypoſtaſes, & tres ſubſtantias, ſicut & tres perſonas, etiam ſine explicita additione relatiuas, implicitè tamen intellecta, vt conſtat ex illo capite; ergo à fortiori dixiſſet etiam tres ſubſiſtentias relatiuas, ſi tunc politioris litteraturæ Auctores nomine ſubſiſtentia vſi fuiſſent; qui enim non abhorruit à ponendis tribus ſubſtantijs, quod idem erat apud ipſum, non ſolum identicè, ſed etiam formaliter, ac tres ſubſiſtentiæ, nec etiam à nominandis tribus ſubſiſtentijs abſtinuiſſet. Falſum eſt igitur quod S. P. vnicam tantum ſubſiſtentiam abſolutam in Diuinis agnoſcat; ſed ex ipſiſmet ipſius verbis, & tres hypoſtaſes, & tres ſubſtantias relatiuas conceſſiſſe eſt clarum.

Dices 2. S. Thomas 1. par. quæſt. 40. artic. 2. ad ſecundum negat perſonas diſtingui in eſſe, quo ſubſiſtunt, & quæſt. 9. de Potentia artic. 5. ad 19. ait nullo modo concedendum eſſe, quod in Diuinis ſit niſi vnum eſſe, cum eſſe ſemper ad eſſentiam pertineat, præſertim in Deo, cuius eſſe eſt ſua eſſentia, & quæſt. 2. de Potentia artic. 1. docet Eſſentiam non accipere eſſe per ſuppoſita, & ideò per vnum, & idem eſſe, eſſe & incommunicante, & in eo, cui communicatur. Et deuique quæſt. 8. de Potentia artic. 3. ad 7. ait quod relationes in Diuinis, eſto conſtituant hypoſtaſes, & ſic faciant eas ſubſiſtentes, hoc tamen faciunt, in quantum ſunt eſſentia Diuina; relatio enim in quantum relatio non habet, vt ſubſiſtere faciat; ergo à primo ad vltimum de mente S. Thomæ eſt relationes Diuinas non ſubſiſtere niſi ſubſiſtentia abſoluta, & communi modificata. Reſpondent aliqui Thomiſtæ S. Thomam in prædictis locis denotare ſolummodò eſſentiam Diuinam eſſe radicem, non verò rationem formalem ſubſiſtendi, & ſignificare, quod, licet relationes Diuinæ vi ſuæ lineæ, & rationis formalis habeant, quod ſubſiſtant, & Perſonas Diuinas conſtituant, tamen vt hoc munus

præſtent, prouenit, tanquam à principio radicali, à Diuina eſſentia, quam includunt. Hanc reſponſ. reijcit Gonetus tomo 5. Diſput. 5. artic. 2. §. 4. vt parum conformem, imò diſcordantem à mente S. Thom. & aliam reddit ipſe magis conformem ſic. Quando S. Thomas dicit relationes Diuinas habere, quod ſubſiſtant ab eſſentia, non loquitur de ſubſiſtentia, vt dicit perſeitatem incommunicabilitatis, de qua in præſenti agimus; ſed de ſubſiſtentia pro perſeitate independentiæ ſumpta; cum enim ſubſiſtentia ſub hac acceptione ſit maxima perfectio, prouenit non ſolùm radicaliter, ſed etiam formaliter à Diuina Eſſentia, non verò à relationibus, quæ ratione ſui (in ſententia S. Thom. & eius ſcholæ) non dicunt perfectionem. Alia acutè expenſa ad mentem S. D. habet loco citato prædictus Auctor.

Dices 3. Eſt commune proloquium: in Diuinis omnia eſſe vnum, vbi non obuiat oppoſitio relatiua; ſed in hoc, quod eſt Patrem ſubſiſtere, nulla eſt oppoſitio relatiua; ergo in ea ratione ſubſiſtendi habent vnitatem, & identitatem, non verò diſtinctionem realem. Reſp. prædictum Axioma eſſe intelligendum cum grano ſalis; nam prædicata tranſcendentalia, quæ neceſſariò, non ſolum identicè, ſed etiam formaliter identificantur cum relationibus, & perſonalitatibus Diuinis, multiplicantur & ipſa ad multiplicationem perſonarum; cumque hoc, quod eſt ſubſiſtere, ſit prædicatum tranſcendentale reſpectu perſonarum, ſicut inhærere, ſiue eſſe in ſubiecto reſpectu accidentium; propterea, plurificatis ſubſiſtentijs, neceſsè eſt, quod plurificentur & perſonæ, quod acutè animaduertit S. P. quando in loco ſupracitato ex cap. 6. lib. 7. de Trinitate dixit, vt habes in Axiomatè: *ſi iam placet propter diſputandi neceſſitatem, etiam exceptis nominibus relatiuis, pluralem numerum admittere, vt vno nomine reſpondeatur, cum quæritur quid tria? & dicere tres ſubſtantias, ſiue tres perſonas*.

Dices 4. In Deo eſt vnum tantum eſſe exiſtentiæ; ergo & vna ſubſiſtentia: quia hoc eſſe eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ eſt melior ipſa, quam non ipſa; ergo intra rationem eſſendi eſt infinitè perfecta, & comprehendens omnem perfectionem ſui generis; alias ſi eſſet multiplex, vnum eſſe non contineret perfectionem alterius. Reſp. communiter: eſſe abſolutum, & eſſentiale eſſe vnum; ſed eſſe relatiuum,

tiuum, & incommunicabile eſſe triplex; nam licet tam eſſe Diuinum, quam ſubſiſtere Diuinum abſolutum ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices; nihilominus hoc non tollit, quo minus etiam ſubſiſtere relatiuum ſit & ipſum perfectio ſimpliciter ſimplex: quemadmodum enim ſupradixi relationes Diuinas paternitatis, filiationis, & ſpirationis eſſe non ſolum perfectiones, ſed etiam perfectiones ſimpliciter ſimplices; ſic & in præſenti conſequenter dico etiam ipſas ſubſiſtentias relatiuas eſſe perfectiones ſimpliciter ſimplices; nihil enim amplius poteſt opponi contra hoc, quam quod opponitur contra illud, quod iam ſupra ſolutum eſt.

Inſtabis: vel eſſe illud, & ſubſiſtere incommunicabile eſt diuerſum ab abſoluto, vel eſt idem, & differt ſolum ratione connotati. Si dicatur primum; iam illud abſolutum non continebit perfectionem huius eſſe, & ſubſiſtere relatiui, & sic non erit infinitum in ratione eſſendi, & ſubſiſtendi, quod eſt inconueniens. Si dicatur ſecundum, iam habetur intentum; non enim erit amplius diuerſitas, ſeu pluralitas in ratione ſubſiſtendi, ſed ſolum in modo, ſeu modificatione illius ſubſiſtentiæ communis. Reſp. hanc inſtantiam nimis probare, ac proindè nihil probare. Si enim probaret intentum, probaret etiam relationes Diuinas paternitatis &c cum ſuis prædicatis tranſcendentalibus non diſtingui virtualiter ab eſſentia, quod non eſt dicendum; ſicut ergo, licet eſſentia Diuina contineat in ſe omnem rationem eſſendi, & ſit omninò infinita in hac ratione, & nihilominus ab illa virtualiter in omnium ſententia contradiſtinguuntur relationes illæ, cum ſuis prædicatis tranſcendentalibus, ſinè quibus nec eſſe, nec concipi poſſunt, quæ tamen continentur radicaliter in ipſa Diuina eſſentia; sic ſubsiſtentia illa abſoluta, licet infinita in ratione ſubsiſtendi contineat omnem rationem ſubsiſtendi, poterit continere vnam rationem ſubsiſtendi formaliter, illam ſcilicet, quæ importat perſeitatem independentiæ, & alteram, siue alias radicaliter, illas ſcilicet, quæ important perſeitatem incommunicabilitatis; quales ſunt ſubsiſtentiæ relatiuæ.

Inſtabis vlterius: eſt contra rationem ſubsiſtentiæ, vt terminetur vlteriori ſubsiſtentia; ergo vel tollenda abſoluta, vel negandæ ſunt relatiuæ. Probatur antecedens: Subsiſtentia enim facit naturam eſſe per ſe; vnde non

non apparet, quomodo exiſtenti per ſe poſſit aduenire aliud exiſtere per ſe, quod tamen eſt neceſſarium admittere, si in eadem perſona eſt ſubsiſtentia abſoluta, & ſubsiſtentia relatiua; aut enim relatiua terminabit abſolutam; & sic iſta non erit vlterius terminus naturæ, & conſequenter nec etiam ſubsiſtentia; aut non terminabit, & sic illa non erit vltimus terminus. Confirmatur, quia si relationes adueniunt eſſentiæ ſubsiſtenti, iam ſe habent ad illam, vt formæ accidentales, non verò vt formæ, ſeu rationes hypoſtaticæ; si adueniunt ſolum exiſtenti, iam non datur ſubsiſtentia abſoluta. Hunc nodum putant aduerſarij inſolubilem: quem tamen facilè ſolui poſſe eſt certum, diuidendo, vt ſupra, sic. Alia eſt ſubsiſtentia dicens perſeitatem independentiæ; alia dicens perſeitatem incommunicabilitatis, & sic illam, vtpotè communem, non eſt inconueniens terminari ab iſta, siue ab iſtis; & conſequenter nec abſoluta, nec relatiua ſunt tollendæ: abſoluta enim facit ſubsiſtere, siuè eſſe per ſe priori modo, relatiuæ verò poſteriori. Et sicut naturæ Diuinæ exiſtenti per ſe identificantur relationes Diuinæ, quæ & ipſæ exiſtunt per ſe, diuersimodè tamen; sic etiam eidem ſubsiſtenti per ſe abſolutè optimè concipitur identificari ſubsiſtere relatiuum, abſque vllo inconuenienti.

Ad illud de vltimo termino. Reſp. hoc conuenire ſubsiſtentiæ, non ſumptæ in tota ſua latitudinæ, in qua ſolum significat perſeitatem; ſed ſolum ſubsiſtentiæ conſtituenti perſonam, nam si in creatis, eſto limitatis in ſuo eſſe, datur ſubsiſtere, quod non eſt vltimus terminus, quale eſt ſubsiſtere partium tam eſſentialium, vt materiæ, & formæ, quam integralium, vt ſunt caput, pedes, manus &c. quæ adhuc ſeparatæ ſubsiſtunt; quantò magis hoc in eſſe Diuino infinito, & illimitato poſſumus, ſuppoſita diſtinctione virtuali, ratione noſtra diſtinguere. Ex his patet ad Confirmationem: relationes enim adueniunt eſſentiæ ſubsiſtenti quidem, non tamen vltimò, & incommunicabiliter terminatæ.

Dices 5. Datis in Deo tribus ſubsiſtentijs, & exiſtentijs relatiuis, omninò neceſſariò ſequitur eſſe etiam admittendas tres durationes, duratio enim nihil eſt aliud, quam eſſe permanens; & si concedantur in Deo tres durationes, erunt etiam admittendæ tres æternitates, tres immen-

menſitates &c. contra id, quod docuit S. Athanaſius in Symbolo. Reſpondet Suarius Diſput.11. de Trinitate ſect. 2. poſſe etiam concedi tres durationes, ac etiam tres æternitates, non tamen ſimpliciter, ſed relatiuas, vel ſi magis placet, poſſe dici tres durationes, non verò tres æternitates, quia nomen durationis eſt abſtractius, & non dicit tantam perfectionem, quantam dicit æternitas: duratio enim vt ſic dicit ſolum permanentiam in eſſe; æternitas verò dicit perfectionem, & exiſtentiam vitæ prorſus immutabilem, quod competit Deo ſolum ratione eſſentiæ. Alias rationes adducunt Zumel in ſuis Comment. ad artic.2. quæſt.24. 1. par.S.Thom.& Arriaga diſput.49. ſect.2.

Sit igitur regula inuariabilis cum S. Athanaſio in Symbolo, non eſſe dicendos in Trinitate tres æternos, tres immenſos, tres Dominos: ſed vnum æternum, vnum immenſum, & vnum Dominum, ſumptis his nominibus ſubſtantiuè, vt ſumpſit ea S.Athanaſius; & docet S. Thomas 1. par. quæſt. 39. artic. 3. & cum eo communiter omnes alij Theologi; qui ſimul docent, quod, ſumendo ea adiectiuè, verè dici poſſunt tres æterni, & tres immenſi, ideſt tres perſonæ habentes immenſitatem, & æternitatem. Ex quo infertur Æternitatem, Immenſitatem, & Dominium in Deo non multiplicari. Nam iuxta regulam ſupra adductam ad pluritatem nomini ſubſtantiui requiritur & multiplicitas ſubiectorum, & multiplicitas formarum. Vnde ſi in Deo eſſent plures æternitates, & plures immenſitates, cum ſint plures perſonæ, non potuiſſet negare S. Athanaſius tres æternos, tres immenſos, & tres Dominos ſubſtantiuè, vt negauit. Hanc doctrinam tradidit etiam S. P. lib. 5. de Trinitate cap. 10. vbi ait: *Sicut ergo non dicimus tres eſſentias, ita nec tres magnitudines, nec tres magnos &c. quia non ea magnitudine magnus eſt, quæ non eſt, quod eſt ipſe, vt quaſi particeps eius ſit Deus: alioquin illa erit maior magnitudo, quam Deus. Ea igitur magnitudine magnus eſt, qua ipſe eſt eadem magnitudo &c. Hoc & de Bonitate, & de Æternitate, & de Omnipotentia, omnibuſque prædicamentis, quæ de Deo poſſunt pronuntiari, quod ad ſe ipſum non tranſlatè, ac per ſimilitudinem, ſed propriè; ſi tamen de illo propriè aliquid dici ore hominis poteſt.* Quæ in eo ſenſu, quo verba S. Athanaſij explicant Theologi, accipienda ſunt.

Digitized by Google

Quæri hic vlterius poteſt, an, præter exiſtentiam abſolutam, ſint admittendæ in Deo tres exiſtentiæ relatiuæ. Hæc difficultas, vltra communem dubitandi rationem, habet peculiare motiuum in ſententia, quam ego ſequor in Axiomatibus Metaphyſicis, nempè quod eſſentia, & exiſtentia, nec etiam ratione ratiocinata diſtinguantur; ac proindè, ſi per S. P. non poſſumus dicere tres eſſentias, ſic nec etiam poterimus dicere tres exiſtentias. His tamen non obſtantibus.

Concluſio eſt affirmatiua, nec eſt contra S. P. nam cum, vt ſupra vidimus, in cap. 6. lib. 7. de Trinitate admittat tres hypoſtaſes, tres perſonas, ac etiam, propter neceſſitatem diſputandi, tres ſubſtantias, ideſt relatiuas, conſequenter loquendo non negaſſet tres etiam exiſtentias relatiuas. Probatur autem ratione, quia omnia tranſcendentia ſunt communia naturæ, & relationibus; ac proindè iſtis multiplicatis, neceſsè eſt, vt & illa multiplicentur, iuxta regulam ſupra allatam: Multiplicato inferiori, multiplicatur & ſuperius in eo incluſum: ſed exiſtentia, ſicut & eſſentia eſt prædicatum tranſcendens; ergo habet eſſe commune naturæ, & relationibus: atque adeò multiplicatis relationibus, neceſsèeſt & ipſarum eſſentias pariter relatiuas multiplicari.

Ad motiuum dubitandi, ſumptum ex S. P. Reſpondeo hoc nomen eſſentia quandoque ſignificare naturam, quandoque verò ſignificare ſolum quidditatem alicuius rei, quæcumque illa ſit, ideſt illa prædicata, ſine quibus res illa, ſiue ſit ſubſtantia, ſiue accidens, nec eſſe, nec concipi poteſt. Cum igitur S. Pater dicit, quod non dicimus tres eſſentias, certum eſt ipſum loqui de eſſentia, quatenus ſignificat naturam Diuinam; nam in hoc ſenſu de illa loquitur in capitibus præcedentibus, non verò quatenus ſignificat quidditatem cuiuſque rei, ac propterea loqui de eſſentia abſolutè ſumpta, non verò relatiua; nam, vt dixi, de relatiuis loquendo, diſputantibus conceſſit etiam tres ſubſtantias relatiuas.

Dices: S. Thomas quæſt. 39. 1. par. artic. 3. docet, in Deo dici tres exiſtentes adiectiuè: At ſi eſſent tres exiſtentiæ relatiuæ, iuxta trium perſonarum numerum, dici etiam poſſent tres exiſtentes ſubſtantiuè, ſicut dicuntur tres Perſonæ; ergo S. Doctor non agnouit aliam exiſtentiam præter illam abſolutam, & com-

mu-

Digitized by Google

munem. Reſp. eſſe regulam generalem; vt cùm eſt ſermo de Deo, & nomina tranſcendentalia communia eſſentiæ, & relationibus abſolutè proferuntur, ſumantur regulariter prout in eſſentia includuntur; iuxta quem ſenſum, & doctrinam non licet dicere in Deo abſolutè tres exiſtentias ſubſtantiuè, ſed adiectiuè tantum, quia eſt tantum vnica exiſtentia Diuinæ naturæ. Et hoc intendit eo loco S. Thom. Nam de cætero communiter cum addito affirmatur in Deo dari tres exiſtentias relatiuas.

Quæri hic vlterius poteſt: vtrum hoc nomen Perſona ſignificet relationem? Huius dubij ſolutio conducet ad pleniorem intelligentiam eorum, quæ docuit S. P. lib. 5. de Trinitate cap. 6. & 7. circa ea, quæ dicuntur ſubſtantialiter, aut relatiuè, ſingulariter, aut pluraliter, & cætera huiuſmodi. Procedit hoc quæſitum non de perſona in communi, **ſed de perſona Diuina vt ſic, &, vt communiter dicitur, vt tale incomplexum; quemadmodum ad exprimendum hoc incomplexum homo, quod eſt ſpecies animalis, vterentur hoc complexo, animal rationale.**

Ratio dubitandi oritur ex eo, quod cum perſona in Diuinis multiplicatur, videtur ſignificare relationes, quæ ſolæ multiplicantur; & ex eo, quod nomen perſona non dicitur ad aliud, videtur ſignificare abſolutum.

Præmitto primo, non ſolum in nominibus connotatiuis, ſed etiam in abſolutis communiter diſtinguendum eſſe inter ſignificatum materiale, & ſignificatum formale. Formale dici ſolet illud, ad quod ſignificandum principaliter, ſiue expreſsè eſt impoſitum nomen: materiale verò res, in qua expreſsè, ac principaliter ſignificata neceſſariò ſaluatur. Sit exemplum hoc nomen homo, quod formaliter ſignificat compoſitum ex corpore & anima rationali, materialiter verò corpus habens caput, Cor, Hepar &c. ſine quibus non ſaluatur tale compoſitum. Similiter, cum dicimus ſpecies, ſiue ſenſibiles, ſiue intelligibiles, formaliter ſignificatur ſimilitudo obiecti; materialiter verò talis qualitas, in qua ſaluatur ratio illa ſimilitudinis.

Præmitto ſecundo, non eſſe idem formale ſignificatum nominis, & directum, nec idem materiale, & in obliquo; ſed poſſe fieri, vt idem ſit directum, & materiale, & idem in obliquo, & formale; nam directum dicitur, quod in recto ſignificatur, in obliquo verò, quod in alio ca-

 ſu,

ſu, ſiue implicitè, ſiue expreſsè. Quapropter Perſona, vt abſtrahit à creata, & increata, ſignificat ſubſiſtens incommunicabiliter in natura rationali, abſtrahendo à relatiuo, & abſoluto. Perſona creata, quia conſtituitur in eſſe per entitatem abſolutam, materialiter ſignificat quid abſolutum. Perſona Diuina, quia conſtituitur per relationem, materialiter ſignificat relationem, ſed tam creata, quam increata ſignificat ſubſiſtens incommunicabiliter. Quo poſito.

Dico: quod, licet ſubſiſtens vt ſic non dicat ordinem ad aliud directè, nihilominus perſonam Diuinam ſignificare relationem, non per modum relationis, ſed per modum formæ hypoſtaticæ; ac proindè ſignificare relationem in obliquo ſub conceptu relationis, tam materialiter, quam formaliter; implicitè tamen, & velut in obliquo. Quod ſic probo. Quæcumque Perſona Diuina conſtituitur in eſſe perſonæ per relationem, per quam etiam diſtinguitur ab alijs perſonis: ſed hoc non exprimitur, nec importatur in recto ab hoc nomine perſona Diuina, & tamen includitur, & inuoluitur eſſentialiter in conceptu perſonæ Diuinæ; ergo importatur implicitè, & in obliquo, modo dicto. Ex quo patet eandem relationem, & materialiter, & directè ſignificari, & etiam formaliter, & in obliquo. Simpliciter tamen dicendum eſſe relationem materialiter ſignificari, & formaliter ſignificari ſubſiſtens incommunicabile, eo quod ad hanc rationem ſignificandam ſimpliciter eſt impoſitum nomen Perſonæ. Et quia in Diuinis non ſaluatur hæc ratio, niſi in relationibus, per quas conſtituuntur perſonæ, neceſsè eſt, quod ſaltem materialiter ſignificetur relatio per hoc nomen perſona Diuina. Quemadmodum de qualitate in hoc nomine ſpecies, & de corpore in hoc nomine homo dictum eſt ſupra, materialiter importari.

Hanc doctrinam habes apud S. Thom. 1. par. quæſt. 29. artic. 4. vbi ad hoc quæſitum reſpondet: in Diuinis perſonam ſignificare relationem per modum hypoſtaſis in natura Diuina. Et quæſt. 9. de Potentia artic. 4. dicit materialiter ſignificare relationem, formaliter verò ſubſiſtens diſtinctum in natura Diuina. Quæ reſponſiones, quidquid contradicat Caietanus, in idem coincidunt. In prima enim vult rem ſignificatam eſſe relationem, modum verò ſignifican-

candi abſolutum. Ex quo ſoluitur punctus difficultatis; nam ratione rei nomen multiplicatur, ratione modi ſignificandi non dicitur ad aliud. In ſecunda reſp. ait materialiter ſignificari id, in quo neceſſariò ſaluatur ratio ſubſiſtentis incommunicabiliter in natura Diuina, quod eſt relatio, & coincidit cum re ſignificata; formaliter verò docet ſignificari ſubſiſtens incommunicabiliter in tali natura, quæ ratio non ſaluatur niſi in relatione, ſed ſignificatur ad modum abſoluti.

AXIOMA QVARTVM.

De conſtitutiuo, & diſtinctiuo Diuinarum Perſonarum.

Ex Lib. 7. de Trinitate Cap. 6.

Nec ſic ergo Trinitatem dicimus tres Perſonas, vel ſubſtantias, vnam eſſentiam, & vnum Deum, tamquam ex vna materia tria quædam ſubſiſtant &c. Non enim aliquid aliud eius eſſentiæ eſt, præter iſtam Trinitatem; tamen tres perſonas eiuſdem eſſentiæ, vel tres perſonas vnam eſſentiam dicimus, tres autem perſonas ex eadem eſſentia non dicimus quaſi aliud ibi ſit, quod eſſentia eſt, aliud, quod perſona. Sicut tres ſtatuas ex eodem auro poſſumus dicere; aliud enim illic eſſe aurum, aliud eſſe ſtatuas. Et cum dicuntur tres homines eiuſdem naturæ, poſſunt etiam dici ex eadem natura: quia ex eadem natura & alij poſſunt exiſtere. Deinde non tantum eſt vnus homo, quantum tres ſimul: & plus ſunt duo, quam vnus homo, & ſic in ſtatuis &c. At in Deo non ita eſt &c. Quod animalis homo non percipit. Non enim poteſt cogitare niſi moles, & ſpatia volitantibus phantaſmatibus &c. Ex qua immun-

immunditia, donec purgetur, credat &c. Ioan: 10. Ego, & Pater vnum ſumus: vnum ſecundum eſſentiam: ſumus ſecundum relatiuum &c. aliquando tacetur vnitas eſſentiæ, & ſola pluraliter relatiua commemorantur. Ioan: 14. ad eum veniemus. Aliquando latenter omninò: Geneſis primo: faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.

DVBIVM IV.

Vtrum Perſonæ Diuinæ vltimò conſtituantur, & diſtinguantur per relationes.

QVinque ſunt in hoc puncto diuerſæ ſententiæ Theologorum. Prima eſt noſtri Gregorij Ariminenſis in 1. diſtinct. 26. & 27. quæſt. 1. aſſerentis diſtingui ſe ipſis, quod infert ex eo, quod ipſe defendit, nempè perſonas non conſtitui in eſſe perſonæ, niſi ſe ipſis; nam eo modo res ab alijs diſtinguuntur, quo in ſuo eſſe conſtituuntur: pro ea citatur etiam Præpoſitiuus.

Secunda eſt Ferrarienſis lib. 4. contra Gentes cap. 56. & Cardinalis Caietani in comment. artic. 2. quæſt. 40. pr. partis, aſſerentium conſtitutionem non eſſe à parte rei, niſi fundamentaliter; & conuenire perſonis, non ſecundum ſe, ſed prout à nobis concipiuntur.

Tertia eſt: conſtitui quidem ex eſſentia, & proprietatibus, ſed has eſſe abſolutas. Eſt Ioan. de Ripa, vt refert Scotus diſtinct. 26. quæſt. 1. §. 3. quam opinionem probabilem putat ipſe Scotus, & citra fidei incommodum poſſe defendi; & tribuitur ab aliquibus S. Bonauenturæ, ſed immeritò. Hæc ſententia ponit in qualibet perſona, præter eſſentiam, relationem, & originem, propriam entitatem abſolutam incommunicabilem, per quam perſona primò conſtituatur, & diſtinguatur ab alijs.

Quarta ſententia eſt S. Bonauenturæ in 1. diſtinct. 26. artic. vnico, perſonas conſtitui, & diſtingui per origines; relationes verò eſſe rationes cognoſcen-

ſcendi diſtinctionem Perſonarum.

Quinta ſententia eſt Sancti Thom. 1.par. quæſt.40. artic.20. & alibi ſæpè, Scoti loco citato, qui fatetur eſſe communem: Durandi diſtinct.26. quæſt.1. & aliorum communiſſima: nimirum conſtitui, & diſtingui per relationes. Pro ſolutione.

Præmitto primo. Conſtitutionem hanc perſonarum, de qua loquimur, non eſſe realem, ſed per intellectum, & dupliciter poſſe à nobis concipi. Primo ſub conceptu proprio, & diſtincto cuiuſcumque perſonæ, vt Patris, & Filij &c. Secundo ſub conceptu confuſo, & communi, non quod concipiatur gradus perſonæ communis, abſtractus ab hac, & ab illa perſona ſingulari; ſed ita vt hæc perſona ſingularis prius concipiatur, vt eſt tale indiuiduum perſonæ in communi, quam vt eſt Pater; quemadmodum Petrus poteſt concipi, vt eſt tale indiuiduum hominis. Si Perſonæ Diuinæ concipiantur primo modo, non poſſunt concipi, niſi vt relatiuæ (vt infra probabitur) quia nihil aliud ſunt, quam tales relationes Diuinæ ſubſiſtentes, & ſic concipitur prima perſona conſtituta relatione Patris, ſeu generatione Filij. Secundo modo poſſunt concipi vt conſtitutæ per relationem, non vt relatio eſt, ſed vt proprietas perſonalis, eo quod in creatis, à quibus deſumimus ſpecies, & cognitiones relationis, & perſonalitatis, aliud eſt perſonam conſtitui, aliud verò referri ad aliud. Et ſic, licet in Diuinis hæc duo ſint ab eadem entitate reali, & ab eadem ratione formali, tamen poſſunt ita concipi, vt vnum præſcindatur ab alio, non quidem præciſione perfecta, ſeu conceptu diſtincto, ſed præciſione imperfecta, & conceptu confuſo; & ſic concipitur à nobis Pater, quando concipitur ſub conceptu primæ perſonæ, non exprimendo an generet, vel non generet.

Præmitto 2. de ratione hypoſtaſis eſſe, vt ſit per ſe ſubſiſtens, & in ſe indiuiſa, quod autem ſit ab alia diſtincta actu, & realiter, contingere ex eo, quod dantur aliæ hypoſtaſes. Quapropter, ſi contingat non multiplicari Perſonas in aliqua natura, niſi per proceſſionem à prima, vt contingit in Diuinis, nunquam concipietur huiuſmodi pluralitas ſine eo, quod aliquo modo concipiatur vnam originari ab alia; concipietur quidem neceſſariò prima perſona, vt ſubſiſtens, & indiuiſa in ſe, ſed ſine conceptu proceſſionis, ſaltem im-

implicito, & confuſo non poterit concipi, vt diſtincta ab alia.

Præmitto 3. poſſe aliquid dici abſolutum dupliciter, primo poſitiuè, quatenus in ſua ratione includit eſſe ad ſe, & non ad aliud; ſecundo negatiuè, eo quod nec concipiatur in ordine ad aliud, nec poſitiuè includat eſſe ad ſe, aut excludat ordinem ad aliud, quo pacto dicitur eſſe ens, in ſententia eorum, qui illud perfecta præciſione aſſerunt præſcindi ab inferioribus, quod cum ſit ſuperius ad omnia prædicamenta, & ſic commune relatiuis, & abſolutis, eſt negatiuè abſolutum, cum tamen ſubſtantia, & quantitas ſint entia poſitiuè abſoluta. Quibus poſitis.

Dico 1. Perſonas Diuinas non diſtingui per proprietates abſolutas. Hæc eſt communior in ſcholis; ita vt aliqui ſententiam oppoſitam parum tutam, alij erroneam iudicent, vt videre eſt apud Bannez, & Zumel in Comment. artic. 2. quæſt. 40. 1. partis Sancti Thomæ. Probatur primo Auctoritate totius Sacræ Scripturæ, in qua nunquam Perſonæ Diuinæ nominantur, niſi nominibus relatiuis, vt Matth. Cap. vltimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filÿ, & Spiritus Sancti*. Ioan. Cap. vltimo: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*. Quod ſi conſtituerentur, & diſtinguerentur per abſoluta, Chriſtus Dominus, qui erudiebat Apoſtolos, & in eis, ac per eos totam Sanctam Eccleſiam, hoc aliquando exprexiſſet.

Huic inſtantiæ reſpondent Aduerſarij dupliciter. Primo Chriſtum Dominum ſe accomodaſſe noſtro captui, qui facilius intelligimus relationes, quam proprietates abſolutas; nam & vulgus ſæpius vtitur nominibus relatiuis, quam abſolutis: communius enim dicitur Imperator, Rex, Dux &c. hoc iuſſit, aut fecit; quam Leopoldus, Ludouicus, Carolus &c. ſic etiam domi nomina Patris, & Matris ſunt vſitatiora; & in ſchola nomen Magiſtri, quam nomina propria. Secundo dicunt per nomina illa relatiua denotari originem vnius ab alia, quod erat de neceſſitate credendum; quod non denotabatur per abſoluta.

Sed contra eſt, quia iuxta hanc doctrinam ſequeretur Chriſtum Dominum non tradidiſſe diſtinctam notitiam Perſonarum, & Proprietatum, quod eſt abſurdum aſſerere. Et præterea cum articuli fidei debeant accipi iuxta ſenſum, quem præſeferunt verba, ſi nullum ſequatur incommodum, & Verba Chriſti Domini efficiant hunc

hunc ſenſum, quod diſtinctio perſonarum ſit per relationes; nullo modo debet quis ex proprio arbitrio excogitare, & multo minus aſſerere, quod ſit per abſoluta; Concilia enim, & SS. PP. vnanimi conſenſu aſſeuerant diſtinctionem, & pluralitatem perſonarum eſſe ratione relationum, nullo verò modo ratione abſolutorum. Primo enim Concilium Tolet. XI. loquendo de Perſonis Diuinis in confeſſione fidei, ait: *Hoc ſolum numerum inſinuat, quod ad inuicem ſunt, & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt.* Ideſt abſoluta. Secundo Concilium Vormatienſe ait, *Patrem non ad ſe dici, ſed ad Filium*. Tertio Concilium Florentinum in litteris vnionis definiuit: *Patrem generando, Filio dediſſe omnia, quæ ſunt Patris, præter eſſe Patrem*. Ergo nihil abſolutum eſt in Patre, quod non ſit in Filio. Et ſeſſ. 18. dicitur, quod *ſola relatio multiplicat perſonas*. Præterea in Symbolis Apoſtolorum, Nicæno, & S. Athanaſij non habemus niſi nomina relatiua. Idem ſentiunt SS. PP. tam Latini, quam Græci; & Primo S. Pater lib. 5. de Trinitate planè docet, vt aduertit etiam Zumel loco citato Diſput. 1. abſoluta omnia eſſe vnum, relatiua verò multa; quod aduertit etiam P. Ioan. Morandus Tract. 6. qui eſt de Sanctiſſima Trinitate quæſt. 32. vbi in ſecunda Concluſione ait Sanctum Patrem in cap. 5. dicti libri de Trinitate clarè docere in Deo non eſſe niſi ſubſtantiam, & relationem; & quidquid ad ſe, non ad aliud dicitur, ad eſſentiam pertinere. & lib. 6. de Trinitate cap. 2. apud Zumel, ait, quod Pater, & Filius in omnibus abſolutis conueniunt; in ſolis autem relatiuis differunt: ab eodem etiam citari ſolent ex lib. 7. pariter de Trinitate cap. vltimum, & ex lib. 9. cap. 1. Clariora teſtimonia S. P. ſunt tria. Primum ex lib. 5. de Trinitate cap. 2. vbi ait: *Quidquid autem ad ſe dicitur ſecundum ſubſtantiam dicitur &c. cum autem relatiuum negatur non ſecundum ſubſtantiam negatur, quia ipſum relatiuum non ſecundum ſubſtantiam dicitur.* Quod ſi Filius eſſet talis perſona proprietate abſoluta, iam diceretur Filius aliquid abſolutum ad ſe, quod non diceretur Pater, & de Patre eodem modo; quare iam alter ſine altero diceretur aliquid eſſe, quod eſſet abſolutum. Secundum eſt ex lib. 7. cap. vltimo vbi illud Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum ſumus* ita explicat, vt *vnum* referat ad eſſentiam, *ſumus* ad relationes. Tertium eſt ex lib. 9. cap. 1. vbi ait: *Credamus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum vnum eſſe Deum Creatorem vniuer-*

Digitized by Google

ſæ creatura, atque rectorem; neque Patrem eſſe Filium, neque Spiritum Sanctum, vel Patrem eſſe, vel Filium, ſed Trinitatem ad inuicem relatarum Perſonarum, & vnitatem æqualis eſſentiæ. Cum S. P. ſentiunt SS. Anſelmus lib. de Proceſſione Spiritus Sancti, Boetius Seuerinus lib. 1. de Trinitate cap. 12. Ex Græcis Nazianzenus Orat. 5. de Theologia, S. Cyrillus lib. 2. Theſauri cap. 3. & lib. 7. cap. 1. S. Ioan. Damaſcenus lib. 1. de Fide cap. 10. & 11. S. Baſilius lib. 2. contra Eunomium. Et S. Greg. Niſſenus ad Abladium, & communiter alij PP. & DD.

Probatur verò ratione primo, quia omnis diſtinctio, quæ non eſt materialis, eſt ſecundum aliquam oppoſitionem; ſed in Deo non habet locum diſtinctio materialis, aut alia oppoſitio, quam relatiua; ergo ſolum ſecundum relationem, & non ſecundum abſoluta Perſonæ diſtinguuntur. Minor probatur quoad ſecundam partem, nam prima eſt omninò certa: quia in eo non habet locum oppoſitio contradictoria, aut priuatiua, in quibus alterum extremum eſt non eſſe; nec contraria, in qua alterum extremum eſt imperfectius; ergo ſolum relatiua; ergo &c.

Confirmatur quia vltimum conſtitutiuum Perſonarum debet eſſe proprium vniuſcuiuſque perſonæ: ſed nullum abſolutum in Deo eſt proprium Perſonæ, quia in Diuinis omnia ſunt communia, vbi non obuiat relationis oppoſitio: ergo nihil abſolutum eſt conſtitutiuum Perſonarum in Deo.

Probatur 2. quia eſſentia Diuina propter ſuam infinitatem identificat ſibi adæquatè omnem rationem, quæ non habet oppoſitionem cum alia; ſed omne abſolutum caret huiuſmodi oppoſitione; ergo nullum abſolutum eſt proprium vnius. Maior patet in omnibus attributis, ac etiam in ſpiratione actiua, quæ licet non identificetur adæquatè eſſentiæ Diuinæ, eo quod habet oppoſitionem cum proceſſione; nihilominus, quia non opponitur nec paternitati, nec filiationi, vtrique identificatur; minor patet, quia abſolutum non dicit ordinem ad aliud, ſiue vt ad terminum, ſiue vt ad correlatiuum.

Si dicas huiuſmodi proprietates abſolutas, non diſtingui ſe ipſis, ſed per relationes, quæ illas conſequuntur; quemadmodum de facto Pater, & Filius à Spiritu Sancto diſtinguuntur, non per ſuas proprietates relatiuas, quibus inter ſe opponuntur, ſed per ſpirationem, quæ eſt relatio conſe-

quens.

Digitized by Google

quens. Contra eſt primo: quia Aſſertores huiuſmodi proprietatum abſolutarum ſupponunt perſonas non diſtingui per relationes, cum ſecundum ipſos ſupponantur extrema diſtincta antecedenter ad relationes ex natura rei. Secundò cum vnam perſonam diſtingui ab alia non ſit aliud, quam vnam non eſſe aliam; hæc negatio neceſſariò fundatur in ratione conſtitutiua Perſonæ; quia ex hoc, quod vtraque in ſuo eſſe conſtituitur, ſequitur, vt vna non ſit alia; ergo ſi conſtituitur proprietate abſoluta, per illam præcisè, non verò per relationem ſequentem diſtinguetur. Inſtantia de ſpiratione non eſt ad rem; nam, & ſi Pater, & Filius non opponantur Spiritui Sancto vt correlatiua, opponuntur tamen ei, vt terminus proceſſionis eſt, qui non minus diſtinguitur à relatione oppoſita, quam correlatiuum. Denique ſi diſtinguerentur per proprietates abſolutas, non verò per relationes, aut origines, poſſent eſſe plures perſonæ, quam tres: poſſent enim eſſe plures ingenitæ.

Dico 2. Origines pertinere ad conſtitutionem Perſonarum, non tamen excludendo relationes, vt ponunt aliqui, qui hoc tenent, ſed potius illas includendo. Antequam probetur hæc aſſertio: præſuppono primo originem in nobis dicere duo, motum ſcilicet, aut mutationem, & præterea relationem producentis ad productum; & cum in Deo non ſit neque motus, neque mutatio, ideò originem in ſuo conceptu dicere ſolum relationem. Secundo aduerto hic non eſſe ſermonem de origine actiua ſpirationis, quæ eſt coniuncta cum relatione ſpiratoris in Patre, & Filio, hæc enim, cum ſit communis, non dicitur proprietas perſonalis, neque conſtitutiua Perſonæ, neque vt origo, neque vt relatio: ac proindè eſſe ſolum ſermonem de tribus originibus, Generatione ſcilicet in Patre, Natiuitate in Filio, & Proceſſione in Spiritu Sancto. Quibus poſitis.

Probatur concluſio primo. Quia idem eſt principium conſtitutiuum, ac diſtinctiuum Perſonarum; ſed communiter SS. PP. docent origines eſſe principium diſtinctiuum perſonarum; ergo ſunt etiam principium conſtitutiuum earumdem. Minor probatur Auctoritate S. P. qui lib. 7. de Trinitate cap. 6. ait: *In Deo Patre enim, & Deo Filio, ſi vtriuſque natura quæratur, vterque Deus, nec magis magnus alter altero Deus. Si autem origo Pater eſt Deus, de quo Filius Deus.* Ecce quod diſtinctionem Filij à Patre agnoſcit eſſe ratione originis;

Digitized by Google

ſic etiam lib.5. de Trinitate cap.6. ait: *Ideò quippè Filius, quia genitus, & quia Filius vtique genitus: ſicut autem Pater ad Filium, ita Genitor ad Genitum*: vbi idem non ſolum realiter (de hoc enim nullum erat dubium), ſed etiam formaliter importatur in Diuinis per origines, ac per relationes modo dicto (excepta ſolum quadam leui diuerſitate in modo noſtro concipiendi, & ſignificandi vocum, de qua infra). Idem docuerunt S. Ambroſius lib.1. de Fide cap.2. S.Ioan.Damaſc.lib.3.de Fide cap.7. & S.Fulgentius lib.de Fide ad Petrum in fine. Idem ſenſit etiam Cardinalis Beſſarion oratione habita in Concil. Florent. cap. 6. vbi ait: *Principalius diſtingui perſonas per relationes, conſequenter per origines*.

Probatur 2. alia ratione; pro qua aduerto prius, quod origo, & relatio propria cuiuſque perſonæ eſt idem ex natura rei actuali identitate, & ſicut eſt per ſe ſubſiſtens ſuppoſitum, & perſonali proprietate, ſic etiam origine; & ſicut producit, aut producitur origine actiua, aut paſſiua, ſic etiam relatione; & ſicut refertur, aut opponitur relatione, ſic etiam origine; ita vt nihil conueniat perſonæ ratione vnius, quod non conueniat ratione alterius. Quapropter hæc duo in re non differunt, neque actualiter, neque virtualiter, ſed ſolum ex noſtro modo concipiendi, & ſignificandi vocum; quatenus eadem formalitas, quæ eſt origo, & à nobis non poteſt concipi prout eſt in ſe, ſed concipitur per ſpecies perſonalitatis, originis, & relationis creatæ, modò apprehenditur per vnam ſpeciem, modò per alteram, & ſic formamus tres conceptus de illa Diuina formalitate, quorum neuter excludit alterum, ſed vnus in alio implicitè includitur. Quo prænotato, ſic probo intentum. Conceptus relationis, & conceptus originis ita ſe habent, vt ſe mutuò eſſentialiter includant, & relatio de origine, & origo de relatione eſſentialiter prædicetur: ergo ſicut de relationibus communiter dicitur vltimò conſtituere perſonas; ita & de originibus idem dicendum eſt. Quando enim aliqua prædicata ita ſe habent, vt ſe mutuò eſſentialiter includant, adeò vt ad inuicem eſſentialiter prædicentur, actus vnius eſt etiam alterius. Tota ergo diuerſitas, quæ à nobis concipitur inter relationem, & originem, ſecundum rationem noſtram eſt, quia origo conſideratur vt via, qua perſona producens tendit ad aliam producendam, relatio verò concipitur vt forma, qua iam in facto

Digitized by Google

facto eſſe perſona producens refertur ad aliam producendam: & ſic conceptus originis eſt produci in via vnam perſonam ab alia; conceptus verò relationis, eſt productam iam eſſe in facto eſſe: quorum vterque eſt relatiuus; nam etiam in creatis actio, quæ formaliter eſt id, quo agens in actu ſecundo reducitur ad actum, de formali dicit relationem; vt dixi in Philoſophia rationali cap. de actione.

Probatur 3. quia relatio, & origo ita inter ſe comparantur, vt vna non ſit prior altera, ſed ſimul ſe habeant comparatione perſonæ conſtitutæ, abſque aliquo ordine; & cum aliundè origo ita ſit propria perſonæ, in qua eſt, ſicut eſt ipſa relatio, neceſsè eſt, quod ſicut relatio pertinet ad conſtitutionem perſonæ, ita etiam pertineat origo. Nam in Diuinis, vbi productiones ſunt æternæ, & abſque vllo motu, aut mutatione non poſſumus neque re, neque ratione noſtra diſtinguere omninò duas formalitates, originis vnam, relationis alteram; eadem omninò formalitas, qua vt in via intelligimus Perſonam tendere ad producendam Perſonam, eſt adeò perfecta, vt eſſentialiter ſit forma, qua iam in facto eſſe refertur ad Perſonam productam, & è contra formalitas illa, qua intelligimus perſonam in facto eſſe referri ad Perſonam productam, eſt eſſentialiter via ipſa, qua eadem perſona tendit ad perſonam producendam: hoc enim petit infinitas productionis æternæ abſque motu, & mutatione.

Ex his facilè ſoluuntur ea, quæ in contrarium opponuntur. Dicitur enim: origo actiua eſt actio; ergo ſupponit Perſonam prius conſtitutam; nam actiones ſunt ſuppoſitorum: Origo autem paſſiua eſt via ad terminum, qui producitur; ergo debet præſupponi, & eſſe prior termino, qui conſtituitur: ergo neutra poteſt conſtituere perſonam. Præterea diſtinctio formalis aliquorum debet eſſe per aliquid intrinſecum; atqui origo actiua, & paſſiua ſemper concipiuntur vt quid extrinſecum; actiua enim, vt progrediens à producente, paſſiua verò vt via ad terminum producendum; ergo formaliter per eas non poſſunt nec conſtitui, nec diſtingui perſonæ; eſto cauſaliter ſint tanquam via ad diſtinctionem; & ſic in ſenſu cauſali poſſit dici eas diſtingui per origines; quatenus ſcilicet origo paſſiua terminatur ad aliquid intrinſecum perſonæ, per quod formaliter conſtituitur, & diſtinguitur. Et hoc modo eludunt aduerſarij argumenta in contrarium,

tum

Digitized by Google

tum ex auctoritate, tum ex ratione deſumpta.

Verum iuxta prædicta principia Reſp. non ſolum cauſaliter; ſed etiam formaliter Perſonas conſtitui per origines; & rationes illas procedere quidem in rebus creatis, in quibus actio eſt accidens; non verò vbi eſt ſubſtantia, & in ſuo conceptu formali dicit, & inuoluit rationem relationis ſubſtantialis, formaliter conſtituentis perſonam, vt eſt in Diuinis; in quibus ſolum ſecundum noſtrum imperfectum modum concipiendi, deſumptum ex rebus creatis, & corruptibilibus, ea concipiuntur cum imperfectionibus, quas habent in inferioribus; cum tamen, rectè philoſophando de Diuinis, debeamus illas excludere, quibus excluſis, nec remanebit conceptus actionis præſupponentis Perſonam conſtitutam, quia hoc eſt proprium actionum, quæ ſunt accidentia, non earum, quæ ſunt ſubſtantia, nec remanebit conceptus viæ contradiſtinctæ, & præſuppoſitæ ad terminum producendum, eo quod hoc conueniat ſolum illis actionibus, quæ ſunt coniunctæ cum motu, vel mutatione aliqua, quales non ſunt Diuinæ origines; Ac proindè non debent, nec poſſunt concipi, vt quid extrinſecum perſonis; ſed ſunt formaliter relationes ſubſtantiales, conſtituentes perſonas: quæ explicantur à nobis per nomina actionum, propter inopiam vocabulorum; cum tamen in re non ſolum identicè, ſed etiam formaliter, vel implicitè, vel explicitè, vnaquæque earum in conceptu alterius inuoluatur, & importetur. Plura alia de hoc puncto habes apud Caſp. Diſput.4. de Trinitate ſect.3.

Dico 3. perſonas Diuinas diſtingui formaliter per relationes, quæ licet ſufficienter maneat probata ex dictis, maximè in prima Concluſione; nihilominus, ad vberiorem claritatem, & doctrinam, eam ſic explico, & probo. Non diſtinguuntur perſonæ per aliquid abſolutum, nam in Diuinis omnia abſoluta ſunt communia; ergo per relatiua, quia vt notauit S.P.N. lib. 5. de Trinitate Cap.5. & 6. eſt tantum ſubſtantia, & relatio, quæ ſæpè nomine originis ſignificatur. Subſtantia eſt communis: ergo per relationes eſt habenda diſtinctio. Præterea diſtinctiuum vnius Perſonæ ab alia habetur formaliter, per quod formaliter habet eſſe incommunicabile; ſed hoc habetur à relatione, quæ propter oppoſitionem, quam includit, facit vt vnum relatiuum non poſſit eſſe idem cum ſuo termino, & correlatiuo; ergo &c.

Dico

Dico 4. Diuinas perſonas conſtitui per relationes. Hæc concluſio, licet non habeatur ita expreſsè in Concilijs, & SS. PP. eſt tamen ità connexa cum præcedenti, vt, illa admiſſa, neceſſariò videatur etiam iſta admittenda, iuxta illud principium: Per ea res diſtinguuntur, per quæ in ſuo eſſe conſtituuntur; vt propterea in Concilio Florentino ſeſſ.19. Ioan. Eximius Latinorum Theologus dixerit: Perſonam ex ſubſtantia, & proprietate conſiſtere, & quamquam hæc ſola ratione differant, tamen ſubſtantiam communicari, proprietatem eſſe incommunicabilem; quod autem ſit incommunicabilis prouenire ex natura relationis. Idem docent omnes alij Theologi, qui ponunt perſonas relationibus diſtingui; & probant ratione, vltrà prædictam; quia negatio vnius de alio debet fundari in aliquo poſitiuo; ſed hoc poſitiuum in Diuinis non poteſt eſſe eſſentia, quæ eſt communis; ergo debet eſſe proprietas, quæ ſolum eſt relatiua. Denique illud eſt conſtitutiuum perſonæ, per quod res conſtituta formaliter habet eſſe ſubſiſtens incommunicabile: ſed hoc habet formaliter per relationem vt ſic in quacumque ſententia, ſiue dicatur eam ferre ſecum, ſiue dicatur eam modificare: ergo &c.

Opponitur communiter contra hanc aſſertionem, quod paternitas, vt ſic ſupponit generationem tanquam rationem fundandi; nam ideò perſona eſt Pater, quia genuit; ſed generatio præſupponit perſonam conſtitutam, cum generare ſit ſuppoſiti; ergo perſona conſtituitur per aliquid prius, non ſolum relatione, ſed etiam origine. Hoc argumentum aliqui ita magni faciunt, vt difficillimum, & inſolubile putent, quantumuis ſit contra concluſionem certiſſimam. Proponitur autem ſpecialiter de paternitate; quia licet generare, & eſſe genitum ſit prius quam eſſe Filium, & ſpirari quam eſſe Spiritum Sanctum; nihilominus, cum origines paſſiuæ concipiantur per modum viæ ad ſuos terminos, non eſt opus præintelligere terminos conſtitutos per aliam rationem priorem origine; vt eſt in paternitate, cuius ratio fundandi concipitur per modum actionis progredientis à Perſona.

Diuerſas huic difficultati excogitauerunt DD. ſolutiones. Durandus enim in 1. diſtinct. 36. quæſt.1. num.17. reſpondet fundamentum relationis non eſſe originem, cum potius origo ſit ipſamet relatio, & id à quo aliud, & quod ab alio; & eos, qui concipiunt origines eſſe fundamentum, malè in-

intelligere, & nullum aliud dari fundamentum, quam eſſentiam fœcundam. Contra hanc reſponſionem ſtat primo, quod ſi fundamentum dicitur id, cui immediatè ineſt relatio, eſt certum id non eſſe originem; ſed hoc modo nec etiam poteſt dici, quod ſit eſſentia fœcunda; nam hæc ſic accepta non eſt aliud, quam eſſentia vt eſt potentia generatiua; ſed vt ſit potentia generatiua debet eſſe modificata proprietate perſonali: eſſentia enim vt ſic nec generat, nec generatur, quam etiam ipſe Durandus vult eſſe relationem; ergo non poteſt ipsa eſſentia ſe ſola eſſe fundamentum, niſi remotiſſimum, præter quod eſt aſſignandum proximum, quod debet præſupponi origini, & relationi. Si verò per fundamentum intelligat id, quod communiter dicitur ratio fundandi; nam communiter dicitur ipſum generare eſſe fundamentum paternitatis; &, præterquamquod ſibi contradiceret, adhuc difficultas maneret inſoluta, nam adhuc quærendum maneret, per quid conſtituatur perſona, quæ debet præſupponi origini, & relationi: eo quod, vt habet principium illud metaphyſicum: Actiones ſunt ſuppoſitorum.

Caietanus in Comment. artic.4. quæſt.41. 1.par. Reſp. Relationem paternitatis poſſe conſiderari dupliciter, primo vt conceptam, ſecundo vt exercitam; & hoc ſecundo modo, quatenus ſcilicet exercet officium relationis, quod eſt referre ad aliud, non conſtituere perſonam Patris, vt argumentum conuincit: primo autem modo, ideſt quatenus expreſsè concipitur vt relatio, non tamen vt exercens munus referendi, conſtituere. Paulo aliter reſpondet Canarienſis, qui ait poſſe conſiderari relationem dupliciter, primo vt eſt forma relatiui ſicut in abſolutis albedo eſt forma albi; ſecundo vt refert vnum ad alterum; & primo modo conſtituere, non verò ſecundo, & hoc confirmare nititur auctoritate S. Thom. loco citato vbi ait: relationem, vt relatio eſt, præſupponere actum notionalem; & vt eſt conſtitutiua Perſonæ præſupponi actui. Contra has ſubtilitates ſtat primo, quod vel relatio poteſt apprehendi velut in concreto, ideſt vt afficiens aliquod extremum, vel in abſtracto, & arbitrariè; ſi dicatur hoc ſecundum, non conſtituet perſonam, vt patet; ſi primum, ergo concipitur vt exercens ſuum munus, quod nihil eſt aliud, quam referre, quemadmodum enim non poteſt concipi albedo in ſubiecto, quin concipiatur vt exercens ſuum mu-

mu-

munus, quod eſt facere album; ita non poteſt concipi relatio in ſuo ſubiecto, quin concipiatur illud referre, cum totum ſuum eſſe ſit ad aliud ſe habere. Obſtat ſecundo quod vel in illo priori, quando conſideratur vt concepta, vel conſideratur in ordine ad terminum, vel non; ſi dicatur hoc ſecundum, iam non conſideratur vt relatio, ſed vt forma abſoluta; ſi primum, ergo concipitur vt exercita, & vt referens ad aliud.

Recentiores aliquot, vt euaderent difficultatem, in ſuis manuſcriptis docuerunt per relationem, vt eſt forma hypoſtatica, conſtitui perſonam in communi, quæ poſſit concipi prius, quam perſona determinata, ac ſingularis; ac proindè eo priori modo, præſupponi origini, & relationi. Verum hic modus philoſophandi eſt contra communem ſenſum DD. & contra rationem; communiter enim tenetur cum S. Thom. Perſonam conſtitui per formam hypoſtaticam, quæ ſit principium generationis, qualis non eſſet perſona in communi, vt abſtrahit à perſona relatiua, & abſoluta; præterea à parte rei non datur perſona in communi; nam quæcumque conſtituitur, neceſſariò eſt ſingularis, & hæc numerò; talis enim requiritur ad generandum, & perſona in communi non generat.

Vna ex melioribus ſolutionibus cenſetur illa Capreoli in 1. diſtinct. 36. quæſt. 1. artic. 3. & noſtri Ferrarienſis lib. 4. contra Gentes cap. 56. qui reſpondent relationem dupliciter poſſe conſiderari: primo, vt relatio eſt ſub proprio conceptu, & ſic dicunt diſtinguere perſonas. Secundo, vt eſt forma hypoſtatica, & hoc modo dicunt eſſe conſtitutiuum earum. Et hoc videtur eſſe de mente S. Thom. in artic. 4. ſupracitato, vbi vult paternitatem ſub ratione formæ hypoſtaticæ conſtituere perſonam noſtro modo intelligendi, priuſquam conſtituat Patrem, & ipſum referat ad Filium, & illum ab iſto diſtinguat. Conſtat enim ex vna parte per Concilia, & SS. PP. vt ſupra viſum eſt, in Diuinis ſolum reperiri ſubſtantiam, & relationes, & ex alia parte videtur dicendum eſſe relationem paternitatis vt ſic, ſub proprio conceptu, vel præſupponere, vel inuoluere in ſuo conceptu eſſentiali generationem, vt dictum eſt, quæ eſt à perſona potente generare. Hæc autem duo non videntur aliter poſſe cohærere, quam diuerſimodè ſumendo relationem; ita vt ſub vna ratione ſit prior ſe ipſa ſub alia ratione.

Altera reſponſio ſatis ſufficiens, & eneruans vim argumenti, mihi

videtur illa quorumdam recentiorum: qui dicunt aliter eſſe philoſophandum in Diuinis, ac in creatis: quando ratio id conuincit, vt in præſenti. In creatis enim, cum perſona conſtituatur in ſuo eſſe per abſolutum, non per relationem, neceſſariò ipſi relationi debet præintelligi perſona conſtituta, ſicut etiam debet præſupponi generatio; niſi dicatur cum ſententia, quam ego ſequor, ipſam generationem eſſe eſſentialiter relationem. In Diuinis verò, cum perſona conſtituatur per relationem, quæ eſt ſubſtantialis, non verò accidentalis, vt eſt in nobis, non debet, imò non poteſt concipi perſona, ſine relatione, & origine, quæ inuoluuntur eſſentialiter in conceptu illius, vt ſupra explicatum eſt, & à relatione ſolum diſtinguuntur in modo ſignificandi. Nec eneruat vim huius ſolutionis id, quod opponunt aliqui Neoterici, nempè quod ſicut paternitas creata fundatur in generatione actiua, ſic etiam debet fundari Diuina, quæ conuenit analogicè cum creata; ac proindè debet ipſam præſupponere vt rationem fundandi, noſtro concipiendi modo priorem; eo quod, tam in humanis, quam in Diuinis verum eſt dicere perſona eſt Pater, quia generat. Non officit inquam, quia ideò Paternitas dicitur analogicè de Diuina, & creata, quia ratio importata per nomen paternitatis non eſt eadem, & ſicut differunt in ratione eſſendi, quia vna ſubſtantialis, accidentalis altera; ita differunt in ratione requirendi ſubiectum; accidentalis enim ideò prærequirit ſubiectum præcedens, quia de eſſentia accidentis eſt eſſe in ſubiecto, ſubſtantialis verò, eo quod ſubſtantialis, non prærequirit in re, licet in noſtro modo ſignificandi videatur prærequirere, quia per voces, & conceptus, deſumptos ab iſtis inferioribus, & accidentalibus, nitimur illa inuiſibilia, ſuprema, & ſuperſubſtantialia explicare, noſtræ inopiæ gratia; Ad illam cauſalem Reſp. neceſſariò diuerſimodè eſſe accipiendam in creatis, ac in Diuinis; in creatis enim datur vera, & phyſica ratio cauſæ generationis, quæ eſt actio tranſiens, eo modo, quo explicaui in phyſicis; in Diuinis autem non eſt ſic; nam Pater, licet ſit principium Filij, non tamen eſt cauſa illius, vt tenet Eccleſia Latina, & generatio, vt eſt in Patre, eſt idem formaliter cum illo; ac proindè illa cauſalis ibi eſt accipienda formaliter, eo modo, quo accipitur illa: ideò Petrus eſt homo, quia eſt animal rationale: non verò cauſaliter cauſalitate propriè dicta, & in hoc ſen-

ſu

ſu communiter accipitur id, quod habet S.P. lib.5. de Trinit. c.6. *Ideò Filius, quia genitus, & quia Filius, vtique genitus: ſicut autem* Pater *ad Filium, ita Genitor ad Genitum.*

Dices 1. cum Gregorio Ariminen. Perſona Diuina eſt omninò ſimplex; ſed in re ſimplici conſtituens non poteſt eſſe aliud à conſtituto; ergo conſtituitur ſe ipſa, & non per proprietates abſolutas, aut relatiuas. Probatur minor, quia vel illud aliud habet eſſe tantum per intellectum, vel à parte rei; non primum, quia iam non eſſet verè, & realiter conſtitutum; ad realem enim conſtitutionem requiruntur conſtituentia realia, vt patet; nec ſecundum, quia iam faceret compoſitionem cum alio, & tolleretur Diuina ſimplicitas: ergo nullo modo datur ibi conſtituens, & conſtitutum. Confirmatur, quia proprietas perſonalis non eſt magis ſimplex, quam perſona; ſed illa quia ſimplex non conſtituitur per aliud; ergo nec iſta.

Occaſione huius argumenti orta eſt difficultas inter DD. an conſtitutio Diuinarum perſonarum ſit realis, vel rationis. In qua Zumel, & cum eo plures recentiores docent conſtitutionem Diuinarum perſonarum quoad rem ſignificatam eſſe realem, ſed quoad modum, quo à nobis concipitur, non eſſe à parte rei; nam Diuinæ perſonæ habent à parte rei, independenter à noſtris conceptibus, quidquid eſt neceſſarium, vt à parte rei ſint conſtitutæ; habent enim primo naturam communem, deindè ſingulæ habent reipſa proprietatem identificatam, per quam realiter diſtinguuntur; ſed nihil aliud requiritur ad conſtitutionem ergo &c. Negant verò modum eſſe à parte rei, eo quod nos concipimus proprietatem conſtituentem, vt diſtinctam à conſtituto, quæ verè non eſt diſtincta realiter. Et quidem conſtitutionem, modo dicto, eſſe à parte rei ſuaderi poteſt vlterius, & auctoritate, & ratione. Auctoritate quidem, nam in Concilio Florentino ſupra relato habetur: Perſonas Diuinas conſtare eſſentia, & proprietate, quod ſimpliciter dici non poſſet, ſi conſtitutio non eſſet à parte rei. Præterea in Concilio Lateranenſi Cap. *Firmiter*: Perſonæ dicuntur diſcretæ proprietatibus; ſed ſunt diſcretæ à parte rei; & eſſe diſcretas à parte rei ſupponit eas eſſe conſtitutas; nam prius eſt perſonam conſtitui proprietate, quam per illam diſtingui; ex eo enim, quod conſtituitur in eſſe perſonæ, ſequitur negatio identitatis cum alia; ergo &c. Probatur etiam ratione, quia ſi paternitas eſſet à parte rei diſtincta realiter ab eſſentia, conſtitueret

perſonam, & eam diſtingueret; ergo multo melius conſtituet identificata cum eſſentia; nam identitas facit, vt perfectius eſſentia determinetur proprietate.

Suarez Tract. 1. par. lib. 7. de Trinitate cap. 3. & cum eo Caſpenſis diſtinct. 4. de Trinitate ſect 4. & alij docent Perſonas Diuinas ex natura rei conſtitui proprietatibus conſtitutione virtuali. Cum enim in omni conſtitutione ſit neceſſaria aliqua diſtinctio extremorum conſtituentium, & qualis eſt illa diſtinctio, talis ſit conſtitutio, Ponunt conſtitutionem in tota ſua latitudine triplicem eſſe. Primam realem actualem, in qua quod realiter conſtituit eſt quidem aliquid realiter, & intrinſecum eſſentialiter conſtituti, ſed non ipſum totum conſtitutum, ſed aliquid eius, & pars eſſentialis illius. Secundam virtualem, in qua virtualiter conſtituens eſt aliquid intrinſecum conſtituti, cum tamen actualiter non ſit pars, ſed totum ipſum conſtitutum. Tertiam appellant rationis, in qua conſtituens eſt aliquid conſtituti per rationem non verò totum ipſum conſtitutum, quia concipitur vt aliquid illius quidditatiuum, & non totum ipſum. Quo poſito. Primam conſtitutionem excludunt à Perſona Diuina, quia nihil habet, vt partem actualem. Secundam verò admittunt, quia ad huiuſmodi conſtitutionem virtualem, eſto realem, non eſt neceſſaria actualis diſtinctio inter ea, quæ ad conſtitutionem concurrunt, ſed ſatis eſt quod in re conſtituta vt ſic verè ſit aliqua entitas communis, & aliqua propria, cum diſtinctione virtuali inter commune, & proprium; hoc namque ſufficit, vt illa perſona habeat ſuum eſſe perſonale, & incommunicabile ex eo, quod eſt ſibi proprium, & non ex eo, quod eſt ſibi commune cum alijs. Plura alia de hoc puncto acutè explicant ibi prædicti Auctores.

Caietanus in Comment. artic. 2. quæſt. 40. 1. par. & Ferrarienſis lib. 4. contra Gentes cap. 56. conſtitutionem hanc docent non dari à parte rei, niſi fundamentaliter, vt indicaui ſupra in relatione ſecundæ ſententiæ, & conuenire perſonis non ſecundum ſe, ſed prout à nobis concipitur; eo quod conſtitutio non ſolum quoad modum, quo à nobis concipitur, ſed etiam ſecundum ſe, & ex ſua intrinſeca ratione includit diſtinctionem actualem conſtituentis, & conſtituti; nam dicit rem conſtantem ex pluribus, quæ plura ſine diſtinctione eſſe non poſſunt; & cum ante operationem intellectus nulla ſit inter eſſentiam, & relationem actualis diſtinctio, nec

etiam

Digitized by Google

etiam erit illa conſtitutio, niſi fundamentaliter.

Vnaquæque ex his explicationibus eſt celebris in ſcholis, & cum ſit difficultas magis de voce, quam de re, tutò vnaquæque amplecti poteſt; dummodo non admittatur compoſitio ſimpliciter dicta, quæ ſtare non poteſt cum Diuina ſimplicitate, & abſolutè prolata, ideſt ſine addito, communiter ſumitur pro reali, quæ eſſentialiter requirit partes realiter diſtinctas; quod non habet locum in Diuinis: non ſic eſt de conſtitutione, hæc enim abſtrahit à reali actuali, virtuali, ſeu fundamentali, & rationis.

Tertiam ego ſequor, vt notaui in prima præmiſſa. Et ea poſita ad Argumentum Ariminen. Reſp. vtramque rationem obiectiuam conſtituentem habere eſſe independenter ab intellectu; ſed non habere diſtinctionem realem, ſiue actualem ex natura rei, qualis habetur inter extrema conſtituentia compoſita phyſica in creatis: nam ſic eſſet compoſitio vera, & realis, quæ Diuinæ ſimplicitati repugnat; ſed ſolum fundamentalem, ſeu virtualem, cum qua optimè cohæret conſtitutio, quæ non eſt compoſitio ſimpliciter dicta, ſeu realis. Ad Confirmationem Reſp. conceſſa maiori, negando cauſalem minoris; non enim dicimus ideò proprietatem non conſtitui aliquo ab ea diſtincto, quia ſimplex eſt; ſed quia in abſtracto, & per modum formæ ſignificatur, nec conſtat formalitatibus virtualiter, ſeu fundamentaliter diſtinctis; quapropter cum perſona v. g. Pater per modum totius, & concreti ſignificetur, & conſtet ex natura, & Paternitate, quæ virtualiter diſtinguuntur, iam per aliqua inter ſe virtualiter diſtincta conſtituitur. Vel ſi magis placet, dic Argumentum probare quidem ſecundum rem non magis conſtitui perſonam, quam proprietatem; non verò ſecundum rationem; nam hoc modo perſona dicitur conſtitui, quia concipitur vt includens aliquid commune, & aliquid proprium; non ſic proprietas ratione diuerſi modi concipiendi eam. Ratio diuerſitatis eſt, quia perſona concipitur, & ſignificatur eo modo, quo concipiuntur concreta, proprietas verò eo modo, quo concipiuntur abſtracta; quo pacto in ſententia Thomiſtarum homo per intellectum componitur ex animalitate, & rationalitate; ita tamen vt ipſa rationalitas, nec ipſum rationale, vt contradiſtinctum ab animali, conſtituatur, aut componatur amplius ex animali; quemadmodum enim in conſtitutione reali deuenitur

tur

Digitized by Google

tur ad aliqua primo conſtituentia, quæ non conſtituuntur per aliud, ſic etiam in conſtitutione per intellectum.

Dices 2. cum eodem. Idem non poteſt conſtituere ſe ipsũ; ſed quidquid eſt in perſonis Diuinis realiter cum illis identificatur; ergo nulla poteſt dari proprietas in perſonis Diuinis, per quam conſtituantur, & diſtinguantur; ſed ſe ipſis immediatè conſtitui, & diſtingui debent. Reſpon. diſtinguendo maiorem: idem omni modo identitatis, concedo: idem cum diſtinctione virtuali, & rationis ratiocinatę, nego maiorem; ſic etiam diſtinguitur minor, & negatur conſequentia. Duplex enim datur rerum conſtitutio, vna compoſitionis, altera ſimplicitatis, ideſt, quæ compatitur ſecum ſimplicitatem. Exemplum primæ ſit in homine, qui phyſicè conſtituitur ex anima, & corpore, & metaphyſicè ex genere, & differentia. Exemplum ſecundæ in compoſitionibus metaphyſicis, quæ etiam in entibus ſpiritualibus, quantumuis ſimplicibus reperiuntur, & paſſim admittuntur, non ſolum in creatis, ſed etiam in Deo; non ſolum in Perſonis, ſed etiam in natura Diuina, in qua conſtitutionem ex eſſentia, & attributis paſſim concedimus.

Dices 3. Conſtitutum dependet, & cauſatur à conſtituente; ſed Perſonæ Diuinæ non poſſunt ab vllo dependere, vel cauſari; ergo nec conſtitui. Reſp. nihil vitare in Diuinis dari aliquid ratione noſtra poſterius, & in ſui conceptione dependens ab alio, propter noſtrum imperfectum concipiendi modum; vitandum tamen eſt nomen effectus, quod imperfectionem, ac dependentiam inferioritatis, quæ Deo conuenire non poteſt, importat. Pro qua aduerte, quod dependere, & cauſari ſtat dupliciter; primo pro dependentia, & cauſalitate reali, & formali. Secundo pro dependentia, aut cauſalitate virtuali: prima omninò excluditur à quibuſcumque prædicatis Diuinis, tam communibus, quam perſonalibus; ſecunda verò ſolum excluditur à conceptu eſſentiæ, ſeu naturæ Diuinæ, prout ab attributis contradiſtinctæ: cum enim illa ſit prima radix omnium perfectionum, quæ ſunt in ipſo Deo, nec realiter formaliter, nec realiter virtualiter, nec formaliter per rationem poteſt aliquam perfectionem præſupponere, & conſequenter non poteſt vllo ex his modis cauſari, aut concipi cauſata. Aliæ verò perfectiones, ſicut illam virtualiter, ſeu fundamentaliter aut radicaliter ſupponunt, & virtualiter ab illa dimanant, ſic virtualiter dicuntur cauſari: nam licet verbum dependere, & cauſari videan-

deantur denotare imperfectionem; hæc tamen omninò tollitur, addito ly *virtualiter*, aut *formaliter per rationem*. Et cum his additamentis paſſim à pluribus Theologis conceditur, & nouiſſimè à Gonet Diſput. 11. de Trinitate artic. 1. Attributa dependere, & cauſari à natura Diuina, & Patrem à Paternitate, ſeu perſonalitate, per quam conſtituitur; ſicut enim ly virtuale additum diſtinctioni excludit omnem imperfectionem, quam diſtinctio realis in prædicatis communibus poſſet, abſolutè prolata, indicare, ſeu arguere; ita etiam additum cauſalitati, & dependentiæ.

Dices 4. Nec à Sancto Patre Noſtro Auguſtino, nec à S.Hieronymo, nec ab vllo alio S.P. haberi, quod Perſonæ Diuinæ per aliquid conſtituantur; ergo gratis à nobis fingitur talis conſtitutio. Reſp. dici quidem poſſe cum PP. perſonas ſe ipſis diſtingui; ſed ſimul cum illis iam ſupra relatis admittendas eſſe proprietates, quibus diſtinguantur; alias nulla eſſet ratio diſtinguendi. Et cum in Concilio Florentino fuerit dictum Perſonas conſtare eſſentia, & proprietate, quod eſt idem ac conſtitui, nullo prorſus ex PP. reclamante; ſed toto Concilio approbante; iam habetur ſufficiens fundamentum ponendi huiuſmodi conſtitutionem, & diſtinctionem per proprietates.

Antequam proponam argumenta aliorum circa hanc ſententiam, vt à noſtro Gregorio Ariminenſi traditam, & explicatam: Aduerto eum non negare abſolutè, & omninò quaſcumque proprietates in Perſonis Diuinis: nam in loco citato, ideſt in 1. quæſt. 1. ad diſtinct. 26. & 27. vt aduertit Vaſquez Diſput. 158. in primam partem cap. 1. diſtinxit proprietates, & docuit poſſe accipi primo pro ipſis Perſonis, quo ſenſu eas accepiſſe videtur etiam S. Hieronymus in Expoſitione fidei ad Damaſum, vbi ait: *Non enim nomina tantummodo, ſed etiam nominum proprietates, ideſt perſonas, vel, vt Græci exprimunt, hypoſtaſes, ideſt ſubſtantias confitemur.* Et hoc modo admittit Ariminenſis in Deo eſſe proprietates, quia in Deo ſunt perſonæ; & perſonas proprietatibus diſtingui, quia ſe ipſis diſtinguuntur; ſed non conſtitui, quia nihil ſe ipſo conſtituitur. Secundo docuit poſſe accipi proprietatem pro ratione aliqua ipſius perſonæ: & hoc adhuc dupliciter, ideſt vel pro ratione aliqua incomplexè ſignificata, quæ ſit in perſonis per modum formæ ante operationem intellectus, vt dicit eſſe Paternitas, & hoc pacto negat in Deo eſſe proprietates; ac pro-

propterea negat etiam hoc modo proprietatibus conſtitui, aut diſtingui perſonas; aut pro aliquo complexè ſignificato, vt quod Pater genuerit, quod Filius genitus ſit; quod complexum in ratione complexi nihil ſit ante operationem intellectus. Et hoc modo concedit Gregorius in Deo proprietates, quibus ſolum diſtinguantur perſonæ, non verò conſtituantur. Ex qua doctrina, ab ipſo tradita, & à Vaſquez relata, patet eum ſolum refugiſſe conſtitutionem aduerſantem ſimplicitati Diuinæ, ideſt compoſitionem phyſicam veram, & realem, non verò conſtitutionem rationis, quam illud complexum importat. Quæ doctrina quoad illam vltimam partem, qua docet Perſonas Diuinas nullo alio ex natura rei diſtincto conſtitui, approbatur à Canarienſi, & ab ipſo Vaſquez loco citato cap. 2. num. 8. ſolum diſplicet Vaſquez, quod dicatùr Perſonas nullo modo conſtitui; cum cæteri omnes Scholaſtici planè fateantur perſonas aliquo conſtitui, & diſtingui, cum Ioanne Theologo Eccleſiæ Latinæ in Concilio Florentino, vt ſupra dictum eſt. Quod licet Gregorius aſſeruerit quoad ſonum verborum, eo quod apud ipſum idem erat conſtitui, ac phyſicè, & realiter componi; reuera tamen admiſit conſtitui ſolum per intellectum; ſicut ſpecies dicuntur conſtare genere, & differentia, & ipſis conſtitui, vt patet ex illo complexo, quod ipſe admittit. Quam etiam ſententiam iu hoc ſenſu docuerat ante ipſum S. Thom. in 1. diſtinct. 26. quæſt. 2. artic. 1. & poſtea Caietanus in Commentarijs artic. 2. quæſt. 40. 1. par. & noſter Ferrarienſis lib. 4. contra Gentes cap. 26. & cum illis plurimi Thomiſtarum. Quapropter omninò immeritò notatur ſententia Gregorij à quibuſdam Neotericis hæreſis, vel erroris, aut temeritatis, cum in ſenſu ipſius Gregorij explicata habeat eumdem ſenſum, quem habet ſententia Thomiſtarum: & certè ſi ſententia Gregorij mereretur cenſuram, eam profectò etiam mererentur omnes, qui negant diſtinctionem virtualem intrinſecam inter Diuinam eſſentiam, & perſonalitates, vt eam negat acutè, & eruditè Petrus Hurtado de Mendoza Diſput. ſexta Metaph. ſect. 4. ſubſect. 8. cuius doctrinam poſtea ſecuti ſunt plures eruditi prælectores Societatis Ieſu; eamque publicè Romæ propugnarunt; nemine cenſuris prædictis eam notando; imò cenſoribus fidei eam approbantibus. Qua doctrina ſtante, certum eſt conſtitutionem non poſſe eſſe à parte rei, niſi ſolum fundamentaliter;

quam

quam non placuit Gregorio appellare conſtitutionem, admittendo tamen complexum per intellectum, quod eſt idem ac conſtitutio per rationem noſtram: per quod in nullo (quoad rem) diſcrepat à ſententia Thomiſtarum; licet in voce videatur diuerſitas. Verum cum de re conſtat, de voce non eſt curandum, vt ſæpius notaui cum S. P. N. His prænotatis ad aliarum ſententiarum argumenta ſoluenda venio.

Dices 5. pro ſententia Ioannis de Ripis, cum Scotò eam defendente. Prouerb. cap. 30. de Sapientia increata dicitur: *Quod nomen eſt eius, & quod nomen Filij eius ſi noſti?* Ex quo loco ſic arguit Doctor Subtilis: Salomon vocat ſecundam Perſonam Filium, & hoc ſuppoſito, quærit quod ſit nomen eius; cenſet ergo habere aliud nomen, quam Filium; hoc nomen Filij eſt relatiuum; ergo illud aliud, de quo quærit, eſt abſolutum, & hoc idem conſequenter erit dicendum de Patre. Reſp. communiter per nomen eius ibi intelligi eſſentiam, ſicut alias in Scriptura fieri ſolet. Vt cum Moyſes interrogauit Dominum, vt habetur Exodi cap. 3. *Si dixerit mihi, quod eſt nomen eius? quid dicam eis. Dixit Deus ad Moyſen: ego ſum qui ſum.* Suppoſito igitur nomine Filij, quod Verbo Diuino tribuimus per analogiam ad creaturas, quærit Sapiens quænam ſit natura, ſeu eſſentia ipſius Filij, & ex modo loquendi inſinuat eſſe inueſtigabilem; Poſſet etiam dici ſuppoſito hoc nomine Filij, quod ſignificat Verbum Diuinum abſtractiuè, Sapientem quærere quod nam ſit nomen repræſentans eum, ſicuti eſt.

Dices 6. pro eadem: Quælibet relatio ſupponit aliquod extremum, quod referat, quod in ſe ſit aliquod abſolutum, vt inductione patet; ſed hoc in Diuinis non poteſt eſſe eſſentia Diuina; nam hæc eſt identificata cum termino; & id quod refertur debet eſſe aliquid diſtinctum realiter ab ipſo termino; ergo erit ipſa perſona, vt in ſe conſtituta per aliquid abſolutum. Reſp. maiorem eſſe veram in creatis, nam relatio creata, cum ſit accidens, ſupponit aliquod ſubiectum, quod referat; falſa verò in Diuinis, quia, cum ſint formæ hypoſtaticæ, non ſupponunt extrema, ſed conſtituunt; nec ſupponunt diſtincta, ſed diſtinguunt; quapropter licet in creatis id quod denominatiuè eſt Pater, prius ſit, quam id, quod eſt formaliter Pater; in Diuinis tamen eadem res denominatur Pater, quæ Paternitate conſtituitur.

Oppones: data hac doctrina ipſa

ipſa eſſentia eſſet denominanda relata, quod eſt contra communem ſenſum Theologorum. Probatur hæc ſequela, nam relatio aduenit eſſentiæ, tamquam forma ſubiecto; ſed omnis forma denominat proprium ſubiectum; ergo & ipſa relatio debet denominare eſſentiam relatam. Reſp. cum S.Thom. quæſt.8. de verit. relationem de eſſentia dici, non per modum informationis, ſed per modum identitatis, ratione cuius, licet non dicamus eſſentia generat, eſſentia eſt relata, dicimus tamen in ſenſu identico, quod ipſa eſt generatio, & eſt relatio; de nominibus verò eſſentialibus in concreto dicitur etiam per modum informationis, eo quod talia nomina inuoluunt ſuppoſitum, à quo ex modo ſignificandi præſcindunt nomina abſtracta; nec eſt verum vniuerſaliter quamlibet formam tribuere ſubiecto talem denominationem; ſed ſolum quando ſubiectum eſt capax; nam gratia ſanctificans in lapide non denominat illum gratum, aut Sanctum; & gratia Chriſti Domini non denominat illum filium adoptiuum: & paternitas in creatis non denominat potentiam generatiuam, cui immediatè ineſt, ſed perſonam. Cum igitur relatio non ſit, niſi inter extrema realiter diſtincta, & eſſentia Diuina ſit eadem in omnibus perſonis, ipſa non poteſt referri vt quod, ac proindè nec etiam denominari relata, licet poſſit dici habens relationes paternitatis, filiationis &c.

Dices 7. Perſona Diuina conſtituitur per ſubſiſtentiam; ſed ſubſiſtentia in Deo eſt quid abſolutum, ergo perſona in Diuinis conſtituitur per proprietatem abſolutam; maior eſt certa; minor probatur ex S.P.N.Auguſtino, qui lib.7. de Trinitate cap. 4. ait: Omnis res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quanto magis Deus? ſed quod eſt ad ſe, & non ad aliud, eſt abſolutum; ergo ſubſiſtentia in Deo eſt qid abſolutum. Similia habet S.Thom. quæſt. 9. de Potentia artic. 5. ad 13. vbi dicit: Perſonas Diuinas habere ab eſſentia, quod ſubſiſtant; ſed quod conuenit Perſonis ratione eſſentiæ eſt abſolutum; ergo &c. Reſp. diſtinguendo maiorem: Perſona conſtituitur per ſubſiſtentiam, vt dicit perſeitatem independentiæ ab alio, vt ſuſtentante, nego maiorem; vt dicit perſeitatem excludentem communicabilitatem alteri tamquam ſuppoſito, concedo maiorem. Sic etiam diſtinguo minorem: ſubſiſtentia in Deo eſt quid abſolutum, ſumpta pro perſeitate independentiæ, concedo minorem; ſumpta pro perſeitate incommunicabilitatis, nego minorem. Ad

pro-

probat. ex S.P. & ex S. Thom. reſpondeo loqui de ſubſiſtentia in prima acceptione, non verò in ſecunda.

AXIOMA QVINTVM.

Quomodo Perſonis conueniant actus notionales.

Ex Lib. 5. de Trinitate Cap. 14.

VNum principium ad creaturam dicitur Deus, non duo, vel tria principia. Ad ſe autem inuicem in Trinitate, ſi gignens ad id, quod gignitur, principium eſt, Pater ad Filium principium eſt, quia gignit eum. Vtrum autem & ad Spiritum Sanctum principium ſit Pater, quoniam dictum eſt de Patre procedit, non parua quæſtio eſt. Quia ſi ita eſt, non iam principium ei tantum rei erit, quam gignit, aut facit, ſed etiam ei, quam dat &c.

DVBIVM V.

Quomodo actus notionales reſpiciant, & identificentur Eſſentiæ, Relationibus, & Perſonis.

CVm actus notionales nihil aliud ſint, quam origo vel actiua, vel paſſiua, qua vna perſona vel producit, vel producitur, & per quam cognoſcitur diſtincta ab alia, vt generare, & generari, ſpirare, & ſpirari, certum eſt eos determinatis perſonis conuenire. Nec etiam dubitatur in præſenti, vtrum actus notionalis in ratione præciſa actus notionalis adæquatè identificetur eſſentiæ quoad omnia, quæ includit; vt ſic enim certum eſt etiam

non poſſe adæquatè identificari eſſentiæ; nam origo actiua, & paſſiua, quæ ſunt idem cum eſſentia, inter ſe realiter diſtinguuntur; & ſic non reperiuntur in omni, in quo reperitur eſſentia, niſi per circuminſeſſionem. Difficultas ergo eſt: vtrum adæquatè identificentur perſonæ producenti, an verò perſonæ productæ. Et quidem de origine paſſiua conuenit inter omnes ipſam identificari cum perſona producta; nam debet identificari adæquatè cum aliqua, & non poteſt cum producente, cum includat relationem illi oppoſitam; generatio enim paſſiua Filij, eſt relatio filiationis ſubſiſtentis, conceptæ veluti in fieri,& ſic etiam proceſſio Spiritus Sancti; ergo in ea, & cum ea ſimul producta, cum ſint idem non ſolum realiter, ſed etiam formaliter, vt ſupra dictum eſt. Præterea produci, & eſſe productum, non diſtinguuntur, niſi ratione noſtri imperfecti modi concipiendi. Productum autem à producente realiter diſtinguitur. De origine ergo actiua procedit dubium. In quo.

Prima ſententia tenet etiam originem actiuam identificari perſonæ productæ, & realiter diſtingui à producente. Sic docuit Henricus quodlib.6. q.1. & in ſumma 1.par. ar.54.q.10.quod etiã tribuitur Scoto in 1.diſt.2.q.7.& quodlib.1.q.3.

Secunda ſententia, ſcilicet originem actiuam identificari adæquatè cum perſona producente, Generationem nimirum cum perſona Patris, & Spirationem actiuam cum Patre, & Filio, tribuitur S. Thom. in 1.par. quæſt. 41. artic. 1. & videtur colligi ex ijs, quæ docuit in dicto articulo in reſp. ad 2. vbi docet actus notionales à relationibus differre ſolum ex modo ſignificandi, vt ſupra dixi, loquendo de conſtitutiuo perſonarum per origines, & relationes; eamque docuerunt Capreolus in 1.diſtinct.27. quæſt. vnica, & Caietanus in Comment. dicti articuli. Extra ſcholam Diu.Thom. eam docuit Durandus in 1.diſt.26.& alij. Pro ſolutione.

Præmitto 1. communem doctrinam circa actus notionales, ideſt eos non differre, nec etiam per intellectum, ab eſſentialibus, niſi ratione relationis connotatæ, quidquid dicat Henricus in contrarium. Nam cum Deus per ſuam intellectionem ſe comprehendat, & per ſuam volitionem ſe amet, quantum amabilis eſt, ac proindè vterque actus ſit infinitus, & adæquatus, ei repugnat multiplicari, atque ideò non poterunt generatio, & ſpiratio, quæ intrinſece intellectionem, ac volitionem includunt, aliam intellectionem, ac volitionem importa-

Digitized by Google

tare præter eam, quæ eſſentialis eſt. Quandoquidem intellectio, & volitio ſimpliciter infinita vnica tantum eſſe poteſt; cum verò actus notionales non ſint communes omnibus perſonis, vt ſunt eſſentiales, qui in ſuo conceptu dicunt rationem abſolutam; debent per aliquid contrahi ad vnam perſonam potius, quam ad aliam, & hoc aliud non poterit eſſe, niſi ipſa relatio, per quam vna perſona ab alia diſtinguitur, cum in Deo nihil aliud ſit, quam eſſentia, & relatio.

Præmitto 2. quod licet in his actibus notionalibus diſtinguatur communiter ratio communicationis à ratione productionis, eo quod eſſentia communicatur, & non producitur, relatio verò producitur, & non communicatur, nihilominus idem eſt terminus formalis proceſſionis, & communicationis, & non eſt aſſignandus duplex terminus formalis, alter proceſſionis, vt eſt communicatio, alter verò eiuſdem, vt eſt productio; cum enim formalis terminus dicat aliquid aliquo modo diſtinctum à termino totali, ſaltem diſtinctione includentis ab incluſo, & ſit id, ratione cuius terminus totalis denominatur productus, vel communicatus, eſto in productione poſſit aſſignari terminus totalis diuerſus à termino formali; in communicatione tamen cum ſola eſſentia propriè communicetur, non poſſunt hi duo termini diſtingui, quorum alter ſit formalis, alter totalis, quia communicationis terminus eſt ipſa eſſentia omninò indiuiſibilis re, & ratione. In productione verò cum totalis terminus ſit perſona ipſa producta, in qua eſt diſtinguere eſſentiam à relatione, variant DD. in aſſignando terminum formalem. Alij enim, vt Okamus, & Gabriel dicunt non eſſe quærendum terminum formalem, eo quod relatio à proceſſione non diſtinguatur, & eſſentia non poſſit habere rationem termini, quia non producitur. Alij volunt eſſe relationem; quam ſententiam tenuit Henricus in Sum. artic. 39. q. 1. Alij verò volunt eſſe eſſentiam; ſic videtur indicare S.Tho. 1. par. quæſt. 42. art. 6. ad 3. Et Scotus aſſeruit in 1. diſt. 5. quæſt. 2. & alij, qui putant non eſſe neceſſarium, vt terminus formalis producatur ea productione, qua producitur terminus totalis, vt patet in productione hominis, in qua terminus formalis eſt anima, quæ tamen non producitur à generante. Pro quo aduerto aliter eſſe philoſophandum in Diuinis, ac in creatis. Nam in creatis natura producitur diuerſa productione ab ea, qua producitur perſonalitas; cum vterque terminus realiter diſtinguatur,

tur, & non minus natura accipiat eſſe per generationem, quam perſonalitas (vt fert communis opinio) & eatenus dicitur natura communicari, quatenus producitur natura eiuſdem ſpeciei cum natura generantis; non ſic in Diuinis, vbi cum natura ſit ens à ſe, non ſolum excludens cauſam, ſed etiam principium, non poteſt ipſa natura, ſeu eſſentia eſſe terminus productionis, ſed ſolum communicationis; communicatur autem natura, quatenus in ea producitur perſonalitas, quæ ſimul cum eſſentia conſtituit perſonam. Cum igitur prima perſona in Diuinis, quæ nihil aliud eſt, quam ipſa eſſentia Diuina terminata paternitate, vt forma hypoſtatica in propria natura, producit relationem Filij; hoc pacto communicat naturam per generationem. Et cum Pater, & Filius producunt relationem proceſſionis in eadem natura, communicant Spiritui Sancto eandem naturam. Ex quibus patet generationem, ac ſpirationem non reduplicare vnam tantum rationem, ſeu formalitatem productionis, ſed includere & communicationem, & productionem; & præterea aliter aſſignandum eſſe terminum formalem in generatione, vt generatio eſt, aliter in generatione, vt productio eſt. Et quidem generationis, vt productio eſt, terminus formalis videtur eſſe ipſa relatio, vt docuit Durandus in 1. diſtinct. 7. quæſt. 2. Terminus enim formalis productionis eſt id, ratione cuius perſona dicitur produci, & quod productionem terminat vt quo; hoc verò patet eſſe relationem, non autem eſſentiam. Hoc oſtendi poteſt in creatis in generatione naturali; in illis enim generationibus, in quibus non producitur niſi altera pars compoſiti, ideſt forma, non dicitur terminus formalis materia; ſed ipſa forma: in generatione verò, in qua neutra pars compoſiti producitur, qualis eſt generatio hominis, communiter docent Philoſophi, nec ipſam formam dici terminum formalem, ſed ipſam vnionem formæ cum materia; ac proindè aliud eſſe id, quod eſt forma geniti, & aliud quod eſt terminus formalis generationis; primum enim eſt id, quod conſtituit genitum in tali eſſe, ſeu ſpecie; ſecundum verò eſt id, quod per ſe primo terminat generationem, & ratione cuius terminus totalis denominatur genitus. Generationis autem Diuinæ, quatenus generatio eſt, ideſt vt excludit communicationem, & productionem, formalis terminus erit eſſentia, eo quod generatio principaliter tendit ad communicandam

dam

dam naturam genito, & ad aſſimilandum genitum generanti; aſſimilatio autem eſt in natura non in relatione: & præterea generatio Filij, & proceſſio Spiritus Sancti in ratione proceſſionis vniuocè eiuſdem rationis ſunt, quod non poteſt eſſe ratione relationum, in hoc enim ſunt diuerſæ; ergo ratione eſſentiæ. His poſitis.

Dico. Origines actiuas identificari cum perſonis producentibus, quod ſic Probo. Generare actiuè nihil aliud eſt, quam intelligere notionale Patris, ideſt intellectio eſſentialis, vt eſt propria Patris; ſed quod ſit propria Patris habet per Paternitatem, quæ adæquatè identificatur cum Patre: & ſpirare actiuè nihil aliud eſt, quam velle Patris, ac Filij notionale, ideſt velle abſolutum, vt eſt proprium Patris, ac Filij: ſed quod ſit proprium habet à relatione ſpiratoris identificata cum Patre, & Filio, & diſtincta realiter à ſpiratione paſſiua: ergo quæcumque origo actiua identificatur cum perſona, vel perſonis producentibus.

Dices 1. productio actiua, & paſſiua in qualibet re adæquatè identificatur termino producto; ſed terminus productus realiter diſtinguitur à producente; ergo origo actiua in Diuinis non poteſt identificari cum perſonis producentibus. Reſp. actionem quoad id, quod importat in recto, ideſt intelligere, ac velle eſſentiale, identificari quidem cum termino producto, ſicut etiam identificatur cum principio producente; verum quoad connotatum, ideſt quoad relationem, ſecundum quam opponitur termino producto, realiter ab illo diſtingui, ac proindè eſſe in perſona producente.

Dices 2. productio actiua nihil aliud eſt, quam res in fieri; ſed res in fieri eſt idem adæquatè cum ſe ipſa in eſſe producto; ergo ſemper productio actiua identificatur cum termino producto. Reſp. maiorem nec etiam in creatis (in ſententia, quam ego ſequor, vt dixi in philoſophia rationali cap. de actione, & paſſione) eſſe omninò veram; cum enim actio ſit perfectio agentis, & quo agens reducitur ad actum ſecundum, de formali dicit relationem, quæ duplex poni debet. Altera, qua effectus in actu dicitur actu dependere à cauſa; altera, qua cauſa in actu dicitur referri ad effectum in actu, & vtraque appellatur à DD. quos ſequor, actio; non eſt igitur verum productionem actualem nihil aliud eſſe, quam rem in fieri. Et ſic conceſſa minori, negatur conſequentia. Et hoc iuxta mea principia. In ſententia aliorum. Reſp. maiorem eſſe veram in creatis, non verò in Diuinis. Rationem diſparita-

ta-

tatis aſſignant in eo, quod actio in creatis eſt accidens, & ſupponit agens in ſuo eſſe ſubſtantialiter conſtitutum, ac proindè ab illo emanat realiter vna cum termino, & ideò adæquatè identificatur cum termino, & ab agente diſtinguitur: in Diuinis autem actio eſt ſubſtantialis perſonæ producenti, & ipſam conſtituit, quoad relationem connotatam, & quoad ſignificatum directum, quod eſt vel ipſum intelligere, vel ipſum velle ſubſtantiale, quod tamen directum etiam identificatur termino producto.

Dices 3. Non minus origo actiua ex vi potentiæ productiuæ, quam paſſiua propter oppoſitionem cum producente realiter ab illa diſtinguitur; ergo etiam actiua. Reſp. negando antecedens; nam origo actiua ratione noſtra concipitur progredi à potentia generatiua, vel ſpiratiua, quæ ſecundum rationem, & noſtrũ modum concipiendi, deſumptum ex creatis, præſupponitur operationi. At paſſiua ratione termini, cum quo adæquatè identificatur, realiter procedit à potentia.

Dices 4. In creatis calefactio actio, & calefactio paſſio ſunt idem realiter; ergo etiam in Diuinis actio, & paſſio. Reſp. iuxta ſupradicta, in mea ſententia antecedens eſſe falſum. In ſententia verò aliorum, & maximè plurium Thomiſtarum, Reſp. in creatis actionem, & paſſionem identificari: eo quod vtrumque realiter procedat ab agente: ſed in Diuinis originem actiuam ſolum per intellectum; & cum habeat oppoſitionem cum paſſiua debere eſſe in producente, & præterea cum ipſo S. Thom. in 1. par. quæſt. 41. art. 2. in creatis actionem, & paſſionem idem eſſe cum motu, qui recipitur in mobilibus, & ſecluſo motu ipſam actionem nihil aliud eſſe, quam habitudinem principij ad id, quod eſt à principio, & paſſionem nihil aliud eſſe, quam habitudinem eius, quod eſt à principio ad principium, quæ habitudines in Deo ſunt relationes oppoſitæ, cum ibi non detur motus.

Ex dictis fit clarum, qualiter in Diuinis non ſit idem dicere, ac intelligere, quæ tamen in nobis identificantur, nam cum dicere ſupra intelligere importet relationem paternitatis, per quam opponitur Verbo producto; iam ipſum dicere eſt diſtinctum à Verbo, cum ſit in Patre. In nobis verò, cum Verbum ſit adæquatè idem cum ipſa intellectione, quæ producitur à noſtro intellectu (vt dixi in Tom. 3. Philoſoph. rationalis cap. 13. de Potentijs animæ rationalis, vbi pag. 492. dixi intellectionem creatam conſiſtere adæquatè in verbo mentis, & actione cum illo identificata; iam ipſa intellectio, & ipſa dictio ſunt inter ſe identificata.

CON-

Digitized by Google

CONTROVERSIA QVARTA.

De Notionibus Sanctiſſimæ Trinitatis, & ſingularum Perſonarum Diuinarum.

AXIOMA PRIMVM.

Solo lumine naturali non poteſt cognoſci Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis.

Ex Serm. 189. de Tempore.

LVtum, & vas figuli de creatore diſputat, & ad naturæ ſuæ rationem non poteſt peruenire, & curioſè quærit ſcire de Myſterio Trinitatis: quod Angeli in cælo ſcire non poſſunt. Quid enim dicunt Angeli in cælo? Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ. Vide quid dicunt, pulchritudinem prædicant, & de Natura tacent &c. Ergo & nos ſimpliciter dicamus. Vis ſcire naturam Dei, hoc ſcias, quod neſcias; nec in hoc contriſteris, quia neſcias, quia, & angeli neſcierunt, & ſimiliter omnes creaturæ. Sed dicit aliquis quomodo ergo credo quod neſcio? Quomodo Chriſtianus ſum, qui neſcio quomodo ſum Chriſtianus? Dicam ſimpliciter, antequam aliqua de Scripturis proferam. O Chriſtiane, qui tibi videris nihil ſcire, ſi ſcias hoc ipſum, quod neſcias, nonne magis plus videris à cæteris ſcire?

Digitized by Google

Gentilis homo videt lapidem & Deum putat. Philoſophi vident cælum, & Deum putant. Alij vident ſolem, & Deum putant. Tu verò vide quanta ſuper iſtos habeas ſcientiam, qui dicis: Deus lapis eſſe non poteſt. Sol Deus eſſe non poteſt, quia alterius imperio currit. Vides quod in eo, quod dicis nihil te ſcire, magis noſti. Gentiles autem in eo, quod ſe dicunt ſcire, neſciunt, quia falſa ſunt, quæ nouerunt. Simulque conſidera, quod voceris fidelis, non rationalis &c. In fine. *Quando venerit cogitatio, & propoſuerit quid eſt Deus, & quæ eſt ratio Trinitatis? nobis ſufficiat credere quia eſt, & non temerè rationem quærere Trinitatis, ſed timere, & orare Dominum ſemper debemus, & illi ſoli ſcientiam noſtram in hac parte exhibeamus, vt diebus ei, ac noctibus laudes canamus: cui ſit gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

DVBIVM I.

An, & quomodo Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis poſſit cognoſci ab intellectu creato.

PRæmitto hanc difficultatem poſſe habere duplicem ſenſum. Primus eſt, an intellectus non illuſtratus lumine fidei, per ſolas vires naturales poſſit cognoſcere myſterium Trinitatis. Secundus eſt, an intellectus lumine fidei illuminatus poſſit rationibus naturalibus demonſtrare dari hoc myſterium. Loquimur autem de cognitione abſtractiua, nam loquendo de intuitiua certum eſt, quod Beati vident eum ſicuti eſt: quo poſito.

Dico 1. Secluſa omni reuelatione non poſſe myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis cognoſci. Aſſertio hæc eſt de fide, vt notauit Suarez lib. 1. de Trinitate cap. 11. & Valentia quæſt. 6. de Trinitate punct. 1. Probatur primo auctoritate Sacræ Scripturæ Matthæi cap. 11. vbi Chriſtus Dominus docuit nos, quod *Nemo nouit Patrem,*

Digitized by Google

trem, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Et cap. 16. ab eodem Domino noſtro dictum fuit Petro. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi*. Erat autem ibi ſermo, quod Chriſtus Dominus eſſet Filius Dei; & conſequenter de hoc myſterio.

Probatur ratione, quia nullum datur medium naturali lumine cognoſcibile, quod ducat nos in cognitionem huius Sanctiſſimi Myſterij: ergo non eſt naturaliter cognoſcibile à creaturis. Probatur antecedens: quia ſi daretur huiuſmodi medium, vel eſſet à priori, vel à poſteriori: Non à priori, eo quod tale medium, vel eſſet cauſa realis, & phyſica, & hæc non datur in ordine ad Deum, qui eſt eſſentialiter ens independens; vel virtualis, & hæc non poteſt eſſe, niſi vel eſſentia, vel aliquod attributum abſolutum, quorum neutrum nos ducere poteſt naturaliter in cognitionem Trinitatis, ſed ad ſummum vnitatis Dei. Non à poſteriori, ideſt ab effectibus, eo quod omnes effectus ſunt à Deo vt vno; non enim operatur ad extra, niſi quatenus vnus eſt; ideſt per ſuam Bonitatem, Omnipotentiam, Sapientiam, Prouidentiam &c. quæ attributa ſunt communia omnibus tribus perſonis; vnde ortum habuit axioma Theologicum. Opera Dei ad extra ſunt indiuiſa: ex quibus ſequitur effectus Dei ad extra poſſe ſolummodò oſtendere per cognitionem naturalem Deum eſſe vnum; nullo autem pacto eſſe Trinum; ergo à primo ad vltimum nullum datur medium naturali lumine cognoſcibile; quod nos ducat naturaliter in cognitionem huius Myſterij.

Dices 1. S. P. N. Auguſtinum lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 23. referre vaticinium Sibyllæ Erythreæ de Filio Dei; & oſtenſum illi à viro clariſſimo Flauiano, qui fuerat Proconſul, quemdam codicem Græcum *in capitibus verſuum ordinem litterarum ita ſe habentem*. *Ieſus Chriſtus Dei Filius Saluator*. Quæ carmina in latinum translata ibi refert. Similiter de Trimegiſto, Orpheo, Platone, & alijs Philoſophis refert Clemens Alexandrinus lib. 5. & 6. Stromatum cognouiſſe hoc myſterium, quod ſupernaturaliter non videtur potuiſſe eſſe; cum eſſent Gentiles, & ſolo rationis ductu philoſopharentur, ergo talem cognitionem naturali lumine ſunt aſſecuti. Reſp. quod ſpectat ad Sibyllas, plures, & graues Auctores docere, eas, in premium ſuæ virginitatis, & aliarum virtutum, lumine ſupernaturali fuiſſe donatas à

Deo circa myſteria ſupernaturalia, de quibus vaticinatæ ſunt, & quidem de hac Sibylla, quam S. P. loco citato ſuſpicatur fuiſſe Cumanam, non verò Erythream, ait, *ita etiam contra eos* (ideſt Deos falſos) *& contra cultores eorum loquitur, vt in eorum numero diſputanda videatur, qui pertinent ad Ciuitatem Dei &c.* hos autem ſpectantes ad ciuitatem Dei eſſe ſolummodo veros fideles, ideſt dotatos lumine fidei, catholicorum nullus ignorat. Aliter etiam reſponderi poteſt ex eodem S. P. lib. 13. contra Fauſtum cap. 15. vbi ait: *Sibylla porrò, vel Sibyllæ, & Orpheus, & neſcio quis Hermes, & ſi qui alij vel Theologi, vel Sapientes, vel Philoſophi Gentium de Filio Dei, aut de Patre Deo vera prædixiſſe, ſeu dixiſſe perhibentur, valet quidem ad Paganorum vanitatem reuincendam, non tamen ad iſtorum auctoritatem amplectendam, cum illum Deum nos colere oſtendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui ſuos congentiles populos idola, & dæmonia colenda partim docere auſi ſunt, partim prohibere auſi non ſunt.* (& in fine capitis ſubdit). *Quantum diſtat de Chriſti aduentu inter prædicationem Angelorum, & confeſſionem Dæmoniorum, tantum inter auctoritatem Prophetarum, & auctoritatem ſacrilegorum.* Quibus verbis non habuiſſe quoſdam eorum veram fidem, ſed tamen illos tacere de his myſterijs non potuiſſe docet: fortè vt eſſent inexcuſabiles, habita fortaſsè huiuſmodi notitia vel à ſuis oraculis Dæmonum, vel ex lectione Sacrarum Scripturarum. Et quidem de Platone S. P. lib. octauo de Ciuitate Dei cap. 11. aliquibus, & validis coniecturis oſtendit eum legiſſe, & approbaſſe Sacras Scripturas, quod tamen poſtea non determinat, ſed ait: *Vndecumque iſta didicerit, ſiue præcedentium eum veterum libris, ſiue potius, quomodo dicit Apoſtolus, quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtauit &c.* vel fortaſsè nec ipſi in ſuis illis ſententijs, & oraculis, quæ de Patre, & Filio pronunciarunt, intellexerunt hoc myſterium, quod reſonare videntur eorum verba: quod non eſt mirum, nam & de noſtris veris Prophetis paſſim docetur non ſemper penetraſſe myſteria illa, quæ prædicebant. Et hoc de illis philoſophis tenuit S. Thomas 1. par. quæſt. 32. artic. 1. Cum enim ſibi obieciſſet in primo artic. Ariſtotelem in lib. 1. de Cælo, & Mundo dixiſſe: Per numerum ternarium adhibuimus nos ipſos magnificare Deum vnum, eminentem proprietatibus eorum, quæ creata ſunt; & apud S. P. Auguſtinum lib.

lib.7. Conf. cap.9. haberi: ſe in libris Platonicorum legiſſe, non quidem his verbis: ſed hoc idem omninò multis, & multiplicibus rationibus ſuaderi, quod *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*. Et cætera huiuſmodi, quæ ſequuntur in 1.cap. Euang. S. Ioan. & quod in Gloſſa ad cap. 1. epiſt. ad Rom. & cap. 7. Exodi Magi Pharaonis defecerunt in tertio ſigno, ideſt in notitia tertiæ Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, ſcilicet Spiritus Sancti, & ſic ad minus duas cognouerunt. Et Trimegiſtum dixiſſe: monas genuit monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem, vt habet in lib. qui dicitur Pimander Dialog. 4. per quæ videtur generatio Filij, & proceſſio Spiritus Sancti intimari. Reſpondet: Philoſophos non cognouiſſe hoc myſterium, & Ariſtotelem in prædicto loco ſolum intendiſſe, antiquos vſos numero ternario in orationibus, & ſacrificijs propter quamdam numeri ternarij perfectionem; Auctoritatemque illam librorum Platonicorum non de generatione Verbi, ſed de ratione Ideali, per quam Deus omnia condidit, procedere: quæ à nobis appropriatur Filio; & ſic Magos defeciſſe in cognitione tertiæ Perſonæ, quia deuiauerunt à Bonitate, quæ appropriatur Spiritui Sancto &c. Et denique dictum illud Trimegiſti non eſſe de generatione Verbi, aut de proceſſione Spiritus Sancti, & hunc eſſe illorum ſenſum; quod Deus vnus genuit mundum vnum, propter ſui ipſius amorem. Hæc ibi docet S. Thom. & quidem probabiliſſimè, nam nec in Sinagoga communiter erat notum hoc myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, vt paſſim docent Sacræ Scripturæ expoſitores: Vt videre eſt apud Cornelium à Lapide Proæmio in Euangelia in Antitheſi ſecunda legis, & Euangelij. Hoc adeò verum eſt vt propterea S.Epiphanius. hæreſi 74. poſt medium dicat: *Deitas vna in Moyſe maximè denunciatur: dualitas in Prophetis vehementer prædicatur: Trinitas autem in Euangelio manifeſtatur, amplius iuxta temporum occaſiones, ac generationes conueniens iuſto in cognitionem, & fidem*. Vide, ſi plura cupis de hoc puncto, Vaſquez in 1. par. Tom. 2. diſput. 32. cap. 1. vbi, & alia Philoſophorum dicta notabilia protulit, & alia Apollinis Delphici oracula: & cap. 2. vbi, & Philoſophos ex Moyſe, ideſt ex ſacris libris ab eo conſcriptis hauſiſſe notitiam probat; vel à populo hebræo, vel Ægyptio didiciſſe ex Eugubino lib. 1. de perenni Philoſophia cap. 1. S. Cyrillo lib. 1. contra Iulianum.

Ex

Ex S.P.N. lib.18. de Ciuitate Dei cap.37. Euſebio lib.10. de præparatione Euang. cap. 1. 2. & 3. & Theodoreto de Græcanicis affectionibus, & de Sibyllis (quarum alia oracula protulit Lactantius lib. 1. Diuin. inſtitut. cap. 6. & lib.4. cap. 6. & 7. quæ in vnum collegerunt Iulius Sirenius in Opuſc. de Prouid. circa finem, & Eugub. loco citato cap.25.) dicit, conſtare ex prædictis DD. has Sibyllas non traditione, non Scriptura, nec communicatione populi hebræi, ſed flatu Spiritus Sancti hoc Myſterium prædicaſſe; & ideò aliam eſſe de eis rationem, ac de Philoſophis, & alijs, qui de dicto Myſterio loquuti ſunt, eo quod iſtis non ſit facta proximè reuelatio de hoc myſterio, ſicuti Sibyllis: nec demonſtratione, aut ratione naturali illud aſſequi potuerunt; & adhuc dato, & non conceſſo, quod eſſet aliqua ratio naturalis de hoc myſterio, non propterea eſſet conſequens, Philoſophos naturales ſine errore propria virtute illam adinueniſſe; eo quod fidei reuelatio non ſolum eſt neceſſaria, vt ſupernaturalia Myſteria cognoſcantur; ſed etiam, vt multæ veritates naturales ſine errore ſciantur.

Dices 2. S. Thom. quæſt. 32. 1.par. artic.1. concedit nos poſſe defendere, & cognoſcere Myſterium hoc non eſſe impoſſibile: ergo poſſumus cognoſcere eſſe poſſibile; ac proindè etiam eſſe; nam non impoſſibile, & poſſibile idem ſunt, & in Deo ad intra eſt idem poſſe eſſe, & eſſe. Reſp. S.Thom. ibi non velle, quod poſſimus cognoſcere, & defendere hoc myſterium nòn eſſe impoſſibile abſolutè, & ſimpliciter, quo pacto non impoſſibile, & poſſibile conuertuntur; ſed vult, quod, ſuppoſita reuelatione fidei, poſſumus manifeſtè cognoſcere, & defendere Myſterium iſtud non eſſe impoſſibile, quantum eſt ex vi earum rationum, quæ naturali lumine intellectui noſtro obijci poſſunt; manet tamen ſemper ineuidens, an, ob rationes alias, naturali diſcurſu oſtendatur impoſſibile. Eſto per fidem certiſſimi ſimus ob nullas omninò rationes eſſe Myſterium iſtud impoſſibile, ſed omninò eſſe verum. Vide Præpoſitum quæſt.72. dub.2. §. Obijcitur 4. Valentiam quæſt. 6. de hoc Myſt. punct. 1. §. ad quartum. Et Auerſam Quæſt. 32. ſect. 1.

Dices 3. S. P. N. Auguſtinum lib.6. de Trinitate cap.10. dicere eſſe in qualibet creatura veſtigium Sanctiſſimæ Trinitatis; & præterea lib.14. de Trinitate cap.3. ex Geneſi cap.1. oſtendere hominem peculiariter ſecundum mentem

eſſe

Digitized by Google

eſſe imaginem Sanctiſſimæ Trinitatis; ergo poſſumus ex illis cognoſcere Trinitatem Diuinarum perſonarum eſſe; ſicuti ex veſtigio hominis intelligimus hominem tranſiſſe; & ex naturali imagine alicuius naturaliter venimus in cognitionem illius, cuius eſt illa imago. Reſp. in creaturis eſſe quidem veſtigium Trinitatis, quatenus relucet in illis Potentia, Sapientia, & Bonitas, quæ non ſunt proprietates perſonales, licet, diſtinctis perſonis tribuantur ac proindè non ducere naturaliter in cognitionem Perſonarum. Non enim cognouiſſemus in creaturis eſſe veſtigium Trinitatis, niſi, habita aliundè fide ſupernaturali de hoc myſterio, ita ratiocinaremur. Ad exemplum de veſtigio hominis. Reſp. eſſe diſparem rationem; nam hoc refert figuram pedis humani, quæ eſt propria hominis: Creaturæ autem non repræſentant naturaliter aliquid, quod ſit proprium ſingularum perſonarum. Ad illud de imagine: Reſp. eam non eſſe talem, vt afferat ipſa per ſe naturalem cognitionem Trinitatis; quandoquidem non fuiſſemus nec etiam cogitaturi in homine illam Trinitatis imaginem; niſi ex reuelatione fidei nobis ſuppeteret.

Dices 4. Naturali lumine eſt notum quamcumque operationem habere ſuum terminum; & eodem lumine eſt notum eſſe in Deo intelligere, & velle, per quæ producuntur Verbum, & Amor, qui ſunt proprij termini actionum intellectus, & voluntatis; & præterea eſt etiam euidens in Deo non poſſe eſſe accidens; ergo à primo ad vltimum naturali, & euidenti demonſtratione oſtendi poteſt eſſe in Deo Verbum, & Amorem, qui diſtinguantur, & ſint eiuſdem rationis cum producente, & conſequenter myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, quod his tribus conſiſtit. Reſp. Hæc omnia ſupponere eſſe in Deo veram actionem realem, nobis euidenter, & naturaliter notam; de qua ſolum eſt notum lumine naturali, quod habeat verum terminum; ſed non eſt nobis hoc modo notum, intelligere, & velle notionaliter, aut terminos dictionis, & Amoris notionalis eſſe realiter diſtinctos; imò naturali lumine ſolum cognoſcimus intellectionem, & volitionem in Deo non diſtingui realiter: eo quod naturaliter cognoſcimus Deum eſſe ſimplicem, & immutabilem, quod naturali lumine, & ſine reuelatione fidei non poſſemus conciliare cum hoc, quod eſt eſſe ibi productionem Verbi, & Amoris, cum diſtinctione reali à producente. Ex hac Reſponſione, & Doctrina facilè ſatisfieri

ri poteſt argumento Raymundi Lullij, qui putauit ſe euidenter lumine naturali oſtendiſſe exiſtentiam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Cuius argumenti infirmitatem clarè oſtendit, & demonſtrat Vaſquez tom. 2. in 1. par. Diſput.133.cap.1.2.& 3. vbi etiam oſtendit hunc Auctorem loqui de demonſtratione, ſuppoſito lumine Fidei; ſicut & omnes alij DD.Catholici.

Plura alia argumenta congerunt Auctores contra prædictam aſſertionem, quæ facilè ſolui poſſunt, aduertendo, quod, licet ex vna parte videatur lumine naturali inferri, quod in Diuinis debeant eſſe plures perſonæ; ex alia tamen parte lumen naturale ſolum ſemper reluctabit. Nam ſi dicas debere eſſe plures, quia hoc eſt maximæ perfectionis, eſſe communicatiuum ſui; quia generatio eſt actus vitalis perfectus, ac proindè vitæ excellentiſſimæ conuenire debet; quia eſt omnipotens; & quia communicatio infinita in Diuinis debet habere terminum adæquatum infinitum: ſtatim reſiſtit aliud principium, quod in eadem vnica, & ſingulari eſſentia, & natura non poſſunt eſſe plures perſonæ cum illa identificatæ; nam quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe; ac propterea illam plurificationem non poſſe ſtare ſine pluralitate Deorum, quæ nullo modo eſt admittenda; ſubindèque prædictas rationes, & congruentias probare, & ſuadere ſuppoſito lumine fidei, & reuelatione habita de hoc myſterio. Aliàs, vt aduertit S. Thom. loco citato dupliciter derogaremus Sanctæ Fidei, ſi ſolum per rationes naturales niteremur illud probare. Primo quoad eius dignitatem, quæ eſt de rebus excedentibus captum humanum. Secundo quoad vtilitatem, trahentes alios ad ipſam; eo quod, ſi infideles viderent nos vti ſolum rationibus naturalibus, quæ non conuincunt, exiſtimarent nos aliundè non moueri, ideòque non ſolum reſpuerent, ſed etiam nos irriderent.

Dico 2. Abſque reuelatione, & fide non poſſe cognoſci probabiliter, nec etiam cum aliqua ſuſpicione, aut formidine hoc myſterium; ſic docuit Suarez loco citato cap.11. num.10. & Ioan. Morandus quæſt.17. de hoc myſterio, & eſt communis. Probatur autem ratione, quia in tota natura nullum adeſt principium, per quod excitari poſſimus ad formandum talem cogitationem de tanto myſterio; imò principia naturalia videntur repugnare, vt eſt illud, *quæ ſunt eadem vni tertio &c.*

Dico 3. Suppoſita reuelatione, & fide Trinitatis, multa adinueniri argu-

argumenta probabilia, quæ manuducunt ad cognoſcendum tantum myſterium. Hæc concluſio eſt communis,& certiſſima. Huiuſmodi ſunt illæ rationes, ſupra compendio adductæ, quod ſit ſummæ perfectionis ſe communicare in eadem natura; quod ſi creatura poteſt generare ſibi ſimile, hoc debet Deus, iuxta illud Iſaiæ 66. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam.* Quod Deus eſt naturæ intellectualis, cuius eſt producere Verbum, quo pacto hoc myſterium nititur probare, & explicare S.P. lib.15. de Trinitate cap. 10. Vbi, cum de noſtro verbo mentali plura dixiſſet, concluſit: *Quiſquis igitur poteſt intelligere Verbum, non ſolumantequam ſonet, verum etiam antequam ſonorum eius imagines cogitatione voluantur, iam poteſt videre per hoc ſpeculum, atque in hoc enigmate aliquam Verbi illius ſimilitudinem, de quo dictum eſt Ioan.1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Sic etiam in ſermone primo de Verbis Apoſtoli contra Arrianos vtitur ſimilitudine ſolis, & ignis in quibus agnoſcit tria, quæ à nobis ſeparari non poſſunt, motum videlicet, ſplendorem, & calorem; & alibi, & maximè in libris de Trinitate plures alias habet rationes, congruentias, ſimilitudines, & exempla, quibus pulchrè explicat, & ſuadet hoc maximum myſterium, ſemper tamen, vt ipſe S. P. proteſtatur, & præmiſit in dicto ſermone: *Hoc Catholica fide armati, atque inſtructi.*

Alias congruentias afferunt alij Theologi ex Richardo de S.Victore, quæ ſuppoſita reuelatione, vt ſupra, optimè conferunt ad explicationem huius myſterij: hoc enim pacto eas adductas fuiſſe ab iſto Auctore teſtatur S.Thom.quæſt.32. 1.par. artic.1. in reſponſione ad 2. Alij tamen, quorum placitum ſuppreſſo nomine citat Ioan. Morandus loco ſupracitato à num. 588. volunt Richardum eas aduxiſſe, vt demonſtrationes; ſed ſi hoc voluit, vt ait ibi Morandus, ſuo fine fruſtratus eſt, vt eſt clarum ex ſupradictis. Vide plura,& pulchra de hac quæſtione apud Vaſquez, & Suarez locis ſupracitatis apud Tanerum diſput.4 quæſt.1. dub.2. Auerſam quæſt.32. ſect.1, & 2. vbi etiam agit an Diuinitus poſſit communicari viatori cognitio euidens quidditatiua, & abſtractiua Trinitatis. Et Ioan.Baptiſta Gonetum tom.5.

Digitized by Google

AXIOMA SECVNDVM.

De Notionibus Diuinarum Perſonarum.

Ex Lib. 5. de Trinitate Cap. 6.

ALia notio eſt, qua intelligitur Genitor, alia, qua Ingenitus. Nam quamuis de Patre Deo vtrumque dicatur, illud tamen ad genitum, ideſt ad Filium dicitur, quod nec illi negant: Hoc autem, quod ingenitus dicitur, ad ſe ipſum dici perhibent (loquitur contra Arrianos). *Cum verò ingenitus dicitur Pater, non quid ſit, ſed quid non ſit dicitur. Cum autem relatiuum negatur, non ſecundum ſubſtantiam negatur, quia ipſum relatiuum non ſecundum ſubſtantiam dicitur.*

DVBIVM II.

An, & quot ſint admittendæ notiones in myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis.

FRanciſcus Zumel in Comment. 1.par. quæſt.32. in Diſcurſu artic.2. obſeruat S. P. Auguſtinum fuiſſe primum, qui in hac materia de Sanctiſſima Trinitate nomen notionis introduxit lib. 5. de Trinitate cap. 6. verbis præſentis axiomatis. Quo poſito;

Præmitto 1. hoc nomen, *notio*, aliter accipi à Theologis. Aliter vero à Grammaticis, hi enim appellant notionem conceptionem, quam de re habemus, illi verò proprias rationes, & quaſi notas cognoſcendi vnamquamque Diuinam perſonam, propterea cum S. Thom. 1.par. quæſt.32. artic.2. de-

definitur communiter: id, quod eſt propria ratio cognoſcendi Diuinam perſonam. Ex qua definitione ſequitur id, quod artic. 5. dictæ quæſtionis docet, nempè de ratione notionis eſſe, vt ſit aliquod ſpeciale, ideſt non commune omnibus perſonis; nam per talia prædicata non diſcernitur vna perſona, vt diſtincta ab alia; ex qua conditione excluduntur non ſolum prædicata eſſentialia, ſed etiam prædicata Perſonæ, relationis, ſubſiſtentis, & ſimilia, quæ ſunt & ipſa communia omnibus tribus perſonis. Non eſt tamen de ratione notionis, vt per eam vnaquæque perſona à qualibet alia diſtinguatur, & ſignificet rationem vni ſolum conuenientem, quæ doctrina licet aliquibus diſpliceat, (qui propterea negant, produci, & eſſe ab alio, numerari inter notiones, eo quod conueniat duabus perſonis) eſt tamen communior in ſcholis; aliàs tollenda eſſet ſpiratio actiua, quæ ferè ab omnibus inter notiones numeratur. Cum igitur munus notionis ſit ducere in cognitionem diſtinctionis perſonarum ad rationem eius ſatis erit, ſi faciat cognoſcere duas Perſonas diſtinctas à tertia, cui talis ratio, ſeu notio non conuenit; produci verò, & eſſe ab alio non excluditur à numero notionum propter cauſam illam ab aduerſarijs adductam; ſed quia ſunt rationes communes communitate prædicationis, quæ includuntur in ſpecialibus notionibus Filij, & Spiritus Sancti, & propterea nulla eſt neceſſitas, aut vtilitas, propter quam debeant poni vt notiones, ab illis contradiſtinctæ.

Præmitto 2. Omnes has rationes: Notio, Relatio, Proprietas Perſonæ, & Proprietas perſonalis, licet poſſint cadere in eamdem rem, nam omnes conueniunt Paternitati, Filiationi, & Proceſſioni; non tamen, conuenire eis ſub eadem ratione: Nam paternitas (idem dicendum reſpectiuè de filiatione, & proceſſione) dicitur notio Patris, quatenus per illam deuenitur in cognitionem primæ perſonæ; dicitur relatio, quatenus per illam reſpicit Filium; dicitur proprietas perſonæ, quatenus ſolum vni perſonæ conuenit; & dicitur proprietas perſonalis, quatenus eſt conſtitutiua perſonæ Patris. Ex hoc principio clarum fit has rationes non æquè latè patere; ſed habere ſe veluti ſuperius, & inferius; nam rectè ſequitur: hoc eſt proprietas perſonalis; ergo eſt proprietas perſonæ; ergo relatio; ergo notio: ſed non ſequitur: eſt notio; ergo eſt relatio; Innaſcibilitas enim eſt notio, & non eſt relatio: nec ſequitur: eſt

notio; ergo eſt proprietas perſonæ, vel perſonalis; quia ſpiratio actiua eſt notio, ſed non eſt proprietas perſonæ, aut perſonalis, eo quod conueniat pluribus, & ſupponat perſonas conſtitutas.

Præmitto 3. non eſſe eamdem omnium ſententiam circa notiones. Præpoſitiuus enim, propter ſimplicitatem Dei, negauit eſſe vſurpandas notiones in abſtracto. Ex ijs, qui illas admittunt, ſunt, qui plures, & qui pauciores concedunt. Communiter admittuntur quinque vulgatæ cum S.Thom. 1.par. quæſt.32. artic.2. & 3. Scoto in 1.diſtinct.28. quæſt.1.Durando in 1.diſtinct.264.quæſt.2. S.Bonauentura, Capreolo, & alijs. Non deſunt tamen, qui è medio tollant innaſcibilitatem; fertur enim quod tempore S. Ambroſij, non admittebatur, vt notio; imò quod nec etiam ſpiratio actiua fuerit pro tali communiter recepta. E contra Scotus in 1. diſtinct.28. quæſt.2. §. ad Argumentum ad 3. non habet pro inconuenienti,ſi addatur inſpirabilitas pro ſexta.

Dico 1. neceſſariò ponendas eſſe notiones in Diuinis; quod ſic probo. Interroganti hæretico, quomodo Deus ſit vnus, & quomodo Trinus; reſpondendum eſt, eſſe Diuinitate vnum, & proprietate, ſeu relatione trinum; nec ſufficit ſi dicatur vnum ſubſtantia, Trinum perſonis, vt contendit Gregorius diſtinct. 26. quæſt. 1. quia interrogationi factæ de conſtitutiuo, ſiue de ratione formali, reſpondendum eſt per aliquod ſignatum in abſtracto.Secundo quia licet primæ illi interrogationi poſſit ſic ſatisfieri; nihilominus, ſi vlterius quæratur, quo, ſiue qua ratione perſona ſit perſona, non poterit amplius reſponderi, niſi per abſtractum.

Dico 2. Quinque ſolum eſſe admittendas notiones communiter receptas, ideſt innaſcibilitatem, paternitatem, filiationem, ſpirationem actiuam, & ſpirationem paſſiuam, ſiue proceſſionem. Eſt D. Thom. loco citato artic.3. & communior in ſcholis; & probatur hac ratione. Notio ſumenda eſt ſecundum originem; Perſonæ enim non habent aliquid proprium, niſi ſecundum originem; origo autem vel ſumitur actiuè, quatenus aliqua perſona producit, vel paſſiuè quatenus producitur; ſed ſic eſt, quod Pater producit Filium; ergo debet habere propriam notionem, quæ eſt paternitas: Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum; ergo debent habere communem notionem communitate rei, non communitate rationis; nam hæc non ſufficit ad notionem, & hæc eſt ſpiratio acti-

ua. Paſſiuè verò Pater non producitur ab alio; ergo debet habere propriam notionem, & hæc eſt innaſcibilitas, ſiuè improducibilitas: ſumitur enim hic ex communi vſu innaſcibilitas, non ſolum prout opponitur natiuitati, ſed etiam omni productioni ab alio. Filius verò eſt à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio; ergo debent habere proprias notiones: & ecce reſpectu Filij habetur filiatio; reſpectu verò Spiritus Sancti habetur ſpiratio paſſiua, ſiue proceſſio; ergo quinque ſolum notiones.

Dices cum Scoto: ſi ponitur innaſcibilitas reſpectu Patris, tanquam notio, etiam reſpectu Filij erit concedenda inſpirabilitas, vt notio; ergo ſex erunt notiones.

Reſpondet Durandus in 1. diſtin.26. quæſt.2. num.10. Inſpirabilitatem non eſſe rationem cognoſcendi in Filio dignitatem diſtinctam ab ea, quæ cognoſcitur per ſpirationem actiuam, cum dicat ſolum negationem ſpirationis paſſiuæ; Nam eo ipſo, quod Filius eſt Spirator, ſequitur, quod non ſit ſpiratus; nulla enim res producitur ea productione, qua producit. Ingenitum verò dicere negationem eſſendi, non per illas productiones, quibus producit Filium, & Spiritum Sanctum nam ſic eſſe ingenitum, eſſet non procedere à ſe ipſo; ſed negationem eſſendi ab alia perſona priori. Contra hanc reſponſionem ſtat, quod ſicut dicitur inſpirabilitatem includi in ſpiratione, ob rationem allatam; ſic etiam, ob eamdem rationem, dicendum erit innaſcibilitatem includi in paternitate, & ſpiratione; quemadmodum enim Filius, hoc ipſo, quod ſpirat, intelligitur inſpirabilis; ita Pater, hoc ipſo, quod producit per intellectionem, & volitionem, intelligitur improducibilis; cum in Diuinis non ſit alia emanatio, quam per intellectionem, & volitionem. Si dicas non intelligi per hæc improducibilem ab alia perſona priori; etiam ego dicam Filium, hoc ipſo, quod ſpirat Spiritum Sanctum, intelligi quidem inſpirabilem ab illo, ſed non intelligi, quin ſit ſpirabilis ab alio.

Canar. & alij reſpondent: innaſcibilitatem, eſto dicat ſolam negationem, ſicut dicit inſpirabilitas, eſſe tamen notionem, eo quod dicat non eſſe ab alio quocunque modo productionis, quod pertinet ad maximam auctoritatem perſonæ; inſpirabilitatem verò non eſſe notionem, eo quod dicat ſolum non eſſe ab alio per voluntatem, quod non pertinet ad auctoritatem; ſicut nec eſſe inge-

ingenitum eſt notio ex eo præciſè, quod dicat negationem ſolius generationis; hoc enim modo pertinet etiam ad Spiritum Sanctum. Contra hoc tamen eſt, quod pura negatio non dicit auctoritatem, & conſequenter non poſſet conſtituere notionem.

Propterea Caietanus in Commentarijs quæſt. 32. ad artic. 3. Reſpondet: verum quidem eſſe regulariter negationem non poni inter notiones, eo quod non pertineat ad dignitatem; innaſcibilitatem tamen poni propter tres rationes, propter quas non videtur habere rationem puræ negationis. Prima eſt, quia perſona Patris ſola in Trinitate ſe habet in ratione primi principij: vnde ad explicandam rationem primi, quæ communiter per negationem melius explicatur, ac etiam ad denotandam auctoritatem illam, propter quam Filius in Euangelio omnia refert ad Patrem, illi attribuitur innaſcibilitas. Secunda eſt, quia innaſcibile, & Pater quandoque ſeparantur, vt in creaturis, quarum quælibet generans eſt etiam genita, exceptis Adam & Eua, qui licet fuerint Genitores, non tamen fuerunt geniti: quandoque coniunguntur, vt in Deo; inſpirabile autem, & genitum ſemper connectuntur. Tertia eſt ad commendationem vnitatis in Diuina natura; nam, ponendo vnum innaſcibile, ponitur vnum caput, & principium. Sed contra eſt: quia nec etiam per iſta apparet ſufficiens diſparitas inter has negationes. Primo quia auctoritas primi principij ſufficienter videtur denotari per paternitatem. Secundo quia etiam inſpirabile, & genitum non ſemper connectuntur in eadem perſona, vt docet Caietanus; ſed quandoque ſeparantur: nam etiam Pater eſt inſpirabilis, & tamen non eſt genitus.

Recentiores aliqui, ad euadendas difficultates, reduxerunt hunc nodum ad nomen, & dixerunt innaſcibilitatem eſſe veluti nomen collectiuum, vnitè ſignificans id, quod ſignificant Paternitas, & Spiratio coniunctim; & idcircò eſſe à qualibet earum, ſeorſim accepta, diſtinctum; cumque illæ ſignificent ſolum rationem principij, innaſcibilitas ſignificat rationem primi principij, ideſt principij, quod non eſt ab alio. Sed contra eſt: quod communiter docetur, ſaluandum eſſe, quod innaſcibilitas notificet quid diuerſum, non ſolum à ſingulis rationibus ſeorſim, ſed etiam coniunctim; ſunt enim inuentæ notiones ad cognoſcendas dignitates perſonarum diſtinctas; quod ſi nihil aliud innote-

noteſceret per innaſcibilitatem, quam per paternitatem, & ſpirationem, fruſtra adderetur hæc quinta notio. Nihil enim nouum innoteſceret, ſi iſtæ tres notiones differrent ſolum in hoc, quod innaſcibilitas eſſet totum collectiuum, & illæ aliæ duæ partes collectiui; ſicut nihil innoteſcit per humanitatem, quod non ſit cognitum per animalitatem, & rationalitatem.

Melior ſolutio videtur eſſe illa eorum, qui dicunt innaſcibilitatem eſſe notionem diſtinctam à paternitate, & ſpiratione; eo quod expreſsè notificet rationem primi principij; quam illæ expreſsè non ſignificant; nam licet illa perſona, quæ eſt Pater, & ſpirator, non poſſit non eſſe principium, quia in Diuinis duæ tantum ſunt productiones, & eſt impoſſibile, quod eidem perſonæ conueniat eſſe principium productiuum, & producibile per eandem, vel eaſdem productiones; Nihilominus ratio Patris, & ratio Spiratoris expreſsè, & formaliter ſolum dicunt eſſe principium aliorum, non tamen eſſe principium primum.

Si dicas: hoc poſſe per diſcurſum facilè, & per neceſſariam conſequentiam inferri ex ratione paternitatis reſpectu filiationis; ergo neque propter hoc ponendam eſſe hanc notionem. *Reſp.* quod, ſi ad tollendam pluralitatem notionum hoc ſufficeret, nec etiam ſpiratio actiua eſſet ponenda vt notio diſtincta à paternitate; nam facilè, & neceſſariò per diſcurſum inferri poteſt, quod perſona generans, & producens per intellectum, vndè habet nomen Patris, debeat etiam producere per voluntatem. Innaſcibilitas igitur, quia ſignificat expreſsè rationem primi principij, quæ ratio rectè explicatur per negationem eſſendi ab alio, licet in Patre ſit ratio poſitiua, meritò cenſetur notio diſtincta ab alijs; inſpirabilitas verò, cum dicat ſolam negationem eſſendi ab alio non connotando rationem poſitiuam diſtinctam ab alijs, meritò excluditur; nam prout eſt in Patre nihil notificat, quod per innaſcibilitatem non innoteſcat; & prout eſt in Filio dicit ſolam meram negationem ſpirationis paſſiuæ, fundatam in filiatione.

Si inſtes: hanc ſolutionem apertè repugnare cum Doctrina S. P. qui eodem cap. 6. lib. 5. vndè præſentis dubij axioma deductum eſt, expreſsè docet ingenitum importare ſolum negationem, ait enim in fine illius Cap. *Cum igitur dicitur Pater non quid ſit, ſed quid non ſit dicitur*. Et ſimiliter cap. 7. ait: *Quod ergo dicitur ingenitus,*

hoc

Digitized by Google

hoc oſtenditur, quod non ſit Filius, & infra, *Non ergo iam dicamus ingenitum, quamuis id latinè dici poſſit, ſed pro eo dicamus non genitum, quod tantum valet. Non ergo aliud dicimus, quam non Filium. Negatiua porrò iſta particula non id efficit, vt quod ſine illa relatiuè dicitur, eadem præpoſita ſubſtantialiter dicatur: ſed id tantum negatur, quod ſine illa aiebatur &c.* Ergo (inferes) eſt expreſſa ſententia S. P. Ingenitum dicere puram, & meram negationem. Reſpondet Vaſquez Diſput. 137. cap. 5. S.P. intelligendum eſſe de formali, & expreſſo ſignificato, non verò negare ſignificare pro materiali modum poſitiuum ſubſtantiæ; nam & S.Baſilius lib. 4. contra Eunomium cap. 2. ait: *Quare innaſcibilitas ſubſtantiæ modus, non ſubſtantiæ nomen eſt*. Simili modo loquuntur etiam S.Cyrillus lib.1. Theſauri cap.4. circa finem, & S. Ioan. Damaſcenus lib.1. de Fide cap.9. qui omnes dicunt ſignificare modum ſubſtantiæ, ſeu exiſtentiæ, & conſequenter aliquid poſitiuum. Hoc enim etiam dicimus (ait ibi Vaſquez) de his nominibus, quibus aliqua attributa Dei ſignificamus, vt *Immutabile, Incorporeum &c.* Et re vera hoc arbitror eſſe de mente S. P. nam & in lib.de Trinitate, & vnitate Dei tom.4. cap.1. habetur *Spiritum Sanctum neque ingenitum fides declarat; quia ſi dixerimus ingenitum, duos patres affirmare videbimur*. Hæc verba non obſcurè indicant, hoc nomen *Ingenitum* importare dignitatem, ſeu auctoritatem Patris, non procedentis ab alio: aliàs enim, ſi ſolam negationem præſeferret, dictum de Spiritu Sancto, non videremur dicere alium Patrem. Scio librum illum à Louanienſibus cenſeri incerti auctoris; ſed nihilominus ijdem fatentur in ſua Cenſura, illum conſtare ex fragmentis doctrinæ S.P. & propterea cum idemmet S.P. loco citato dixiſſet: *Ingenitus porrò quid eſt, niſi non genitus?* ſtatim ſubdit: *Non ergo receditur à relatiuo prædicamento, cum ingenitus dicitur*. Quod vtique ſtare non poſſet, ſi meram negationem diceret; hæc enim, cum non ſit ens poſitiuum, ad prædicamentum non ſpectat. Ratio autem, propter quam ibi magis ſiſtit in negatione, quam in poſitiuo, eſt, quia ibi diſputabat contra Arrianos, qui abutebantur hoc nomine ingeniti, conficiendo ſophiſma contra Catholicos ex ratione illius: quaſi eſſet ſecundum ſubſtantiam (ideſt eſſentiam; pro eadem enim omninò accipiebant illi hæc duo nomina) proprium Patris: Quia nec eſt ad Filium, nec conuenit Filio, & indè

Digitized by Google

indè poſtea inferebant ſuum errorem, ideſt Filium eſſe alterius ſubſtantiæ, ſcilicet eſſentiæ à Patre; cui ſophiſmati volens ſatisfacere S. Pater, dedit primo, vim nominis non importare de formali niſi negationem geniti; admittendo tamen de materiali importare aliquid poſitiuum; vt dictum eſt.

Quæri hic ſolet: an poſſint ſine errore negari notiones, vel mutari earum numerus. Reſp. dupliciter hoc fieri poſſe: primo quoad nomen tantum, affirmando ſcilicet, quod hoc nomen non ſit ponendum in Diuinis, vel aliqua, quæ à nobis numerantur inter notiones, non eſſe ſic appellanda; vel alijs à prædictis quinque hoc nomen applicando, vt de inſpirabilitate poſſe fieri Scotus arbitrabatur. Imò Auerſa teſtatur quæſt.32. ſect.4. Alios duodecim, & alios triginta, & duas poſuiſſe notiones. Secundo poſſet hoc contingere, non quoad nomen, ſed quoad rem, quam ſcholæ Theologorum intelligunt ſub nomine notionum. Primo modo, dummodo eſſet cum aliquo probabili fundamento, nullam videretur mereri cenſuram: ſi verò poneretur ſine fundamento; vt videtur poni ille numerus duodecim, vel triginta duo, relatus ab Auerſa, forſan ſaperet temerarium, vt notant Tannerus Diſput 4.dub.5. & Ioan.Morandus Tract. de Trinitate quæſt. 18. Secundo autem modo eſſet hæreſis eas negare, quia hoc eſſet negare Patrem v.g. non eſſe principium omninò habens eſſe à ſe; Spiritum Sanctum non eſſe ſpiratum; & ſic de cæteris, quæ negationes omninò eſſent contra fidem. Vide S.Thom.1.par.quæſt.32. artic.4.

AXIOMA TERTIVM.

De Actibus Notionalibus.

Ex Lib. 15. de Trinitate Cap. 20.

Ridenda eſt Dialectica Eunomij, à quo Eunomiani hæretici exorti ſunt. Qui cum non potuiſſet intelligere, nec credere voluiſſet Vnigenitum Dei Verbum, per quod facta ſunt omnia,

Z *Filium*

Filium Dei eſſe natura, hoc eſt de ſubſtantia Patris genitum: non natura, vel ſubſtantia ſua, ſiuè eſsentia dixit eſſe Filium, ſed Filium voluntatis Dei, accidentem ſcilicet Deo, volens aſſerere voluntatem, qua gigneret Filium: videlicet ideò, quia nos aliquid aliquando volumus, quod antea non volebamus, quaſi non propter iſta mutabilis intelligatur noſtra natura, quod abſit in Deo eſſe credamus. Neque enim ob aliud ſcriptum eſt: multæ cogitationes in corde Viri, conſilium autem Domini manet in æternum, niſi vt intelligamus, ſiue credamus, ſicut Deum æternum, ita æternum eius conſilium, ac per hoc immutabile, ſicut ipſe eſt. Quod autem de cogitationibus, hoc etiam de voluntatibus veriſſimè dici poteſt: Multæ voluntates in corde viri, voluntas autem Domini manet in æternum. Quidam ne Filium conſilij, vel voluntatis Dei dicerent, Vnigenitum Verbum ipſum conſilium, ſeu voluntatem Patris idem Verbum eſſe dixerunt. Sed melius, quantum exiſtimo, dicitur conſilium de conſilio, & Voluntas de voluntate, ſicut ſubſtantia de ſubſtantia, ſapientia de ſapientia: ne abſurditate illa, quam iam refellimus, Filius dicatur Patrem facere ſapientem, vel volentem, ſi non habet Pater in ſubſtantia ſua conſilium, Vel voluntatem. Acutè ſanè quidam reſpondit hæretico verſutiſſimè interroganti. Vtrum Deus Filium volens, an nolens genuerit: Vt ſi diceret, nolens, abſurdiſſima Dei miſeria ſequeretur: ſi autem volens, continuò, quod intendebat, Velut inuicta ratione concluderet, non naturæ eſſe Filium, ſed voluntatis. At ille vigilantiſſimè viciſſim quæſiuit ab eo, vtrum Deus Pater volens, an nolens ſit Deus: vt ſi reſponderet, nolens, ſequeretur illa miſeria, quam de Deo credere magna inſania eſt: ſi autem diceret volens, reſponderet ei, Ergo & ipſe Deus eſt ſua voluntate, non natura. Quid ergo reſtabat, niſi vt obmuteſceret, & ſua interrogatione obligatum inſolubili vinculo ſe

lo ſe

lo ſe videret. Idem refert in lib. contra ſerm. Arrianorum cap. 1.

DVBIVM III.

Vtrum actus Notionales ſint Voluntarij, & priores prædicatis eſſentialibus.

Conſequenter ad ea, quæ docuit hic S.Pater, veniunt inquirenda hæc duo; & quantum ad primum non multum hæreo; nam S.Thom. ſua claritate, & breuitate nodum diſſoluit quæſt. 41. artic. 2. 1. par. vbi docuit: Patrem genuiſſe Filium voluntate ſe habente concomitater, non verò per modum principij, ac proindè generationem Filij non eſſe violentam, aut coactam, ſed naturalem, non tamen liberam. Præterea etiam Spiritum Sanctum naturaliter procedere, quamuis per modum voluntatis, non tamen eſſe liberam (quod eſt contra Scotum, qui in 1. diſtinct. 10. quæſt. 1. dicit productionem Spiritus Sancti eſſe liberam: diſſenſio tamen eſt de voce; nam ipſe docet etiam eſſe neceſſariam; & non eſſe indifferentem ad eſſe, & non eſſe; ſed accipit liberum pro eo, quod non agitur coactè, ſed delectabiliter producitur, in quo benè ſentit quoad rem; ſed eius loquendi modus extra ipſius ſcholam non recipitur; aliàs etiam Brutorum operationes poſſent dici liberæ. Eſt igitur Spiritus Sanctus naturaliter à voluntate, tanquam à principio, quod non obſcurè indicauerat S.P. immediatè poſt Axioma; ſequitur enim ibi: *Sed Voluntas Dei, ſi & propriè dicenda eſt aliqua in Trinitate perſona, magis hoc nomen Spiritui Sancto competit, ſicut Charitas. Nam quid eſt aliud Charitas, quam voluntas?* Verum cum illa voluntas concomitans comparetur ad generationem, ſicut ad obiectum præcisè, adhuc etiam remanet inquirendum, an poſſit dici ſe habere ad illam etiam antecedenter; ita quod placeat, vt vel quaſi futura; an etiam conſequenter vt placeat exiſtens.

Difficultas igitur eſt de ſecundo puncto: Vtrum ſit prius generare, quam velle generare, & quia

Digitized by Google

talis volitio eſt eſſentialis, generatio verò notionalis; Quæſtio ſit vniuerſaliter: An eſſentialia ſint priora notionalibus, an verò è contra. Eſſentialia dicuntur ea, quæ conueniunt Deo ratione eſſentiæ, vt attributa, actus voluntatis, & intellectus, etiam quæ dicunt reſpectum ad creaturas, vt prædeſtinatio, & electio. In hac difficultate duæ ſunt celebres ſententiæ.

Prima eſt Scoti in 1. diſtinct. 6. quæſt. vnica, qui abſolutè ait eſſentialia eſſe priora notionalibus; & conſequenter voluntatem generandi in Patre præcedere ad generationem; diſponit enim inter hæc talem ordinem, vt in Patre ſit prius ex natura rei intelligere abſolutum, ad quod immediatè ſequatur velle abſolutum; poſtea actus dicendi, ab ipſo actu intelligendi abſoluto diuerſus. Hunc ſequitur Caietanus. Qui & in Commentarijs ſupracitatæ quæſt., & articuli, ac etiam ad artic. 3. quæſt. 33. dicit eſſentialia neceſſaria eſſe priora notionalibus; non verò eſſentialia libera; in quo differt à Scoto.

Secunda eſt Capreoli in 1. diſtinct. 6. quæſt. 1. Ferrarienſis lib. 4. contra Gentes cap. 11. Canarien. in Comment. artic. 2. quæſt. 41. 1. par. & citra omnem dubitationem eſt S. Thom. quæſt. 2. de Potentia artic. 3. ad 2. expreſsè, licet Caietanus conetur eum aliter exponere, & trahere in ſuam ſententiam; & communior inter recentiores, vt videre eſt apud Arriagam diſput. 46. ſect. 5. num. 40. ponentes generationem non eſſe poſteriorem voluntate generandi; ſed ſolum eam comitari. Henricus in ſumma artic. 58. quæſt. 2. & Goffredus quodlibet. 5. quæſt. 1. relatus à Scoto loco citato, contendunt generationem eſſe priorem ratione voluntate generandi. Pro ſolutione.

Præmitto 1. poſſe aliquid eſſe prius alio in ſubiecta materia dupliciter: primo conceptione noſtra ſolum; ſecundo ratione cum fundamento in re. Primo modo illud dicitur prius, quod licet ex ſua natura non poſtulet concipi prius, nihilominus ex imperfecto modo cognoſcendi concipientis prius concipitur. Secundo modo non dicitur prius, niſi id, quod poſtulat ex ſua intrinſeca ratione præintelligi. Exemplum primi modi habemus in proceſſione ad extra, quæ in noſtra conceptione eſt prior proceſſione ad intra, licet ſecundo modo ſit poſterior; ſecluſa enim reuelatione de Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis concipimus proceſſionem ad extra, abſque conceptione proceſſionis ad intra, & tamen hæc potius eſſet illi præ-

Digitized by Google

præintelligenda; eo quod Deus non operetur ad extra, niſi perfectè conſtitutus in ſuo eſſe, & eſſentia Diuina naturaliter poſtulat tria ſuppoſita; & ſic eſt prius ex parte producentis Deum ſubſiſtere in tribus perſonis, & conſequenter duas perſonas procedere, quam quidquam ab extra produci.

Præmitto 2. quædam prædicata eſſentialia expreſsè dicere ordinem ad notionalia, vt cum dicitur eſſentia communicabilis tribus perſonis, vt etiam voluntas generandi; (eſto Canarien. loco citato contradicat, & putet hanc voluntatem eſſe notionalem, & propriam Patris). Nam re ipſa omnes perſonæ volunt generationem eſſe in Diuinis, licet ſola prima velit ſe eſſe generantem. Alia ſunt prædicata eſſentialia, quæ ſolum implicitè dicunt talem ordinem, vt cum dicitur eſſentia infinita, in quo includitur, non tamen explicitè, quod ſit communicabilis tribus.

Præmitto 3. huiuſmodi actus eſſentiales, & notionales diuerſimodè poſſe comparari, ideſt, vel inter ſe, vel in ordine ad ipſam eſſentiam Diuinam, vel in ordine ad aliquam perſonam, vel diſtinctè, vel in confuſo conceptam. His poſitis.

Dico 1. reſpectu perſonæ conceptæ ſub propria ratione v.g. Patris vt ſic, ideſt vt Patris, non eſſe prius intelligere, quam dicere, aut dicere, quam intelligere. Probatur 1. quia Pater vt ſic non eſt prius, quam generare; imò ipſa generatione conſtituitur Pater: vt propterea lib. 5. de Trinitate cap. 6. S.P. admittat hanc conuertentiam: *Sicut Filius ad Patrem, ſic genitus ad genitorem refertur, & ſicut Pater ad Filium, ita genitor ad genitum.* Quod vtique ideò poſuit, quia eo Pater, quo genitor, vt alibi dixit. Sed dicere in Patre non eſt aliud, quam intelligendo generare; ergo non poteſt Pater vt ſic concipi vt intelligens, quin concipiatur vt dicens, & gignens.

Probatur 2. quia Pater non aliter dicit, aut producit Verbum, quam intelligendo; ergo vtrumque ſimul concipitur neceſſariò, ſi debet concipi Pater, vt Pater. Confirmatur, quia in Patre vtrumque ſimul eſt idem actus, videlicet eſſentialis, & actus notionalis, cum ſola differentia connotationis relationis; ſed in intellectione Patris vt ſic, ideſt concepti vt Patris, connotatur relatio; ergo ſimul intelligitur eſſe dicere, & intelligere.

Dico 2. reſpectu Patris, vt eſt quædam perſona, non concipiendo determinatè, ſeu explicitè, quod ſit Pater; prius eſſe actum eſſen-

ſentialem, quam notionalem. Probatur, quia, concipiendo hoc modo, intelligitur, vt eſt natura Diuina ſubſiſtens incommunicabiliter, ſine ordine ad aliam perſonam; ergo conceptione noſtra erit prius actus eſſentialis, quam notionalis, eſto ſemper implicitè, & materialiter concipiatur aliquid notionale, cuius tamen conceptus diſtinctus, & explicitus, ac determinatus debet conſequi ad illum priorem de actu eſſentiali.

Dices actus eſſentialis debet ſe extendere ad omnia, nam intelligere Dei, ſeu talis Perſonæ eſt intelligere comprehenſiuum, & velle ſequitur ipſum intelligere in hoc, quod ſe extendit ad omnia, quæ concipiuntur à Diuino intellectu; ergo obiectum eorum erunt etiam notionalia, & conſequenter non poterit vllus actus eſſentialis, ſine notionalibus concipi, ac proindè, vel ſemper ſimul erunt conceptione, vel notionalia priora eſſentialibus, cum obiectum ſemper præſupponatur intellectioni, & volitioni. Reſp. hoc argumentum procedere de intelligere, & velle, prout ſunt à parte rei; & probare, quod ſecundum ſe non ſit prius vnum altero, ideſt eſſentiale notionali, in eo ſenſu, quo in Symbolo S. Athanaſij dicitur. *In hac Trinitate nihil prius, aut poſterius*. Vnde ſi à nobis perfectè, & diſtinctè conciperentur, vt concipiuntur à Beatis, non poſſet concipi actus eſſentialis, quin conciperetur & notionalis. Sed quia concipiuntur à nobis imperfectè, propterea præſcinditur à nobis ab eo, quod ſint actus comprehenſiui, & ſic concipitur actus eſſentialis præcedens notionalem; tanto magis, quod concipimus illos per ſpecies creaturarum, in quibus relatio præſupponit eſſentialia, & fundatur in illis, & ad illa conſequitur. Ad illud de obiecto. Reſp. eſſe verum in illis, in quibus ſcientia accipitur ab ipſis obiectis, vt in nobis, non verò in illis, in quibus obiectum eſt idem realiter cum ipſa ſcientia; vel ipſum obiectum accipit eſſe ab ipſa ſcientia.

Dico 3. prius ratione eſſe generare, quam velle generare. Hæc aſſertio diuerſimodè à pluribus probatur, quorum probationes non leues patiuntur difficultates. Probatur 1. communiter auctoritate S. Hieronymi, qui in commentarijs epiſt. ad Epheſios cap. 1. agens de Filio dicit, *numquam eum, vt eſſet, Paterna voluntas præceſſit*. Hæc auctoritas patitur difficultatem, quia ibi S. Doctor videtur loqui de prioritate durationis, non verò de prioritate rationis.

Pro-

Probatur 2. ab alijs auctoritate Concilij Toletani XI. vbi dicitur, quod Sapientiam genitam nulla voluntas præceſſit, ſed ſola natura. Sed nec iſta videtur probare ſufficienter intentum: nam poteſt dici Concilium ibi loqui contra Arrium, & excludere ſolum voluntatem, quæ antecedat per modum principij.

Probatur ab alijs 3. ratione: Quia generatio eſt obiectum voluntatis; ſed obiectum eſt prius actu, qui tendit in ipſum; ergo prior eſt generatio, quam volitio, reſpiciens generationem. Contra hanc rationem opponitur, quod hic non eſt quæſtio de prioritate; ſed vtrum debeat prius concipi generatio vt exiſtens, quam volitio eius.

Probant 4. alij ratione, qua vtitur Vaſquez, & eſt, quod in Deo ſolum debet poni ordo inter actus, qui verè ſunt in ipſo Deo; ſed nullus eſt actus, quo velit generationem, vt futuram, aut poſſibilem; ergo ſolum, vt exiſtentem; ac proindè eſt conſequens ad ipſam. Probatur minor, quia generatio Diuina eſt neceſſariò exiſtens, ſicuti ipſe Deus eſt ens neceſſarium, & ſicut Deus non poteſt eſſe neque futurus, neque poſſibilis, ita neque generatio Diuina; ergo non poteſt dari volitio, quæ tendat in eam ſub illis ſtatibus, ſub quibus implicat eam eſſe, qualis eſſet volitio præcedens generationem, quæ compararetur ad illam per modum deſiderij. Verum licet hæc ratio propius accedat ad probandum intentum, patitur nihilominus hanc difficultatem, quod licet in Deo re ipſa non ſit hic ordo, tamen quæſtio non ſit de eo, quod eſt, prout eſt à parte rei; ſed vtrum noſtro modo concipiendi imperfecto, quo concipimus per ſpecies alienas, poſſit concipi volitio præcedens generationem.

Probatur igitur 5. fortius: Quia, vel loquimur de voluntate, vt concipitur in perſona Patris, vt ſic, vel vt concipitur in Deo abſolutè. Si primo modo, cum voluntas Patris ratione noſtra ſupponat intellectionem, & intellectio Patris, vt Patris eſt, ſit generatio, conſtat generationem debere eſſe priorem ratione noſtra. Si loquamur ſecundo modo, certum eſt primò voluntatem generandi non poſſe eſſe priorem generatione, quia eſt prædicatum eſſentiale, dicens ordinem ad notionale, & ideò hoc prius concipi non poteſt; certum eſt etiam debere eſſe poſteriorem, quia intellectio, quæ eſt in Deo, eſt fœcunda, & naturaliter producens verbum, vt dictio eſt: ergo prius in ſua ratione perfici debet, quam intelligatur ſequi volitio. In hoc autem falluntur aduerſarij,

quia

Digitized by Google

quia putant ex prioritate intellectionis vt ſic, quæ Deo prius ratione noſtra conuenit, quam productio, rectè argui etiam, debere prius conuenire volitionem; cum tamen hæc ſit in alio ordine, & conſequenter ſupponat intellectionem in ſuo ordine perfectam, ideſt habentem illud omne, quod naturaliter ad eam ſequitur,

Probatur vltimo: Quia intellectio præcedit volitionem; ſed intellectio eſt idem actus cum dictione, qui eſt generatio; ergo ſicut intellectio ratione noſtra præcedit volitionem; ſic etiam generatio debet illam præcedere.

Si opponas: Pater communicat Filio per generationem non ſolum eſſentiam, ſed etiam omnia attributa, & conſequenter etiam voluntatem generationis; ergo illa voluntas eſt prius in Patre, quam ſit ipſa generatio. Reſp. eſſe prius origine, non ratione, ſiue eſſe prius prioritate à quo, non prioritate in quo; quemadmodum etiam communiter dicitur: Pater eſt prior origine Filio, cum ſit illud principium, à quo Filius accipit eſſe, & à quo producitur: non tamen dicitur prior ratione, aut conceptibilis pro vno inſtanti rationis, in quo non concipiatur Filius; relatiua enim ſunt ſimul natura, & cognitione.

Dices 1. pro Scoto, & Caietano. Etiam S.Thom. 1.par.quæſt.33.artic.3.docuit abſoluta eſſe priora reſpectiuis; ſed velle generationem eſt quid abſolutum, ipſum verò generare eſt reſpectiuum; ergo prius eſt illud, quam iſtud. Reſp. maiorem eſſe veram, primo de illis abſolutis, & eſſentialibus, quæ non dicunt ordinem expreſſum ad notionalia, ſecundo etiam de illis eſſentialibus, quæ comparantur ad notionalia eiuſdem ordinis, vt eſt de intellectione reſpectu dictionis, non verò de illis, vt comparantur ad diuerſa, vt eſt in præſenti.

Dices 2. Voluntas ſpirationis eſt prior, quam ipſa ſpiratio; ſed eſt eadem ratio de ſpiratione, ac de generatione; ergo, ſicut eſt prior illa, ſic erit etiam prior iſta. Reſpondent aliqui, data maiori propoſitione, negando minorem, eo quod Spiritus Sanctus procedat ex amore eſſentiali, & dilectio noſtro modo concipiendi intelligitur vt ratio fundandi relationem ſpirationis. Sed contra eſt: quia videtur etiam eſſe ratio fundandi generationem, cum iſta procedat à Patre volente ipſam. Propterea alij reſpondent, quod ſi comparentur inter ſe velle, & ſpirare, non vt actus, & obiectum, ſed vt duo actus, aut vnus diuerſimodè acceptus, prius eſt velle, quam ſpirare, ſicut intelligere, quam dice-

dicere: Si verò comparentur, vt actus, & obiectum, velle non eſt prius, quam ſpirare, quia eſt de ratione actus, & obiecti, vt obiectum non ſit poſterius actu, qui illum reſpicit. Si autem comparetur velle Patris, & Filij ad ſpirare, neutrum eſſe prius alio, eo quod in tali actu includatur ſpiratio, & in ſpiratione velle.

Dices 3. Antequam Pater concipiatur generare, eſt perfectè Beatus; ſed perfecta Beatitudo includit comprehenſionem eſſentiæ, & omnium, quæ ſunt in eſſentia, vna cum eorumdem dilectione; ergo ſemper eſt neceſſè prius concipere in Patre actum voluntatis, & dilectionis, quam ipſam generationem. Reſp. Patrem in quolibet ſigno durationis, vel naturæ eſſe completè beatum, & de hoc non diſputamus; ſed prius ratione concipi à nobis beatum eſſentialiter, ideſt comprehendens ſuam eſſentiam; quam concipiatur beatus etiam completiuè quoad actum amoris.

Digitized by Google

CONTROVERSIA QVINTA.

De ſingulis Perſonis Diuinis.

De Perſona Patris.

AXIOMA PRIMVM.

Eſſe ingenitum conuenit Patri ſolum.

Ex Lib. 15. de Trinitate Cap. 26.

IDeò cum Spiritum Sanctum genitum non dicamus; dicere tamen non audemus ingenitum, ne in hoc vocabulo, vel duos Patres in illa Trinitate, vel duo, qui non ſunt de alio; quiſquam ſuſpicetur. Pater enim ſolus non eſt de alio: ideò ſolus appellatur ingenitus, non quidem in Scripturis, ſed in conſuetudine Diſputantium.

DVBIVM I.

Quomodo conueniat Patri eſſe ingenitum.

DIuerſimodè SS.PP.exponunt hoc nomen Ingenitum. Nam S. Athanaſius diſputat. contra Arrium refert hanc vocem fuiſſe ab Eccleſia adhibitam contra Sabellianos, qui tollebant diſtinctionem perſonarum, & conſequenter dicebant Patrem natum eſſe de Ma-

Digitized by Google

Maria Virgine: vnde, ad excludendam generationem humanam à prima perſona, DD. Catholici Patrem ingenitum appellabant; ſed cum poſtea Arriani, hac vocè abuterentur pro confirmanda ſua hæreſi, & dicerent ſolum Patrem eſſe ingenitum, & propterea diuerſæ naturæ à Filio genito; putabant enim non poſſe Filium eſſe genitum, quin etiam eſſet factus, & quia factum, & non factum, non poſſunt eſſe eiuſdem naturæ, ſic etiam ingenitum, & genitum diuerſæ naturæ eſſe aſſerebant; & propterea SS. PP. vt conſtat ex S. Athanaſio loco citato, & ex S. Ambroſio lib. de Incarnatione Cap. 9. ab hac voce, quæ alioquin in bono ſenſu fuerat in vſu, refugiebant,& reprehendebant Arrianos; quia, cum ipſi arguerent Nicænam Synodum, eo quod vteretur nominibus, quæ in Sacra Scriptura non continebantur, ipſi poſtea hac vterentur, vel potius abuterentur, quæ in illa expreſsè non habetur. Explicatis tamen poſtea huius nominis diuerſis ſignificationibus: Illi iidem Patres conceſſerunt in optimo, & Catholico ſenſu primæ Perſonæ tribui, eique re vera, & propriè conuenire; & licet poſſet etiam Spiritui Sancto accommodari; nam neque ipſe eſt genitus; nihilominus vſu factum eſt, vt tribuatur ſolum Patri, eo quod accipiatur pro negatione cuiuſcumque proceſſionis. Propterea Concilium Toletanum XI. ait: *Spiritus Sanctus, nec genitus, nec ingenitus creditur*: & S. Hilarius in lib. de Synodis: *Cum Deus vnus ſit, duo innaſcibiles eſſe non poſſunt*: & S.P. in Axiom. *Cum Spiritum Sanctum non dicamus genitum, dicere tamen non audemus ingenitum &c.* Ex his facilè conciliantur axiomata PP. circa hanc vocem, quæ alicui poſſent videri repugnantia, ſi attendantur ea, quæ communiter cum S. Thom. 1.par. quæſt.33. artic.4. obſeruantur à Theologis, videlicet hoc nomen multa ſignificare, tum propter particulam *in*, quæ & negatiuè, & priuatiuè poteſt accipi, tum etiam propter v. *genitum*, quod per illam negatur, & ſignificare poteſt multa, & primo id, quod eſt factum per veram effectionem; ſecundo per generationem, quæ reperitur in creaturis; tertio quod per Diuinam generationem producitur; quarto pro eo, quod in Diuinis accipit eſſe per proceſſionem ab alio, ſiue ſit per generationem, ſiue alio modo. Quocumque ex his modis accipiatur, certum eſt quod ſumpta particula *in* priuatiuè non poteſt hoc nomen ingenitum conuenire Deo, ſeu tribus Diuinis perſonis; eo quod priuatio dicit imperfectio-

Digitized by Google

nem, vtpotè connotans ſubiectum, ſiue potentiam deſtitutam actu debito in eſſe. Si verò ſumatur *in* negatiuè; vt ſcilicet negat genitum primo, & ſecundo modo, ideſt, vt ſignificat factum per veram effectionem, aut productum per generationem illam, quæ reperitur in creaturis, ideſt in natura numericè diuerſa, & cum nouitate eſſendi; hoc modo non ſolum conuenit Patri, ſed etiam Filio, & Spiritui Sancto, ac etiam eſſentiæ Diuinæ, quæ licet, vt eſt in Filio, & in Spiritu Sancto, ſit communicata, non tamen poteſt dici facta, vel genita. Si ſumatur tertio modo, ideſt ſolum pro negatione eius, qui producitur per generationem Diuinam, hoc modo conuenit & Patri, & Spiritui Sancto, ac etiam ipſi eſſentiæ Diuinæ, quæ nec generat, nec generatur. Sumpta verò quarto modo, ideſt pro negatione eius, qui per proceſſionem accipit eſſe ab alio, inter tres Diuinas Perſonas ſolum Patri competit. Et hoc modo factum vſu eſt, vt communiter ſumatur in præſenti. Quo poſito: Adhuc remanet difficultas, quid ſignificet hoc nomen ingenitum, ſeu innaſcibile in rigore. Vtrum ſcilicet negationem tantum, an verò etiam aliquid poſitiuum. Et quid, quatenus de ſolo Patre dicitur: in qua duæ ſunt ſententiæ oppoſitæ.

Prima eſt, quod dicat ſolam negationem eſſendi ab alio quocumque modo. Eam tenent Scotus diſtinct.28. quæſt.2. Canar.in Comment. artic.4. quæſt.33.1.par. & alij, qui putant eam eſſe de mente S.Thomæ.

Secunda eſt Capreoli in 1. diſtinct.28.quæſt.1.artic.1. Durandi ibidem quæſt.1. S.Thom. 1.par. quæſt. 33. artic.4. & aliorum, aſſerentium dicere negationem fundatam in ratione primi principij.

Præmitto ſolutioni primo, quod ſi ingenitum ſumatur negatiuè, quatenus dicit non exiſtens ab alio, tamquam à principio, vel à cauſa, poſſe etiam dici de eſſentia Diuina, quæ nec principiatur, nec cauſatur; nec tamen per hoc tolli, quominus ingenitum ſit notio Patris, ſiue quia, vt aliqui volunt, ſatis eſt ad notionem, vt diſtinguat vnam perſonam ab alia, quod habet ingenitum, etiam ſi verificetur de eſſentia; ſiue quia S. Thom. loco citato ad ſecundum, & Durand. dicunt, quod eſto eſſentia non principietur, tamen, vt eſt in ſecunda, & tertia perſona, eſt ab alio, non quidem producta; ſed communicata: Pater verò nullo modo eſt ab alio. Si verò ingenitum ſumatur aliquo modo priuatiuè, impropriè tamen, ſiue ad modum priuatiui, quatenus negat id, quod eſt aptum

inef-

ineſſe, non quidem ſuppoſito, cui tribuitur, ſed alteri ſuppoſito eiuſdem naturæ, tunc ita conuenit Patri, vt non conueniat eſſentiæ, quia eſſentia vt ſic non eſt ſuppoſitum; & Filio, ac Spiritui Sancto conuenit eſſe ab alio.

Præmitto 2. eſſe quaſdam negationes, quæ ſignificant aliquid poſitiuum, non ſolum in concreto, quod eſt commune omnibus negationibus, & formis accidentalibus; ſed etiam in abſtracto, quod non conuenit omnibus; nam tenebræ formaliter dicunt ſolum negationem luminis; incorruptibilitas verò dicit entitatem poſitiuam rei incorruptibilis; ſic etiam inuiſibilitas dicit entitatem poſitiuam rei, quæ à nobis videri non poteſt: & ratio eſt, quia cum talis res poſitiua, vt plurimum ſit nobis ignota ſecundum ſe, illam nominamus per negationem alterius rei nobis notæ, habentis condiciones oppoſitas; Vnde nomen ipſum negatiuum non tam eſt impoſitum ad exprimendam negationem, quam ad ſignificandum illud poſitiuum, ratione cuius conuenit ei illa negatio, quæ eſt ratio, quare repugnat ſubiecto formæ oppoſita. Quo poſito.

Dico 1. Quod hæc nomina ingenitum, & innaſcibilitas, eſto ſint negatiua, nihilominus dicunt negationem fundatam in ratione primi principij. Probatur, quia cum ratio principij ſit poſitiua, à nobis tamen explicatur per negationem eſſendi ab alio, per nomen ingenitum, quod eſſe, id eſt ab alio, reperitur in ſecunda, ac tertia perſona; & nomen innaſcibilitatis imponimus ad ſignificandam illam rationem, in qua fundatur talis negatio; ergo iſta nomina ita ſunt negatiua, vt tamen ſimul ſignificent aliquid poſitiuum, non ſolum in concreto, ſed etiam in abſtracto.

Dico 2. Ingenitum formaliter ſignificare negationem eſſendi ab alio, tanquam à principio perſonali, & materialiter ſignificare ipſam Paternitatem. Hanc aſſertionem ſic explico, & probo. Quidam arbitrantur ſignificare negationem eſſendi ab alio, tanquam à principio, & tanquam à cauſa: Verum cum hæc notio ita ſit propria Patris, vt alteri non conueniat, negatio eſſendi ab alio tanquam à cauſa non poteſt eſſe de ratione huius proprietatis; nam conuenit etiam eſſentiæ, & duabus perſonis productis. Significat ergo formaliter negationem principij, tum quia eſt nomen negatiuum; tum quia PP. communiter illud exponunt per huiuſmodi negationem, vt dictum eſt in principio huius dubij; tum quia ſignificat rationem primi principij,

pij; ratio autem primi optimè explicatur per negationem eſſendi ab alio priore ſecundum originem. Per hæc manet probata prima pars noſtræ concluſionis. Secunda, nempè quod materialiter ſignificet Paternitatem, probatur: Quia talia nomina ſignificant materialiter eam rationem, in qua fundantur negationes, quas de formali ſignificant; ſed negatio, quam formaliter ſignificat ingenitum, non eſt eſſentia Diuina, quatenus non eſt communicata ab alio, vt contendebat Scotus; nam idem eſſet fundamentum ſui ipſius, negatio nempè negationis; eadem enim negatio formaliter eſt non eſſe communicatum ab alio, ac non eſſe ab alio tanquam à principio; ergo huiuſmodi fundamentum eſt paternitas; nam in Patre non eſt alia ratio poſitiua, quam eſſentia, paternitas; & ſpiratio actiua; conſtat autem, nec etiam huiuſmodi ſpirationem poſſe eſſe fundamentum talis negationis; hæc enim, noſtro intelligendi modo, concipitur aduenire perſonæ iam conſtitutæ; erit ergo ipſa paternitas; cum nihil aliud remaneat, in quo poſſit fundari hæc negatio.

Dico 3. Illud materiale connotatum innaſcibilitatis non eſſe Paternitatem, vt Paternitas eſt, ac relatio formaliter; ſed materialiter, eo modo, quo communiter dicitur accidere perſonalitati primæ perſonæ, vt ſit relatio. Hoc ſic explico, & probo. Ex eo, quod Pater ſit perſona non exiſtens ab alio, vt ſunt ſecunda, & tertia, & quod vna ſit per generationem, altera per ſpirationem producta, neceſſariò ſit, vt perſona producens per generationem, quæ eſt prima productio, ſit improducta, quia neque à ſe poteſt produci per primam, aut per ſecundam productionem, quæ primam ſupponit; ſed quod prima ſit generans habet à paternitate; quia per illam habet, vt ſit & ſubſiſtens incommunicabiliter, & primo producens; ergo à paternitate habet, vt ſit innaſcibilis; quia verò paternitas non habet conſtituere primam perſonam, niſi quatenus eſt forma hypoſtatica, ideò innaſcibilitas non connotat paternitatem, niſi vt forma conſtitutiua perſonæ. Vndè ſi per impoſſibile prima perſona conſtitueretur per proprietatem abſolutam, adhuc diceretur ingenita, & ſi per impoſſibile eſſet ſolum vna perſona Diuina, poſſet dici ingenita, & tamen non eſſet Pater. Verum tunc alia eſſet ratio ingeniti, quam nunc; tunc enim ſolum denotaret negationem eſſendi ab alio, tanquam à cauſa, fundatam in ſumma perfectione eſſentiæ, cui repugnat ab alio pendere.

Ex

Ex hucuſque dictis conſtat innaſcibilitatem eſſe notionem diſtinctam à paternitate, tum quia addit negationem ſupra explicatam; tum quia non dicit paternitatem ſub propria ratione, ſed materialiter. Conſtat etiam eſſe notionem ſolius Patris, quia licet Spiritus Sanctus non ſit ab alio per generationem, eſt tamen alio modo; & ingenitum ex frequentiori vſu diſputantium, vt obſeruat S. P. in Axiomate, negat omnem proceſſionem; & meritò negatur, ſeu abſolutè non conceditur, quod Spiritus Sanctus ſit ingenitus, quia, eſto formaliter non ſit per generationem productus, illam tamen ſupponit.

Dices 1. S. P. lib. 5. de Trinitate cap. 2. ait: *quid aliud eſt ingenitus, niſi non genitus?* & S. Greg. Nazianz. orat. 2. de Pace ait ſignificare vacationem principij: ergo per SS.PP. importat ſolam negationem eſſendi ab alio quocumque modo. Reſp. SS.PP. loqui de ſignificato formali, iuxta communem DD. expoſitionem.

Dices 2. Non apparet quid poſitiuum poſſit importare hoc, quod eſt eſſe ingenitum; quia non importat eſſentiam, quæ eſt communis; non paternitatem, quia non eſſet notio diſtincta; non ſpirationem, quia eſt poſterior; ergo ſolam negationem. Nec valet dicere cum Aureolo in 1. diſtinct. 28. quod, ſi diceret ſolam negationem, conueniret cuicumque rei, imò etiam non enti. Opponunt enim innaſcibilitatem eſſe notionem, ac proindè importare aliquid in perſona, cui tribuitur; quod ſi non poſſit conuenire ei poſitiuè, ſaltem conueniat ei negatiuè, ita vt ſub illa ratione nulli alteri poſſit conuenire; quemadmodum infinitas, quæ licet ſit negatio, tamen ſoli Deo conuenit, ſaltem in omni genere. Reſp. negando maiorem; importat enim de materiali paternitatem, vt ſupra dictum eſt; nec indè ſequitur, quod non ſit notio diſtincta; nam de formali ipſa paternitas importat aliquid, quod formaliter non importat ipſa innaſcibilitas: vt patet ex dictis.

AXIO-

Digitized by Google

AXIOMA SECVNDVM.

Verbum in Diuinis eſt nomen Perſonale.

Ex Lib.7. de Trinitate Cap.1.

S*Icut Filius refertur ad Patrem, ita & Verbum ad id, cuius eſt Verbum.*

DVBIVM II.

An Verbum in Diuinis ſit nomen Perſonale.

FVit error Origenis in expoſitione cap.1. Euang. S. Ioan. quod Verbum in Diuinis non propriè, ſed metaphoricè ſolum vſurpari poſſet, quem poſtea ſecuti ſunt Arriani ad tuendam ſuam hæreſim, quod Filius ſit ſubſtantiæ diuerſæ à Patre. Vt propterea etiam à S.Thom. 1.par. quæſt.34. artic. 1. fons Arrianorum ſit appellatus: quibus adhæſerunt etiam Alogiani, ſic dicti, vt refert S. P. in lib. de hæreſibus hæreſi 30. *Tamquam ſine verbo, logos enim græcè Verbum dicitur, Quia Deum Verbum recipere noluerunt, Ioan: Euangelium reſpuentes, cuius nec Apocalypſim accipiunt, has videlicet Scripturas negantes eſſe ipſius.* De quo in præſenti non diſputo, cum iam in S.Eccleſ. communi conſenſu ſit receptum, quod Verbum in Sacris Scripturis non ſolum metaphoricè, ſed etiam propriè accipiatur.

Difficultas eſt inter Scholaſticos: an in ſignificatione propria accipiatur ſemper perſonaliter, an verò aliquando ſumatur etiam eſſentialiter: in qua ſunt tres ſententiæ.

Prima eſt Durandi in 1.diſtinct. 27. quæſt. 2. docentis propriè loquendo dici eſſentialiter; & ſolum ſecundum appropriationem tribui Filio; quemadmodum Amor tribuitur per appropriationem Spiritui Sancto; loquitur hic Auctor con-

conſequenter ad ſua principia de proceſſionibus Diuinarum Perſonarum, quas negat eſſe per intellectum, & voluntatem; ſed vult eſſe ex fœcunditate naturæ; vt vidimus ſupra Controuer. 1. Dubio primo.

Secunda ſententia eſt S. Thom. in 1. diſtinct. 27. quæſt. 2. artic. 2. qui aſſerit ſumi poſſe tam eſſentialiter, quam notionaliter. Sic etiam Capreolus ibi quæſt. 2. artic. 1. concl. 4. Ferrarien. noſter lib. 4. contra Gentes cap. 13. ver. Conſiderandum.

Tertia ſententia eſt: poſſe ſumi propriè loquendo ſolum perſonaliter: eam docuit S. Thom. 1. par. quæſt. 34. artic. 1. quem ſequitur Caietanus ibi, vbi etiam aduertit S. Doctorem tacitè retractare illud, quod docuerat quæſt. 4. de Verit. artic. 2. & alibi; nempè poſſe dici etiam eſſentialiter. Et eſt communior inter Thomiſtas, tam antiquos, quam recentiores: cum quibus ſentiunt Scotiſtæ diſtinct. 16. quæſt. 2. & Gab. ibi quæſt. 3. Solutioni.

Præmitto 1. iuxta S. Thom. Verbum in ſuo conceptu importare emanationem à dicente, de qua eſt dubium, an in Diuinis debeat eſſe ſecundum rem: an verò ſufficiat, vt ſit ſolum ſecundum rationem; ſi enim ſufficiat emanatio ſecundum rationem, ſaltem in ſententia DD. qui diſtinguunt in Deo rationem intellectus per modum actus primi, & intellectionis per modum actus ſecundi, poſſet Verbum eſſentialiter dici; quia, iuxta illorum principia, noſtro intelligendi modo concipitur intellectio manare ab intelligente, vt operatio; & quia quælibet perſona eſt intelligens, quælibet habebit intellectionem, & verbum cum hac virtuali diſtinctione, & emanatione. Si verò neceſſariò requiratur emanatio realis, cum hæc ſupponat, vel includat diſtinctionem realem, quæ in Diuinis non eſt, niſi inter perſonas, non poterit propriè dici Verbum, niſi perſona procedens per intellectionem.

Præmitto 2. quod quemadmodum in verbo vocali, quod eſt vox ſignificatiua alicuius, eſt duplex reſpectus, alter ad proferentem verbum, qui eſt relatio effectus ad cauſam, alter ad rem ſignificatam, quam ex intentione repræſentat; ita etiam poſſumus in mentali diſtinguere reſpectum emanationis à dicente, & reſpectum ſigni, ſeu manifeſtationis ad rem ſignificatam: primus reſpectus conuenit Verbo Diuino ratione proprietatis perſonalis, ſecundus verò ratione eſſentiæ, & intellectionis abſolutæ, quam includit; & ratione huius duplicis reſpectus po-

teſt dici verbum alterius dupliciter, primò vt dicentis, ac proferentis, & ſic dicitur Verbum ſolius Patris, ſecundo, vt manifeſtati, & ſignificati, & ſic poteſt dici Verbum & eſſentiæ, & Patris, & ſui ipſius, & Spiritus Sancti, & creaturarum.

Præmitto 3. in nobis hanc eſſe differentiam inter verbum noſtrum, & dicere, ac intelligere; quod dicere eſt prius natura verbo, & hoc prius natura, quam intelligere; nam dictio nihil eſt aliud, quam productio verbi, id eſt ſpeciei expreſſæ, ſeu qualitatis repræſentatiuæ obiecti, quæ, vt eſt in fieri, appellatur dictio, vt eſt in facto eſſe, dicitur verbum; ipſum autem verbum eſt prius natura, quam intelligere, quia verbum dicit ſolum ſpeciem ſecundum ſe, vt eſt forma quædam; intelligere verò dicit verbum, vt actuans intellectum, & faciens vitaliter intelligentem; vndè intelligere eſt effectus formalis ipſius dictionis, & ipſius verbi; nec vnquam ſeparantur in intellectu creato hæc tria; nam omnis operatio intellectus eſt dictio, vtpotè realiter ab intelligente procedens, & cum ſit actio, habet aliquem terminum, qui terminus alicui ſubiecto debet inhærere. In Diuinis non ſic ſe habent iſta; nam licet dicere, quod ſoli Patri conuenit, includat intelligere abſolutum; ipſum tamen intelligere reperitur ſine dicere; nam Filius, & Spiritus Sanctus intelligunt; neuter tamen dicit, verbum proferendo; & in ipſo Patre eſt prius intelligere, quam dicere, aut producere Verbum; illud autem eſt abſolutum, & eſſentiale, hoc verò relatiuum, & notionale, quod fundatur in illo, vt ſæpè aduertit Sanctus Pater. His poſitis.

Dico 1. Verbum in Diuinis eſſe propriè nomen perſonale ſolum. Quod ſit nomen propriè perſonale eſt de Fide ex cap. 1. Euangel. S. Ioan. *In principio erat Verbum &c.* (vbi aduertè Eraſmum perperam dixiſſe melius verti: In principio erat ſermo, quam: erat Verbum; nam licet λογος verti poſſit etiam, ſic; cum aliqui Patres antiquiores, vt S. Cyprianus, & Tertullianus vertant; ſermo; nihilominus Verbum eſt aptius ad ſignificandum ſimplicitatem Filij, quia ſignificat aliquid magis vnum, quam ſignificet ſermo). Quod verò ſit ſolùm perſonale non eſt ita certum; propterea.

Probatur 1. auctoritate S. Patris lib. 5. de Trinitate cap. 13. vbi docet Verbum dici relatiuè. Et lib. 6. cap. 2. expreſsè ait: *Et quod dictum eſt. In principio erat Verbum in Patre erat Verbum intelligitur.*

Aut,

Aut, ſi in principio ſic dictum eſt, ac ſi diceretur ante omnia; quod ſequitur: & Verbum erat apud Deum, Verbum quidem ſolus Filius accipitur; non ſimul Pater, *& Filius tanquam ambo vnum Verbum. Sic enim verbum, quomodo imago, non autem* Pater, *& Filius ſimul ambo imago, ſed Filius ſolus imago Patris, quemadmodum & Filius, non enim ambo ſimul Filius. Quod verò adiungitur: & Verbum erat apud Deum; multum eſt, vt ſic intelligatur Verbum, quod ſolus eſt Filius, erat apud Deum &c.* Sic etiam lib.7.cap.1. & 2. ex profeſſo negat Patrem eſſe verbum. Similia habet etiam S.Anſelmus in Monologio cap.54.

Probatur 2. ratione. Quia Verbum in nobis dicitur conceptus, emanans realiter ab intelligente; ſed in Deo nihil emanat realiter per intellectum, niſi Filius; ergo ſolum de Filio propriè dicitur, quod ſit Verbum.

Opponunt Aduerſarij: ſatis eſſe ad rationem Verbi, quod emanet ſecundum noſtrum modum concipiendi; vt ſenſit olim S.Thom. locis ſupracitatis; ergo, non ſolum perſonaliter; ſed etiam eſſentialiter poteſt dici Verbum in Diuinis. Reſp. in hac explicatione non teneri vſitatam acceptionem huius vocis *Verbum*; ſufficere tamen, vt qualecumque effugium, ad exte nuandam noſtræ concluſionis certitudinem: ſi enim per fidem non conſtaret de reali emanatione perſonarum, arbitraremur intellectionem Dei habere etiam rationem Verbi, & diceremus non eſſe de ratione Verbi, vt realiter emanet; ſed hoc habere in intellectu creato, propter huius limitationem; nec eſſe requirenda omnia in Verbo Diuino, quæ reperiuntur in humano, vt conſtat in ratione accidentis, informationis, & inhæſionis, quæ conueniunt verbo creato, vt patet, & Verbo Diuino nullo modo conuenire poſſunt. Nunc autem cum per reuelationem teneamus realem emanationem non dicere imperfectionem, vt dicerent informatio, & inhæſio, ſi in eo admitterentur, meritò aſſerimus, quod de ratione Verbi ſit realis emanatio, & ſic eſſe nomen perſonale, non verò eſſentiale; & hoc eo magis, quod in vſu nominum loquendum eſt cum multis, vt docuit Ariſtot. lib.2. Top. loco 5. Excluduntur verò inhæſio, & informatio à Verbo Diuino reſpectu dicentis, non ſolum quia in Deo non habent locum accidentia phyſica, ſed etiam quia hæc accidunt ipſi verbo in nobis, & non ſunt de eſſentia eius, vt patet in noſtro verbo vocali, quod non inhæret dicenti.

Digitized by Google

Dico 2. etiam Dicere eſſe actum notionalem Patris. Hoc ſequitur ex præcedenti aſſertione. Et probatur, quia dicere nihil aliud eſt, quam verbum producere, ſeu proferre; ſed eſt ſolius Patris Verbum proferre: ergo ſolius Patris eſt dicere; propterea S.Thom. quæſt......de Verit.artic....ad 4. obſeruat S. Anſelmum videri ſibi contrarium, dum Verbum attribuit ſoli Filio, & dicere ſingulis perſonis.

Contra hanc doctrinam opponitur, quod dicere non ſolum ſignificat verbum producere, ſed etiam manifeſtare aliquid; ſed manifeſtatio conuenit omnibus perſonis; ergo etiam dictio. Et confirmatur ex S.Baſil. lib.5. contra Eunom. cap. 11. vbi dicit: *Dei Verbum Filius eſt, Filij autem Verbum Spiritus Sanctus*. Ergo etiam Filius dicit: ergo dicere non eſt ſolius Patris. Hoc confirmat S.Baſil. ex illo Diu.Pauli: ad heb. cap. 1. *portans omnia verbo virtutis ſuæ*: ibi enim eſt ſermo de Filio, cui tribuitur habere verbum; ſed nihil aliud procedit à Filio, quod poſſet dici Verbum, niſi Spiritus Sanctus: ergo etiam Filio competit dicere. Reſp. manifeſtationem poſſe ſumi dupliciter, ideſt vel paſſiuè, vel actiuè, & quidem, ſi ſumatur paſſiuè, omnes perſonæ dicuntur manifeſtari Verbo Diuino producto; ſed hoc non eſt dicere: ſi verò ſumatur actiuè, ſolus Pater eſt, qui Verbo dicit, & manifeſtat, quia, vt rectè aduertit Durandus loco citato, nullus dicitur manifeſtare per verbum ab alio prolatum. Ad confirmat. Reſpondent aliqui recentiores Spiritum Sanctum dici verbum Filij, quatenus eſt manifeſtatiuus eius, quando apparuit in figura ſenſibili columbæ in Iordane ſupra Chriſtum Dominum, atque ſic figuratiuè dici Verbum eius; Verum alia videtur eſſe mens Diu. Baſilij loquitur enim ibi de Filio, vt eſt Deus, non verò, vt eſt homo: vtitur namque loco illo citato Diu. Pauli, qui eſt de Filio, vt Deus eſt. Dicendum eſt igitur cum S.Thom. quæſt.4. de Verit. artic.3. Græcos PP. conſueuiſſe indifferenter vti nomine Verbi, & imaginis, ad ſignificandam perſonam quocumque modo producentem in Diuinis; in quo tamen præferenda eſt conſuetudo Latinorum, vt magis conſona Sacræ Scripturæ. Vel etiam dic cum eodem S.D. in 1. par. quæſt. 34. artic. 2. ad 5. S. Baſilium loqui figuratè, & impropriè; & ſic etiam in textu Diu. Pauli ly Verbum figuratiuè ſumi pro imperio; quo pacto ſolemus etiam appellare verbum regis eius imperium.

Dices 1. cum Durando contra pri-

Digitized by Google

primam aſſertionem: Verbum nihil aliud importat, quàm actum intelligendi; ſed hic in Diuinis eſt eſſentialis, & communis; ergo etiam Verbum. Reſp. negando maiorem; intelligere enim dicit ſolam habitudinem ad rem intellectam; ſed Verbum dicit etiam habitudinem realem termini producti ad producentem, & conſequenter etiam diſtinctionem realem ab illo.

Dices 2. Dicere eſt correlatiuum Verbi; ſed dicere importat actum eſſentialem, non verò notionalem; ergo eſſentialiter, & non perſonaliter dicitur Verbum in Diuinis. Probatur minor ex S. Anſelmo in Monolog. cap. 58. vbi ait: *Sicut Pater eſt intelligens, ita Pater eſt dicens, Filius eſt dicens, & Spiritus Sanctus eſt dicens*: ergo dicere eſt actus communis, & eſſentialis. Præterea qualibet perſona dicens dicit ſe, & alia, tam increata, quam creata; ſed nullus actus notionalis conuenit omnibus perſonis, aut reflectit ſupra perſonam, à qua eſt, aut cadit ſupra creaturam; nam actus notionalis dicit productionem, quæ nec terminatur ad creaturas, nec ad aliam perſonam, quam ad illam, quæ per ipſum actum producitur; ergo tam dicere, quam Verbum ſemper important aliquid eſſentiale, & commune, non verò notionale, & perſonale. Reſp. negando minorem. Ad probation. S. Thom. loco citato artic. 1. ad 3. reſpondet S. Anſelmum ſumpſiſſe ibi dicere impropriè pro eo, quod eſt intelligere, vel fortè ibi ſenſit cum DD. illis, qui docent: dicere ſupra intelligere addere ſolummodo emanationem ſecundum rationem. Ad Confirmat. Reſp. dupliciter ſumi poſſe ly dici: primo pro eo, quod eſt produci, aut terminare intrinſecè dictionem; ſecundo pro eo, quod eſt manifeſtari verbo: primo modo non ſolum in Diuinis, ſed etiam in creatis dicitur tantummodo verbum; ſecundo modo dicuntur omnia, quæ verbo repræſentantur, & in hoc ſenſu, dici, importat ſolum denominationem extrinſecam.

Dices 3. ex S. Anſel. in Monolog. cap. 31. 33. & 34. Dicere Summo Spiritui nihil aliud eſt, quam cogitando intueri. Sed intueri eſt commune; ergo etiam dicere. Reſp. primo ex S. Thom. loco citato artic. 1. ad ſecundum. S. Anſelmum ibi accipere cogitationem impropriè pro contemplatione. Secundo Reſp. ſumi ibi intueri pro intellectione, vt terminata ad Verbum, quod concipit.

AXIO-

AXIOMA TERTIVM.

Verbum Diuinum eſt expreſſiuum eorum omnium, quæ nouit Pater.

Ex Lib. 15. de Trinitate Cap. 14.

VErbum Dei Patris vnigenitus Dei Filius, per omnia Patri ſimilis, & æqualis, Deus de Deo. lumen de lumine, ſapientia de ſapientia, eſſentia de eſſentia, eſt hoc omninò, quod Pater, non tamen Pater, quia iſte Filius, ille Pater. Ac per hoc nouit omnia, quæ nouit Pater, ſed ei noſſe de Patre eſt, ſicut eſſe. Noſſe enim, & eſſe illi vnum eſt. Et ideò Patri ſicut eſſe non eſt à Filio, ita nec noſſe. Proindè, tanquam ſe ipſum dicens, Pater genuit Verbum ſibi æquale per omnia: non enim ſe ipſum integrè, perfectèque dixiſſet, ſi aliquid minus, aut amplius eſſet in eius Verbo, quam in ipſo. Ibi ſummè illud agnoſcitur, eſt eſt, non non: Et ideò Verbum hoc Veritas eſt, quoniam quidquid in ea ſcientia, de qua genitum eſt, & in ipſo eſt. Quod autem in ea non eſt, nec in ipſo eſt. Et falſum habere aliquid hoc Verbum nunquam poteſt, quia immutabiliter ſic ſe habet, vt ſe habet de quo eſt.

DVBIVM

DVBIVM III.

Vtrum Verbum procedat ex cognitione omnium Perſonarum, & creaturarum.

Valdè celebris, & controuerſa difficultas hæc eſt inter Theologos. An Filius, quatenus Verbum eſt, non ſolum ad Patrem intelligentem habeat reſpectum, vt docuit S.P lib.7. de Trinitate cap.3. ſed etiam ad omnia, quæ Pater intelligit; atque adeò etiam ad creaturas. Quod idem eſt, ac quærere: Vtrum proceſſerit Verbum Diuinum ex cognitione omnium, quæ Pater intelligit; ac proindè etiam ad ea omnia reſpectum habeat, tamquam repræſentans ea, modo intelligibili. Verbo enim intellectio, repræſentantur ea, quæ ſunt intellecta, & quaſi dicuntur, modo ſupra explicato. In hac quæſtione ſunt ſex celebres ſententiæ.

Prima eſt Scoti in 2.diſtinct.1. quæſt.1. artic.2. & quodlibeto 14. aſſerentis Verbum Diuinum procedere ſolum ex cognitione eſſentiæ Diuinæ; at Perſonarum non niſi concomitanter, quatenus non poſſunt ab eſſentia ſeparari (vt patet ex eodem in 1. diſtinct. 27. quæſt.3.); creaturarum verò nullo modo; diſtinguit enim duo inſtantia naturæ: primum, in quo Pater cognoſcit ſuam eſſentiam: ſecundum, in quo cognoſcit creaturas, vt obiectum ſecundarium. Et rurſus in primo inſtanti diſtinguit triplex inſtans originis. Primum, in quo Pater habet cognitionem ſuæ eſſentiæ à ſeipſo. Secundum, in quo Filius accipit eam cognitionem à Patre. Tertium, in quo Spiritus Sanctus eam cognitionem accipit à Patre, & Filio. In ſecundo inſtanti naturæ aſſignat etiam ſua inſtantia originis reſpectu creaturarum, ſed in quibus ſupponatur Verbum, iam productum in primo inſtanti naturæ; nam licet ſentiat Verbum accipere cognitionem creaturarum à Patre, cum tamen illam accipiat in ſecundo inſtanti naturæ, ſupponit iam Verbum eſſe productum in primo.

Secunda ſententia eſt Vaſquez Diſput.142. & 143. docentis Verbum procedere ex cognitione eſſentiæ, attributorum, & Patris,

tris, ac Filij; non autem Spiritus Sancti, neque creaturarum quocumque modo accipiantur. Sequitur etiam Philippus Gamachæus.

Tertia ſententia eſt Albertini tom. 2. ſuorum principiorum in prædic. ad aliquid quæſt. 14. Theolog. dubit. prima, Arrubalis, Alexandri Peſantij, & aliorum affirmantium Verbum procedere ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in Deo; nullo autem modo ex cognitione creaturarum.

Quarta ſententia eſt P. Raphaelis Auerſæ quæſt. 34. ſect. 3. & aliorum, qui docent procedere de cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in Deo, & creaturarum ſecundum eſſe poſſibile, non tamen de cognitione omnium perſonarum intuitiua, ſed abſtractiua. Huius ſententiæ meminit etiam Præpoſ. quæſt. 34. artic. 3. dub. 1.

Quinta eſt Caiet. in Comment. quæſt. 34. ad artic. 3. Zumel ibi diſput. 1. Molinæ ibidem diſput. vnica. Suarez lib. 9. cap. 4. 5. 6. & 7. Tanneri Diſput. 4. quæſt. 4. dub. 3. Amici diſput. 26. ſect. 3. 4. & 5. & aliorum; qui ſentiunt Verbum procedere ex cognitione intuitiua omnium, quæ ſunt in Deo formaliter, & de cognitione creaturarum poſſibilium, non tamen de cognitione creaturarum exiſtentium.

Sexta ſententia eſt procedere ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in Deo, & etiam omnium creaturarum, tam ſecundum eſſe poſſibile, quam ſecundum eſſe futurum, ſeu exiſtens. Hanc putò eſſe S.P. tum in Axiomate, tum alibi. S. Thom. 1. par. quæſt. 34. artic. 3. Valentiæ 1. par. quæſt. 8. punct. 2. Arriagæ, Zunigæ. His poſitis, pro ſolutione.

Præmitto 1. id, quod ſupra etiam indicaui, ipſum nempe dicere, ſeu producere Verbum ſupponere intelligere eſſentiale, & illud includere, addendo relationem producentis Verbum. Quo poſito, quæſtio in præſenti eſt, an dicere, & Verbum productum ſupponant ſolum cognitionem eſſentiæ Diuinæ, an verò etiam perſonarum, & creaturarum: ita vt ſit prius ratione noſtra Patrem intelligere prædicta, quam producere Verbum, & conſequenter prius quam Verbum ſit: an verò oriatur ſolum ex notitia eſſentiæ, vt præſuppoſita dictioni; poſterius autem ſit, quod Verbum productum repræſentet perſonas, ac creaturas, eo quod intellectio eſſentialis poſt productionem Verbi ſortiatur rationem repræſentatiui, tam perſonarum, quam creatura-

turarum; nam Scotus, non ſolum locis citatis, ſed etiam in primo diſtinct.32.quæſt.1. contendit procedere ex notitia ſolius eſſentiæ, & concomitanter perſonas ea notitia cognoſci, quia ſunt idem cum eſſentia; quia verò creaturæ ſunt obiectum ſecundarium, vult eas cognoſci in poſteriori ſigno. Aliqui recentiores in ſuis M. SS. putant hanc quæſtionem non habere locum in ſententia eorum, qui tenent intelligere eſſentiale, & dicere eſſe diuerſos actus; & mouentur ex eo, quod intellectio eſſentialis, quæ ſupponitur notionali, cum ſit vnica, & perfectiſſima, terminatur ad omne cognoſcibile, & conſequenter fieri non poſſet, quin Verbum ex omnium cognitione procederet. Hanc ſententiam veram non cenſeo, eo quod, non ſolum in horum AA. ſententia, ſed etiam, & multo magis in noſtra, intellectio eſſentialis eſt vnica, & perfectiſſima; & conſequenter eumdem locum habere arbitror apud eos, ac apud nos; niſi fortè validiori ratione fulciantur, quam adhuc apud illos non vidi; Verum quidquid ſit de hoc; certum eſt iuxta noſtra principia quæſtionem hanc habere locum. His poſitis.

Dico 1. Verbum procedere ex cognitione eſſentiæ, perſonarum, & omnium creaturarum. Probatur primo ex S.P. cum enim in axicmate dicat: *Verbum hoc veritas eſt, quoniam quidquid in ea ſcientia, de qua genitus eſt, & in ipſo eſt*; & antea dixiſſet: *Ac per hoc nouit omnia, quæ nouit Pater, ſed ei noſſe de Patre eſt, ſicut eſſe*. Manet omnem cognitionem cuiuſcumque obiecti eum accipere à Patre, & conſequenter procedere ex cognitione prædictorum obiectorum. Similia habentur in lib. de cognitione veræ vitæ cap. 14. & alibi in operibus S.P.

Probatur 2. ratione, quia Verbum procedit ex cognitione eſſentiæ, & Paternitatis, vt concedit etiam Scotus; ſed illa cognitio pro illo inſtanti, ſeu ſigno rationis terminatur neceſſariò etiam ad alia obiecta; ergo etiam ex cognitione eorum procedit. Probatur minor, quia cognitio illa eſſentiæ, quæ præcedit; non ſolum eſt intuitiua, vndè habet, vt neceſſariò cognoſcat etiam Verbum, & Spiritum Sanctum, aliàs eſſet abſtractiua, & imperfecta (cognoſcere enim Patrem intuitiuè, importat ſecum cognitionem etiam Filij, relatiua enim ſunt ſimul natura, & cognitione, quæ ſi non eſt intuitiua, neceſsè eſt vt ſit abſtractiua; quod quidem de Spiratore, & Spirato dicendum eſt; intuetur enim Pater ſe ipſum, & Filium, vt ſunt) ſed etiam eſt comprehenſiua.

Digitized by Google

Ex quo ſequitur, quod debeat etiam eſſe cognitio creaturarum quarumcumque: ergo Verbum procedit omninò ex cognitione Eſſentiæ, Perſonarum, & creaturarum. Confirmatur, quia neceſſariò procedit ex cognitione beatifica, quæ talis non eſſet in Deo, ſi non eſſet comprehenſiua; deeſſet enim illi tunc cognitio illorum obiectorum, quod eſt contra rationem Beatitudinis Dei, cui nihil deeſſe poteſt.

Probatur 3. Quia notitia actualis tantum repræſentat actu, quantum poteſt repræſentari per ſpeciem, quæ eſt illius principium, concurrens quantum poteſt; ſed eſſentia Diuina, quæ excellentiori modo præſtat id omne, quod in alijs cognitionibus creatis præſtat ſpecies impreſſa, eſt repræſentatiua omnis obiecti cognoſcibilis, vtpotè infinita, & proportionata intellectioni infinitæ; ergo omnia prædicta neceſſariò repræſentat. Hanc rationem tanti facit Arriaga Diſput. 52. ſect. 1. num. 21. vt eam ſolam habeat pro ſufficienti ad probationem huius concluſionis. Confirmatur: quia indubitatum eſt, Verbum Diuinum, quatenus includit intellectionem eſſentialem, omnia repræſentare; ſed hoc habet ex vi ſuæ proceſſionis, vt optimè arguit S. Pater in Axiomate; nam per illam communicatur ei talis intellectio: ergo &c.

Probatur 4. Quia in Deo eſt vnica ſola intellectio obiecti primarij, & ſecundarij; ſed Verbum procedit indiuiſibiliter ex cognitione illa vnica vtriuſque obiecti; ergo ex cognitione omnium prædictorum; quorum aliqua ſunt obiectum primarium, vt eſſentia, & perſonæ, alia ſunt obiectum ſecundarium, vt ſunt creaturæ. Probatur minor, quia aliàs, vel eſſet ponendum duplex Verbum, vel ſaltem admittendum, quod aliqua cognitio Patris vt ſic terminaretur ad Verbum; vtrumque eſt maximum inconueniens; ergo Verbum procedit indiuiſibiliter ex illa cognitione tam obiecti primarij, quam obiecti ſecundarij. Probatur ſequela maioris: quia vel illa cognitio, ex qua non procederet Verbum Diuinum, haberet aliquem terminum, ſicut habet alia, vel non; ſi haberet, hoc eſſet aliud Verbum; ſi non haberet, iam daretur aliqua cognitio Patris vt ſic, quæ non terminaretur ad Verbum; & ſic eſſet falſum quod docent SS. PP. ideſt Verbum procedere per cognitionem, qua Pater cognoſcit omnia.

Dico 2. Verbum Diuinum procedere ex cognitione intuitiua non ſolum eſſentiæ, ac Paternitatis, ſed etiam Verbi, & Spiritus Sancti,

Digitized by Google

ctì, & creaturarum omnium exiſtentium pro aliqua differentia temporis. Hæc aſſertio eſt contra illos DD. quos ſupra retuli, dicentes procedere ſolum ex abſtractiua quorumdam ex enumeratis obiectis, qui mouentur ſolum ex eo; quod cognitio intuitiua ſit rei exiſtentis vt ſic, & in eo ſigno rationis, quo Verbum procedit, nec dum Verbum, aut Spiritus Sanctus, aut creaturæ exiſtunt. Quorum rationi infra ſatisfacio.

Probatur verò concluſio quoad perſonas Diuinas: Quia verbum procedit ex cognitione illarum clara, & quidditatiua; ſed perſonæ Diuinæ non poſſunt cognoſci quidditatiuè quin cognoſcantur, vt exiſtentes, quod eſt idem omninò, ac cognoſcere eas intuitiuè; ergo cognitio perſonarum, per quam producitur Verbum, eſt intuitiua. Probatur minor: quia de illarum ratione eſſentiali eſt exiſtentia, cum ſint omninò ens neceſſarium; ergo non poteſt cognoſci earum quidditas, quin eodem actu cognoſcatur earum exiſtentia. Confirmatur; quia videntur, vt ſunt idem realiter cum eſſentia, quæ neceſſariò videtur vt exiſtens.

Probatur nunc quoad creaturas: Quia iſtæ ab æterno ſunt determinatæ à Diuina voluntate ad exiſtendum, & cognoſcuntur ſecundum omnes, & ſingulas earum rationes; ergo clarè, & intuitiuè.

Dices 1. Spiritus Sanctus procedit ex amore Diuinæ eſſentiæ, & non creaturarum; ergo & Verbum ex cognitione ſolum Diuinæ eſſentiæ. Probatur antecedens procedit ex amore neceſſariò, & naturali; ſed amor creaturarum non eſt talis, ſed eſt liber; ergo non procedit ex amore earum. Conſequentia patet ex paritate; nam amor ſpiratus proportionaliter reſpondet notitiæ, ſeu ſapientiæ genitæ.

Reſpondent aliqui cum Molina, & Zumel, negando conſequentiam, & aſſignando diſparitatem in eo, quod creaturæ etiam poſſibiles non ſunt neceſſariò diligibiles, eſto ſint neceſſariò cognoſcibiles. Hanc ego reſponſionem non amplector, quia de poſſibilibus cenſeo eſſe neceſſariò diligibiles; vndè, conſequenter loquendo, nego antecedens: & dico Spiritum Sanctum procedere etiam ex dilectione creaturarum tam poſſibilium, quam futurarum, propter rationes adductas; quæ licet ſint de productione Verbi; nihilominus concludunt etiam de productione Spiritus Sancti, ſi proportionaliter ei accomodentur. Verum quia communiter Theolo-

gi docent Amorem creaturarum exiſtentium, ſeu futurarum non eſſe neceſſarium, ſed liberum, remanet explicandum, quomodo procedat ex earum amore; & hoc eo magis habet difficultatem, quod communis ſenſus eſt: in Diuinis neceſſaria, & naturalia eſſe priora liberis; vndè ſequitur vtramque productionem, vtpotè neceſſariam, debere eſſe priorem quocumque actu libero, tam intellectus, quam voluntatis.

His tamen non obſtantibus. Reſp. nullum eſſe inconueniens, quod idem amor comparatus ad obiectum neceſſarium ſit neceſſarius, & comparatus ad contingens ſit liber; cum vnico, eoque indiuiſibili actu Diuino contineatur omnis perfectio actuum creatorum; Vnde argumentum conuincit quidem creaturas non poſſe eſſe principium Spirationis, aut Generationis, eo quod principium actionis non poſſit eſſe minus neceſſarium, quam ſit actio ipſa; ſed non conuincit cognitionem, & amorem ipſarum, quæ quoad obiecta primaria ſunt neceſſaria, poſſe eſſe principia earum. Axioma illud Theologicum: quod neceſſaria ſunt priora liberis, intelligendum eſt intra eumdem ordinem, & eamdem lineam, ideſt vt inter communia, & abſoluta, communia neceſſaria ſint priora communibus liberis; & inter relatiua relationes neceſſariæ ſint priores liberis.

Inſtabis: ex dictis ſaltem ſequi tam productionem Verbi, quam productionem Spiritus Sancti eſſe partim neceſſarias, partim liberas: neceſſarias, quatenus procedunt ex cognitione, & dilectione neceſſarijs; liberas, quatenus procedunt ex eiſdem liberis. Reſp. negando illationem; nam aliud eſt, quod aliquid contingens, aut liberum ſit; aliud, quod contingenter, & liberè concurrat ad productionem. Exemplum habemus in creaturis, quæ omnes liberè productæ ſunt, & contingenter exiſtunt; non tamen omnes liberè, aut contingenter operantur, aut producunt: plures enim cauſæ neceſſariæ ſunt, & non poſſunt non operari: ſic Sol liberè eſt productus, & tamen neceſſariò illuminat: ſic ignis eſt effectus liber Dei, & tamen neceſſariò calefacit: ſic etiam cognitio, & dilectio liberæ creaturarum futurarum exiſtentes in Patre, licet quoad terminationem ſint liberæ, & potuerint ad eas non terminari; ſunt tamen, & quoad entitatem actus, neceſſariæ, & ex ſuppoſitione quod ſint, & ad eas terminentur, ita neceſſariò explicantur ad productionem perſonæ, & communicantur, vt non poſſint

non

non producere, & non communicari.

Dices 2. Si procederet ex notitia perſonarum, procederet etiam ex notitia ſui ipſius; ſed hoc non poteſt eſſe, nam ratione noſtra prius eſt quod ſit, ſeu producatur, quam quod cognoſcatur; præcedunt enim obiecta cognitionem, non verò cognitiones obiecta; ergo ex cognitione perſonarum non poteſt procedere. Reſp. negando minorem; & ad rationem in ea contentam reſpondetur: illud principium eſſe verum, quando obiecta ſunt cauſa ſcientiæ, vt in ſcientijs, & cognitionibus noſtris: ſecus verò quando ſcientiæ ſunt cauſa, vel producunt obiecta. Exemplum habemus in nobis in productione entis rationis (in ſententia eorum, qui illud concedunt), in qua hoc ens non præcedit ſui cognitionem; ſed hæc præcedit illud, & dat ei eſſe.

Dices 3. Verbum dicit relationem realem ad id, de quo gignitur, ſed non dicit relationem realem nec ad creaturas, nec ad Spiritum Sanctum, nec ad ſe ipſum; ergo non procedit ex iſtorum cognitione. Reſp. dicere relationem realem ad id, à quo procedit, vt producti ad producentem, qualem relationem non dicit ad creaturas, nec ad Spiritum Sanctum, nec ad ſe ipſum, quod aliqui explicant ex doctrina S. Thom. quæſt. 4. de Veritate, quæ eſt de Verbo, artic. 5. dicendo: Verbum dicere relationem ad id, à quo eſt, non verò ad id, ad quod eſt; & ideò non poteſt dici, quod Verbum ſit à creatura, ſed benè quod ſit Verbum de creatura. Sed quidquid ſit de hoc, nam apud me habet aliquam difficultatem. Reſp. malè inferri ex eo, quod Verbum procedat ex cognitione creaturarum, Spiritus Sancti, & ſui ipſius, etiam procedere ex creaturis &c. & hæc eſſe principium Verbi. Nam licet in nobis, qui cognitionem accipimus ab obiectis, medijs ſpeciebus, quas iſta imprimunt, cognitio ipſa ab eis pendeat aliquo modo, tamquam à principio, & conſequenter, ſublato obiecto, tollatur cognitio, hoc tamen non habet locum in Deo, qui cognoſcit omnia per ſuam eſſentiam, à cuius ſcientia, & voluntate tamquam à cauſa omnia creata pendent, & accipiunt eſſe; Vndè tantum abeſt, quod ipſæ ſint principium Verbi, aut Spiritus Sancti; vt potius è contra cum Patre vterque ſint earum cauſa. Nec mirum videri debet, quod ſcientia creaturarum ſit principium huius productionis, & non ſint principium ipſæ creaturæ, nam de hoc habemus etiam in nobis exemplum.

plum. Artifex enim, qui habet ideam alicuius artefacti v.g. Arcæ, vt exemplificat S. P. Tract. 1. in Ioan. per ſuam ſcientiam, & ideam huius arcæ eſt cauſa phyſica eius, & tamen hæc arca in hac productione non eſt cauſa, alias eſſet principium, & cauſa ſui ipſius, quod non poteſt eſſe; imò non ſolum creaturæ, ſed nec etiam filiatio, aut proceſſio Spiritus Sancti, poſſunt dici Principium productionis Verbi; nam alias Verbum procederet à ſe ipſo, & ab eo, quod accipit eſſe ab ipſo, nempè à Spiritu Sancto, & præterea eſſet imago ſui, ac etiam eiuſdem Spiritus Sancti, quæ repugnare nullus eſt, qui non videat. Nec obſtat ſi dicas phyſicè quidem nec à ſe ipſo, nec à Spiritu Sancto procedere, ſed ſolum intentionaliter vt ab obiecto intelligibili; nam in productionibus Diuinis hæc duo ſeparari non poſſunt, concurrere vt principium intentionale, & concurrere phyſicè, eo quod in Deo ipſe concurſus intentionalis ad productionem ſit ipſemet concurſus phyſicus, per actus nempè intellectus, & voluntatis. Sola itaque paternitas ſe tenet ex parte principij productiui, vel vt conditio, vel vt ratio conſtitutiua principij actiui, iuxta diuerſitatem ſententiarum; nam eſſentia Diuina non eſt principium productiuum Verbi, niſi quatenus eſt determinata per Paternitatem ad eſſe talis perſonæ, realiter à Filio diſtinctæ; illæ verò aliæ relationes non poſſunt dici principium Verbi, eſto & ipſæ cum Diuina eſſentia identificentur, quia ſolum concomitanter ſe habent ſecundum proprias rationes.

Dices 4. Antequam intelligatur Pater volens, concipitur intelligens; ſed in eo ſigno, in quo Pater eſt intelligens, eſt etiam dicens; ergo prius producit Verbum, quam cognoſcat Spiritum Sanctum. Probatur conſequentia, quia Spiritus Sanctus non poteſt cognoſci. niſi exiſtens, & in eo ſigno, in quo Pater eſt dicens, nondum exiſtit, quia nondum eſt productus; ergo prius producitur Verbum, quam cognoſcatur Spiritus Sanctus. Reſp. negando conſeq. Et ad prob. eius Reſpondeo: in eo ſigno, quo Pater eſt intelligens, ac dicens, cognoſcere etiam ſuam eſſentiam comprehenſiuè, ac proindè cognoſcere etiam Spiritum Sanctum.

Si inſtes: in eo ſigno nondum eſt volitio; ergo nondum eſt Spiritus Sanctus, qui per eam producitur. Reſp. ſecundum rem in quocumque ſigno eſt Pater, ac Verbum, eſſe etiam Spiritum Sanctum; ac proindè in quocumque cognoſcitur vna perſona, cogno-

ſcun-

ſcuntur etiam omnes, cum inter illas ſit ſolum ordo originis, ſiue à quo, vt vocant; qui ordo nihil facit ad prioritatem cognitionis Dei: noſtro verò modo concipiendi imperfectè, & inadæquatè, quia volitio ſupponit intellectionem in nobis, vndè deſumimus ſpecies ad cognoſcenda Diuina, prius concipitur Pater dicere, quam velle, quod tamen non facit, vt illa imperfectio ſit refundenda in obiecto, ſed potius tollenda, quemadmodum cum ex alijs prædicatis creaturarum conamur intelligere Diuina, ſemper vel implicitè, vel explicitè excludimus à prædicatis Diuinis illas imperfectiones, quæ ſunt in noſtro modo concipiendi, & in noſtris intellectionibus; vndè etiam in præſenti ita debemus concipere intellectionem, & volitionem Diuinam, vt excludamus ab illis omnem prioritatem; & intelligamus in eadem cognitione omnes perſonas cognoſci.

Oppones: ſaltem noſtro concipiendi modo Verbum non poteſt dici procedere ex cognitione intuitiua Spiritus Sancti, cum iſte nondum concipiatur exiſtens. Reſpon. ad cognitionem intuitiuam, non requiri, vt in quocumque ſigno rationis concipitur exiſtere cognitio, concipiatur etiam exiſtere obiectum; vt eſt clarum in ſcientia viſionis, quæ eſt ab æterno de rebus futuris in tempore; ſed ſatis eſſe, ſi quandocumque exiſtit realiter cognitio, vel exiſtat realiter obiectum, vel ſaltem ſit determinatum ad exiſtendum. Reſponderi etiam poteſt, quod licet in eo ſigno, in quo Pater apprehenditur dicens, nondum apprehendatur Spiritus Sanctus, vt exiſtens in actu exercito, quia nondum apprehenditur exercitium productionis; apprehenditur tamen in actu ſignato, ideſt vt obiectum cognitionis Patris.

Dices 5. prius eſt eſſentiam Diuinam concurrere cum Patre in ratione ſpeciei intelligibilis quam Patrem intelligendo producere Verbum; actus enim primus præſupponitur ſecundo; ſed in illo priori eſſentia Diuina non eſt repræſentatiua Verbi in actu primo; ergo neque notitia, qua producitur Verbum, eſt actu repræſentatiua eius, nihil enim plus poteſt repræſentare ſpecies expreſſa, quam impreſſa, quia hæc eſt principium illius. Minor probatur, quia Verbum in illo priori, non eſt repræſentabile, vtpotè nondum exiſtens, & non eſt aliter repræſentabile, quam vt exiſtens; ergo &c. Reſp. negando minorem. Et ad prob. reſpondetur: Verbum in illo priori eſſe repræſentabile, vt exiſtens,

quia

quia realiter exiſtit, eſtò à nobis non concipiatur vt exiſtens in actu exercito, propter imperfectionem noſtri modi concipiendi, quæ imperfectio non debet refundi, ſed debet excludi ab ipſo obiecto, vt dictum eſt.

Dices 6. cum Caiet. & Zumel Proceſſio Verbi, eſt neceſſaria, & cognitio futurorum libera, eo quod pendeat à libero Dei decreto; ergo Verbum non poteſt procedere ex hac cognitione; nam alias talis proceſſio eſset libera. Reſp. non ſequi: nam benè poteſt ſtare, quod aliquid ſit liberum, & nihilominus neceſsariò concurrat ad aliquem actum, vt ſupra probatum eſt. Vndè eſt quidem libera illa cognitio reſpectu decreti; & creaturarum, ad quas terminatur; ſed in productione Verbi neceſsariò concurrit.

Dices 7. in illo ſigno rationis, quo Verbum intelligitur procedere, nondum intelliguntur creaturæ futuræ; ergo non poteſt ex illarum cognitione procedere. Probatur antecedens: illarum futuritio ſupponit volitionem, quæ eſt poſterior productione Verbi; ergo in illo ſigno nondum intelliguntur creaturæ futuræ. Reſp. huiuſmodi creaturas eſse futuras; ſed à nobis non concipi vt ſic, niſi in actu ſignato, vt obiectum cognitionis Paternæ.

Dices 8. non poteſt procedere ex cognitione creaturarum poſſibilium; ergo multò minus ex cognitione futurarum. Probatur antecedens. Productio Verbi Diuini eſt communicatio naturæ Diuinæ; ſed hæc formaliter dicit intellectionem eſsentiæ, non verò creaturarum; ergo non poteſt procedere ex cognitione earum, neque vt futurarum, neque vt poſſibilium. Confirmatur, quia intellectio creaturarum concipitur aduenire Deitati vt ſic, tamquam perfectio ſecundaria. Reſp. negando antecedens. Ad probation. negatur minor; nam intellectio illa terminatur etiam ad creaturas. Et ſic ad Confirmationem negatur eſse concipiendam vt perfectionem ſecundariam, reſpectu poſſibilium; præterquamquod hoc, quod eſt eſse perfectionem ſecundariam, non tollit, quin, vt communis poſſit eſse prior ratione noſtra productione Verbi, & præcedere prioritate originis.

Dices 9. Verbum Diuinum eſt magis neceſsarium, quam creaturæ poſſibiles; ergo ſi per impoſſibile, non eſsent poſſibiles, adhuc Verbum procederet; ergo de facto creaturæ poſſibiles non ſunt id, de quo Verbum procedat. Reſp. primo dato illo impoſſibili

non

non futurum, nec illud Verbum, nec eum Deum, qui modo eſt &c. nos autem diſputamus de eo, qui eſt, prout eſt. Reſp. ſecundo Argumentum probare ſolum creaturas poſſibiles non eſſe principium productionis Verbi, & ſine illis fore, vt Verbum procederet; ſed non probare, ex ſuppoſitione quod ſint poſſibiles, & vt tales cognitæ, quod ex earum cognitione non procedat Verbum.

Quæres hic: An Verbum formaliter ſignificet aliquid abſolutum, an verò aliquid relatiuum. Ad hoc quæſitum S.Thom. in 1. diſtinct. 27. quæſt. 2. & in quæſt. de Veritate ſupra citata, reſpondet Verbum directè ſignificare abſolutum, & connotare reſpectiuum, quemadmodum hoc nomen ſcientia; Nam, vt dictum eſt, Verbum in Diuinis eſt nomen perſonale, & conſequenter dicendum eſt ſignificare formaliter relationem, non vt eſt relatio; ſed vt eſt conſtitutiua perſonæ procedentis per intellectionem; debet enim ſignificare aliquo modo id, per quod ab alio diſtinguitur, quod non eſt aliud, quam relatio; & ſimiliter debet ſignificare aliquid productum per intellectionem, & produci non conuenit abſoluto, ſed relatiuo: vt obſeruat S.Thom. 1. par. quæſt. 34. artic. 3. in reſp. ad 4. vbi dicit, ideam principaliter ſignificare relationem ad creaturas, Verbum verò ſignificare relationem ad dicentem; & propterea Caietanus ibi putat S.D. tacitè retractare id, quod in quæſt. 4. de Veritate artic. 5. docuerat, nempè quod Verbi nomen principaliter ſignificat abſolutum; & ait, ſequi hanc retractationem ex determinatione primi articuli, quod Verbum ſit nomen perſonale tantum &c. de Verbo enim creato verum eſt formaliter ſignificare aliquid abſolutum; nam ſignificat id, quod productum eſt ab intellectu, quod eſt quid abſolutum, ideſt qualitas expreſſiua rei; quod conuenit verbo ratione abſoluti, non verò ratione relationis ad dicentem.

Quæres vlterius: An reſpectus ad creaturas conueniat Verbo ratione proprietatis perſonalis, vt contendit Aureolus in 1. diſtinct. 27. eo quod ſpecialiter hic reſpectus Verbo conueniat; an verò ratione abſoluti, vt docent Scotus, & Capreolus ibidem, nec non & Ferarrien. lib. 4. contra Gentes cap. 13. & S.Thom. loco citato ad primum. Ratio eſt: quia hic reſpectus eſt entis manifeſtatiui, & repræſentatiui, ſeu expreſſiui, & propterea certum eſt, non conuenire Verbo ratione perſonalitatis præcisè, quia vt ſic non dicit

expreſſionem, & manifeſtationem. Et præterea, cum hic reſpectus peculiari ratione Verbo conueniat, non eſt dicendum conuenire ratione ſolius abſoluti, quod eſt commune omnibus; nam Verbum peculiariter dicitur eſſe id, quo creaturæ dicuntur; Reſpondetur ergo conuenire ratione eſſentiæ ſic modificatæ per proprietatem Filij, quia illi conuenit, vt eſt communicata à Patre per intellectum; vnde etiam conſtat Verbum dicere eamdem relationem, quam dicit Filius; ſed implicitè, & præter hanc, dicere reſpectum ad creaturas, quem non dicit Filiatio.

AXIOMA QVARTVM.

Spiritus Sanctus procedit etiam à Filio.

Ex Lib. 15. de Trinitate Cap. 26.

Sicut habet Pater in ſemetipſo, vt de illo procedat Filius, ſic dedit Filio, vt de illo procedat Spiritus Sanctus.

DVBIVM IV.

Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Filio.

De proceſſione Spiritus Sancti à Patre nulla eſt controuerſia; eſt enim, non ſolum de Fide, ſed etiam recepta ab ipſis Græcis ſchiſmaticis; & habetur expreſsè in Sacra Scriptura Io: 15. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit &c.* Tota difficultas deuoluitur ad proceſſionem eius à Filio. In qua.

Dico Spiritum Sanctum procedere etiam à Filio. In hac aſſertione conſentit tota Sancta Romana Eccleſia, eamque de fide tenet, & profitetur ita in Symbolo Nicæno. Contradicunt tamen Græci ſchiſmatici, qui tenent Spiritum Sanctum non procede-

cedere à Filio; in quo errore ſunt etiam Armeni, Rutheni, & Moſchi, vt teſtatur Valentia quæſt. 16. punct. 1.

Huius hæreſis primus Auctor dicitur fuiſſe Theodoretus in refutatione anathematiſmorum, quos D. Cyrillus refert cap. 9. quæ refutatio habetur in tom. 2. Conciliorum, & in operibus S. Cyrilli; qui poſtea in Concilio Calcedonenſi, opera S. Leonis Papæ, Eccleſiæ Sanctæ reconciliatus eſt, & in ſuam Sedem, ex qua pulſus fuerat, reſtitutus cum alijs, qui prius Neſtorio fauebant circa annum Domini 430. Creuit poſtea hic error anno Domini 767. tempore Pipini Regis, Caroli Magni Patris, coram quo in magno Concilio Gentiliaci habito diſputatum eſt inter Latinos, & Græcos de Sanctiſſima Trinitate, & de Imaginibus, & tunc nulla alia erat controuerſia de Trinitate. Sic referunt Bellarminus lib. 2. de Chriſto cap. 21. & Valentia loco citato punct. 2. ex Adone Viennenſi, Regino, Sigiberto, & Abbate Vſpergenſi in Chronico. Poſt annos deindè circiter centum, tempore Nicolai Primi, qui ſedit Anno Domini 860. Græci apertius cum Latinis de hac re contendere ceperunt; nam eo tempore Theophilactus apertè cepit negare Spiritum Sanctum ſiue à Filio, ſiue per Filium procedere, qui cap. 3. Ioan. arguit Latinos, quod credant Spiritum Sanctum ex Filio procedere, & Ioan. Diac. qui tunc vixit, lib. 4. vitæ S. Gregor. cap. 75. refert Græcos vertiſſe in græcam linguam Dialogos S. Gregor. & abraſiſſe illam particulam Filioque procedit. Baronius ad Annum 867. num. marg. 67. refert Photium Romanam Eccleſiam, & omnes occidentales hæreſis nomine ſugillaſſe, eo quod aſſererent Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere. Tandem anno Domini 1054. tempore Leonis IX. cepit perfectum ſchiſma; nam antea ſolum iacta ſemina videbantur: Imperante enim Conſtantino X. qui dicebatur Monomachus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Michael nomine, cupiens Vniuerſalis Patriarcha fieri, cuius dignitatis nomen iam diu antea ſibi vſurpauerant eius prædeceſſores, promulgauit, Romanum Pontificem, & omnes alios Latinos excommunicatos eſſe, eo quod contra Decretum Concilij Epheſini ad Symbolum aliquid addidiſſent: nam, deiecto Romano Pontifice, ad ſe primatum de iure pertinere credidit, qui primus poſt eum eſſet. Neque hoc contenti fuere Græci; ſed omnes Eccleſias Latinorum, quæ in eorum ditione erant, claudi iuſſerunt; & Impera-

lud (vt aduertunt communiter expoſitores) Diuinitatem oſtendit, ſicut etiam articulus, qui in græco textu præponitur, declarat: oſtendens autem quomodo ſit accepturus, ſubdidit: *Omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt, Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Ideſt de meo accipiet, quia eadem eſt Patris eſſentia, à quo illum dixi procedere, & mea; dixit tamen de meo, non meum, cum nihilominus totam eſſentiam accipiat, vel quia non accipit totum id, quod eſt in Filio; quia non accipit filiationem, ex qua ſimul cum eſſentia conſtituitur Filius; vel quia illud *accipiet* coniungitur cum illo *& annunciabit vobis*. Spiritus enim Sanctus non annunciauit omnia, quæ ſunt diuinitatis. Aliter explicat Theophylactus, ne cogatur fateri veritatem, dicendo: ly *de meo* eſſe intelligendum de meo Theſauro, ideſt de Patre, quia Pater eſt ille, vnde & ego accipio. Contra eſt: quia, nec etiam iuxta hanc expoſitionem ſequitur intentum Theophyl. & Græcorum: nam Theſaurus ſcientiæ, de quo accipit Spiritus Sanctus, non eſt Perſona Patris vt ſic; non enim accipit perſonalitatem Paternitatis; ſed eſt eſſentia communis Patri, & Filio: cum igitur Spiritus Sanctus à Filio accipiat ſcientiam, quæ eſt idem omninò cum eſſentia, neceſſariò ſequitur quod ab illo procedat; propterea S. P. Tract. 99. in Ioan. verſus finem tractatus, explicans illa verba huius cap. 16. *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur*. Quæ de Spiritu Sancto dicta ſunt, ait: *Si ergo & de Patre, & de Filio procedit Spiritus Sanctus, cur Filius dixit de Patre procedit? Cur putas niſi quemadmodum ad eum ſolet referre, & quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt? Vnde illud eſt, quod ait, mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me. Si igitur hic intelligitur eius doctrina, quam tamen dixit non ſuam, ſed Patris: quanto magis illic intelligendus eſt, & de ipſo procedere Spiritus Sanctus, vbi ſic ait de Patre procedit, vt non diceret de me non procedit? à quo tamen babet Filius, vt ſit Deus, eſt enim de Deo Deus, ab illo habet vtique, vt etiam de illo procedat Spiritus Sanctus: ac per hoc Spiritus Sanctus, vt etiam de Filio procedat, ſicut procedit de Patre, ab ipſo babet Patre*.

Probatur Auctoritate Conciliorum. Nam Tom. 1. Concil. cap. 14. Concilij Epheſ. habetur Epiſtola ſcripta à S. Cyrillo ad Neſtorium, in Concilio antea Alexandriæ celebrato; in qua ſunt hæc verba: *Spiritus appellatus eſt veritatis, & veri-*

veritas Chriſtus eſt; *vnde ab ipſo ſimiliter*, *ſicut ex Patre*, *procedit*. Fuit approbata hæc epiſtola & ab ipſo Concilio Epheſino, & à quarta ſynodo Act.5. & à quinta ſynodo Act.vlt. & à ſexta ſynodo Act.17. & à ſeptima ſynodo Act.7. Quinque igitur Concilia generalia apud Græcos celebrata hoc docent; & quod magis mirere, eſt in ſeptimo Concilio Generali, quod maxima è parte Græcorum fuit; vbi Actione ſeptima legitur ſymbolum cum hac additione (*Filioque*). Græci autem in Concil.Florent. ſeſſ.5. & ſeptima dicebant: hoc non haberi in ſuis codicibus. Latini tamen protulerunt exemplar antiquiſſimum, & produxerunt hyſtoricum antiquum huius veritatis teſtem; & certum eſt, ait Bellarminus, non fuiſſe morem Latinorum corrumpendi libros; ſed Græcorum.

Secundum eſt Concilium Lateranenſe ſub Innoc.III. anno Domini 1215. cui interfuerunt Græci, & conſenſerunt definitioni, quæ habetur in cap. 1. nempè Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere, vt patet ex cap.4. eiuſdem Concil.

Tertium Concilium eſt Lugdunenſe ſub Gregor.X. anno Domini 1273. vbi interfuere Græci, & omnibus conſentientibus cantatum eſt ſymbolum cum additione (*Filioque*) ter græcè, ter Latinè. Habetur hæc definitio in ſexto Decret.tit.1.cap.1.

Quartum Concilium eſt Florent. anno Domini 1438. celebratum, vbi rurſus idem poſt longiſſimas diſputationes eſt definitum, conſentientibus Græcis, & Latinis.

His Concilijs addit Bellarminus Toletanum Primum cap.21. Tertium cap.1. Octauum cap.1. & Vndecimum cap. 1. Quæ celebrata ſunt ante diſſidium Græcorum, ideſt ante annum Domini 700. Ex quibus omnibus, vt obſeruat dictus Cardinalis, apparet non ſolum ſententia Eccleſiæ, ſed etiam Græcorum pertinacia, & leuitas, qui toties in diſputationibus victi, toties ad vomitum redierunt.

Probatur 4. auctoritate PP. Latinorum, & primo Tertulliani, qui in lib. contra Praxeam ait: *Spiritum Sanctum à Patre per Filium deductum*. Cardinalis Beſſarion in fine orationis dogmaticæ dicit: Græcos non negare Spiritum Sanctum eſſe à Patre per Filium, ſed ly *per* dicunt addi ad denotandam relationem; vel ad ſignificandam conſubſtantialitatem; vel vt ſit idem, ac *cum*: pro quo citant auctoritatem cuiuſdam Poetæ. De his tribus explicationibus dicam infra, adducendo auctori-

Digitized by Google

ctoritates PP.Græcorum. Secundo probatur auctoritate S. Cypriani Mart. in ſermone de Aduentu Spiritus Sancti, vbi expreſsè ait: *Spiritus Sanctus à Patre procedens, à Patre, & Filio &c.* Tertio idem habent, & docent S.Hilarius lib.2. de Trinitate. Quarto S. Ambroſius lib.2. de Spiritu Sancto, quem Græci reijcere non poſſunt, cum in tertia Synodo Generali, apud eos celebrata, habeant illum vt Sanctum Doctorem approbatum. Quinto S.Hieronymus in Epiſt. ad Heluidium quæſt. *91.* Sexto Rufinus in explicatione Symboli. Septimo S. P. Auguſtinus Tract. 84. & *99.* in Ioan. & lib.15. de Trinitate cap. 7.26. & 27. & lib.3. contra Maximinum cap.14. Octauo S Proſper lib.1. de vita contemplatiua cap.18. Nono S.Leo I. magnus ille Pontifex, quem quarta Synodus, quæ ſexcentis, & triginta Epiſcopis conſtabat, ſummis laudibus extulit, de quo identidem repetebant: Sicut credit Leo, ita & nos credimus: hoc habet in Epiſt. ad Turilium 91. alias 93. Decimo S. Fulgentius in lib. de Fide ad Petrum cap.2. Vndecimo Idacius Clarus lib. contra Varimad. vltra medium. Duodecimo S.Boetius Seuerinus lib.1. de Trinitate cap.12. Decimotertio Hormiſda Papa in Epiſt. ad Iuſtinum Imper. cap.2. Decimoquarto S.Gregorius Magnus Papa in Symbolo, quem edidit, & recitatur in eius vita lib.2. cap.2. idem habet lib.2. Dialog. cap. vltimo & lib.1. Moral. cap. 8. Hunc Sanctum etiam Græci in ſuo Kalendario habent, & vt verè Sanctum honorant, vnde non habent eius ſententiam, vt hæreſim execrari. Decimoquinto Venerabilis Beda lib. 1. de Elementis Philoſophiæ, & in collectaneis ex S.P.N.Auguſtino ſuper Epiſt. S. Pauli, ad illum loc.epiſt. ad Galatas cap.4. Miſit Deus Spiritum Filij ſui, adducit prolixam Diſputationem S.P.Auguſtini, in qua probatur Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere. Hi omnes ante exortum ſchiſma floruerunt, & omnes vno ore hanc veritatem confitentur. Quos poſtea ſequuti ſunt omnes alij PP. Latini, qui poſt ſchiſma ſcripſerunt.

Probatur 5. auctoritate PP.Græcorum, ex quibus. Primum enumerat Bellarminus S. Gregorium Thaumaturgum in ſua confeſſione fidei diuinitus accepta, quæ extat apud S.Gregorium Nyſſenum in vita huius Sancti. Secundus eſt S. Athanaſius in Symbolo, de quo dubitari non poteſt, quin ſit opus eius, cum S. Gregorius Nazianz. in Orat. de laudibus S. Athanaſij, & S.P. Auguſtinus in expoſit. Pſal. 120. integrum verſiculum

huius

huius ſymboli adducat, citans nominatim Athanaſ. Epiſc. Alexandrinum, & in lib. 5. de Trinitate cap. 7., & Epiſt. 174. ad Paſcentium, & in Enchirid. cap. 36. & ſerm. 95. de tempore vtatur integris ſententijs huius ſymboli, tacito nomine Athanaſij, viri iam in Eccleſia notiſſimi. Nec poſſunt dicere à Latinis fuiſſe additam particulam illam *Filioque*; nam in græcis exemplaribus continetur, & in Concilio Toletano quarto cap. 1. recitatur confeſſio Fidei deſumpta ex hoc ſymbolo verbatim, & illa particula ibi continetur. Fuit autem hoc Concilium celebratum circa annum Domini 633. ac proindè ante ſchiſma Græcorum; Ipſi Græci confitentur verum eſſe, quod hæc particula eſt ipſius S. Athanaſij, vt refert Gennadius Scholanus in lib. de defenſione Concil. Florent. cap. 1. ſect. 5. & addit Græcos ſui temporis dicere ſolitos, Athanaſium fuiſſe ebrium, quando hæc ſcripſit; quod quam impiè ſit dictum, nemo Catholicus eſt, qui non videat. Hanc eamdem proceſſionem à Filio ipſemet S. Athanaſ. confitetur in Epiſt. ad Serap. & ſerm. 4. contra Arrianos. Tertius eſt S. Baſilius lib. 2. & 3. contra Eunomium: & lib. 5. cap. 8. & alibi ſæpè, dum conatur oſtendere eum non eſſe Filium Filij; quod vtique vnico verbo potuiſſet expedire, dicendo eum non procedere à Filio, ſi tenuiſſet Græcorum erroneam ſententiam. Quartus eſt Gregorius Nyſſenus tribus in locis, nempè 1. Homil 4. in Orat. Domin. ſed hunc locum Gennadius prædictus refert à Græcis ſublatum, & modo non inuenitur in exemplaribus, quæ extant. Secundo in lib. 1. in Eunomium, qui locus refertur à Cardinali Beſſarione in ſua orat. cap. 6. ſed hi libri tempore Bellarmini nondum erant in latinum verſi. Tertio in lib. ad Ablabium, quod non oporteat tres Deos dicere, circa finem libri. Quintus eſt S. Gregor. Nazianz., qui in orat. 5. quæ eſt de Spiritu Sancto confitetur hanc veritatem, & eam confirmat exemplo Adam, qui à nullo; Euæ, quæ ab Adam; & Seth, qui ab vtroque proceſſit: quibus tres Diuinas perſonas comparat, & proceſſiones duarum explicat. Sextus eſt S. Cyrillus Hieroſolymit. Catech. 17. Septimus S. Ioan. Chryſoſt. Hom. 76. in Ioan. & tom. 5. Hom. 1. de ſymb. Octauus eſt S. Epiphan. hæreſi 69. quæ eſt Arrianorum pag. 2. & in Anchor pag. 332. & infra ter, aut quater hoc docet. Nonus eſt S. Dydimus Alexandrinus lib 2. de Spiritu Sancto vltra medium. Decimus eſt S. Cyrillus Alexandrinus lib. 11.

in

in Ioan. cap. 1. & cap. 25. & lib. 12. Theſauri cap.2. & in lib. de recta fide ad Theodoſium vltra medium, & lib.5.6. & 7. de Trinitate ſimilia habet; præterquæ Cardinalis Beſſarion in ſua oratione cap.7. vbi adducit locum expoſitionis ipſius in cap.2. Ioelis. Vndecimus eſt Simeon Metaphraſtes in vita S.Dionyſij Areopagitæ. De prædicto Simeone fit honorifica mentio in Concilio Florentino, Duodecimus eſt Anaſtaſius (de quo cum magno honore fit mentio in 6. synodo.) lib.1. de rectis dogmatibus. Tertiusdecimus eſt Taraſius in Epiſt. ad Patriarch. Orientis, quæ habetur in ſeptima synodo Act. 3. Quartuſdecimus eſt Maximus, vir Doctus, & ſanctus in cap.4. Zacchar. Quintuſdecimus eſt S. Ioannes Damaſcenus lib.1. de Fide cap.18. Horum omnium PP. tam Latinorum, quam Græcorum ſententias habes apud Cardinalem Bellarminum lib.2. de Chriſto cap.24.& 25. fideliter adductas, &, vbi oportet, explicatas, poſt quas ſic concludit. Habemus igitur quindecim teſtes Latinos, & quindecim Græcos, qui ante diſſidium noſtrum exortum apertiſſimè docuerunt Spiritum ſanctum à Patre, & Filio produci, ac ſpirari, vt iam intollerabilis planè Græcorum obſtinatio videri debeat.

Aduerte hic S. Cyrillum Alexandrinum lib.11. in Ioan. cap.1.& cap. 25. & S. Ioan. Damaſcenus lib.1. de Fide cap.18. aſſerere Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, quod etiam nunc concedunt Græci, negantes nihilominus eum procedere à Filio, & dicentes, quod idem ſit *per*, ac dicere cum Filio; quod tamen non eſt de mente illorum Sanctorum, vt oſtendit Bellarminus locis citatis; nam inter cæteros, ipſe S. Ioan. Damaſcenus eum vocat imaginem Filij; cum tamen optimè ſciret de ratione imaginis eſſe, vt procedat ab eo, cuius eſt imago; quod ſi valeret gloſſa Græcorum modernorum, poſſet etiam dici procedere à Filio per Patrem, id eſt cum Patre: & præterea ly *per* in Scripturis ſemper ſignificat cauſalitatem, ſeu originem. Aliæ duæ expoſitiones Græcorum, de quibus ſupra, nempè quod ly *per* ſignificet relationem, vel conſubſtantialitatem, ſunt frigidiſſimæ, ait Bellarm. nam ſic etiam liceret dicere Filium procedere à ſpiratione per Spiritum Sanctum. Sic enim ſignificaremus relationem Patris ſpiratoris ad Spiritum Sanctum, & conſubſtantialitatem Patris, & Spiritus Sancti.

An S. Ioan. Damaſcenus ſenſerit cum Theodoreto, fuit in opinione tempore S.Tho. hic enim quæſt. 10.

Digitized by Google

de Potentia artic.4. & 1.par.quæſt. 36.artic.2. ad 3. opinatur eum ita ſenſiſſe, eo quod lib.4. cap.11. dicat: *Spiritum Sanctum per Filium eſſe dicimus, ex Filio non dicimus*. Quem tamen Caiet. in Commentario dicti Artic. excuſat ab hæreſi, eo quod iſte punctus nondum fuiſſet ab Eccleſia definitus, ac proindè eſſet liberum vnicuique tenere quam partem vellet.

Aliter eum Card. Beſſarion in Concil. Florentino in ſua oratione excuſauit, dicendo, quod ita locutus ſit contra hæreſim Eunomij, & Macedonij, qui à ſolo Filio eum procedere dicebant, & vt oſtenderet Patrem eſſe primariam originem proceſſionum Diuinarum, vſum fuiſſe locutione illa. Card. Bellarminus loco citato cap.27. dicit: Theodoretum directè negaſſe Spiritum Sanctum eſſe à Filio, vel per Filium: Damaſcenum autem negaſſe eſſe à Filio, non negare autem eſſe per Filium; & exiſtimaſſe tutius eſſe dicere per Filium, quam ex Filio, quantum ad modum loquendi, propter prædictas hæreſes Eunom. & Macedon. ſicut poſt hæreſim Neſtorij Mariam, non Chriſtiparam, licet re vera ſit Chriſtipara, ſed Deiparam, quod negabat Neſtorius, dicendum eſſe ſtatutum eſt; ac proindè ſicut, propter illos hæreticos, rectè dicebatur Spiritus Sanctus eſt à Patre per Filium, ita, propter errorem Græcorum, rectius nunc dicitur à Patre, & Filio.

Probatur 6. ratione, qua vtitur S.Thom. loco citato, quæ infra fuſius explicabitur. Quia ſi Spiritus Sanctus à Filio non procederet, nullo modo diſtingueretur realiter ab illo; ſed eſt de fide realiter eum diſtingui ab illo; ergo neceſsè eſt, vt ab illo procedat. Probatur ſequela maioris: Quia in Diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat oppoſitio relatiua, vt eſt commune Axioma Theologorum; & non poteſt ibi dari oppoſitio relatiua, niſi vbi interuenit origo vnius ab alio; nam inter Patrem, & ſpirationem actiuam, & ſimiliter inter Filium, & eamdem non datur diſtinctio realis, quia non obuiat oppoſitio relatiua, & hæc non obuiat ibi, quia non mediat origo illius ab illis duabus perſonis; ergo non admiſſa proceſſione Spiritus Sancti à Filio, non poteſt ſaluari diſtinctio realis inter eos.

Probatur 7. hac alia ratione. Concedendum eſt actum notionalem intellectus eſſe priorem actu notionali voluntatis, ſiue admittatur omnem intellectionem, & volitionem eſſentialem eſſe priores illis actibus notionalibus, ſiue non; ſed in illo priori communicatur Filio voluntas, per quam

Pa-

Pater ſpirat; ergo in alio ſigno Spiritus Sanctus procedens à Patre per voluntatem, procedit etiam à Filio habente eandem voluntatem.

Probatur 8. Diuino teſtimonio, ſeu Iudicio, quo argumento Bellarminus loco citato cap. 30. diſputationem concludit, & eſt: quod vſque ad tempus ſchiſmatis ita floruit Græcia viris Sanctis, & doctis, vt tunc omnia Concilia Generalia celebrata fuerint apud Græcos: ſed poſt illud, ideſt per annos iam 800. nullum habuerint virum Sanctum, miraculis clarum, nullum Concilium, pauciſſimos homines doctos. Imperium eorum per Turcas Chriſti hoſtes euerſum, & penitus deſtructum, & ipſi in miſerrima ſeruitute, & captiuitate degere coacti ſint. Et quod magis mirere: in ipſa ſolemnitate Spiritus Sancti, ideſt in Pentecoſte capta fuit Conſtantinopolis à Turcis; Imperator occiſus, & imperium omninò extinctum. Gerardus enim mercator in ſua Chronologia probat anno 1452. die 28. Maij indixiſſe Mahumetem exercitui ſuo vltimam oppugnationem Conſtantinopolis, & ſequenti die captam Ciuitatem: illo autem anno dies Pentecoſtes fuit 28. Maij, vt ex aureo numero, & littera Dominicali, vnde feſta mobilia indicantur, conſtat. Erat enim aureus numerus 9. & littera Dominic. A. Propterea multi comparant Eccleſiam Græcam regno Samariæ, quod ſeparauit ſe à vero templo, & tandem in captiuitatem adductum eſt; Nam Græci in Concilijs, quater, aut quinquies, & fortaſsè etiam ſæpius conuicti, & ad veram fidem conuerſi, ſemper ad ſuum vomitum ſchiſmatis redierunt: donec ad hanc miſeram captiuitatem, & ſeruitutem peruenerunt.

Obijciunt 1. Græci Auctoritatem Sacrarum Scripturarum in quibus nunquam legitur Spiritum Sanctum procedere à Filio, imò Ioan. cap. 15. expreſsè dicitur, *qui à Patre procedit*; & nulla fit mentio de Filio; quod non videtur veriſimile fuiſſe prætereundum à Chriſto Domino, cuius verba ſunt illa: ergo &c. Reſp. primo ab auctoritate negatiua nullum deſumi argumentum. Reſp. ſecundo cum S. P. Tract. 99. in Ioan. ſupra adducto: *Ibi etiam intelligendus eſt & de ipſo* (ideſt Filio) *procedere Spiritus Sanctus, vbi ſic ait de Patre procedit, vt non diceret de me non procedit &c. A quo autem habet Filius vt ſit Deus &c. Ab illo habet vtique, vt etiam de illo procedat Spiritus Sanctus*. Vide eumdem S. P. lib. 3. contra Maximinum cap 14. vbi docet non nari ſolum Patrem, quia eſt principalis auctor Spiri-

tus Sancti. Non ergo rectè concluditur à Græcis ex iſta auctoritate negatiua, cum ibi non ſit dictum à ſolo Patre; Imò S. Thomas 1. par. quæſt. 36. artic. 2. in reſpon. ad primum ait, quod etiam ſi ibi dictum fuiſſet à ſolo Patre, non tamen propterea excluderetur Filius ab hac ratione principij, eo quod quæcumque Patri tribuuntur, ſunt etiam tribuenda Filio, ijs ſolum exceptis, quæ ſpectant ad mutuam oppoſitionem originis, & è conuerſo; alioquin, vt notauit etiam S. Anſelmus lib. de proceſſione Spiritus Sancti cap. 8. cum Matthæi cap. 11. dicitur: *Nemo nouit Filium, niſi Pater*: ſenſus eſſet, quod neque Filius ſe ipſum, neque Spiritus Sanctus eum cognoſceret. Nec obſtat ſi dicas ly *nemo* idem valere, ac nullus homo; nam, vt rectè obſeruat ibi S. Anſelmus, non fuiſſet opus adducere *niſi Pater*: Imò fuiſſet ſuperfluum. Cum igitur ſpiratio actiua Patris non pertineat ad oppoſitionem cum Filio, erit communis Patri, & Filio; & hæc eſt ratio, quam Chriſtus Dominus aſſignauit Ioan. cap. 16. cum dixit: *de meo accipiet*; & cum ait: Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt.

Opponunt 2. Auctoritatem Sacrorum Conciliorum, & primo Concilij Nicæni, in quo tradita eſt fides Sanctiſſimæ Trinitatis, nulla facta mentione de tali proceſſione. Secundo in Concilio Conſtantinopolitano primo definitur, quod à ſolo Patre procedat. Tertio in Concilijs Epheſino, & Calcedonenſi determinatur ſub anathemate, ne quid addatur Concilijs Nicæno, & Conſtantinopolitano: Quod adeò religioſè ſeruatum fuit illis temporibus, vt Leo Tertius Summus Pontifex, vt refert etiam Magiſter ſententiarum diſtinct. 11. iuſſerit exarari Symbolum Conſtantinopolitanum in tabula argentea, ſine additione *Filioque*, & poni in Altari poſt corpus S. Pauli. Vixit autem iſte Pontifex circa annum Domini DCC. à Chriſto nato: quo tempore iam fuerat facta illa additio, quam Pontifex iſte, hoc ſuo facto, videtur ſuſtuliſſe; Ergo malè addiderunt Latini particulam illam Filioque. Reſp. à Concilio Nicæno fuiſſe implicitè definitum procedere etiam à Filio, quando fuit definitum procedere à Patre. Non eſt autem facta mentio de illo, quia nondum erat orta diſputatio, & hæreſis hæc de Spiritu Sancto, vtrum à Filio procederet; ſed benè, vtrum à Patre, quod negabat Eunomius; vt propterea etiam S. Baſilius Epiſt. 78. dicat ſententiam de Spiritu Sancto ſine omni diligentia poſitam fuiſſe in eo Concilio;

cilio; eo quod nondum eſſet exorta quæſtio de Spiritu Sancto, quod etiam habet S. Gregor. Nazianzen. Epiſt. 7. quæ eſt ad Cledonium. Ad prohibitionem factam in Concilio Epheſino, & Calcedonen. Reſp. prohiberi ibi ne addatur aliquid, quod reddat ſenſum contrarium, non verò additionem verborum, quæ faciunt ad declarationem eorum, quæ implicitè erant definita. Sic reſpondet etiam S. Thom. loco citato, & artic. 4. quæſt. de potentia ſupracitato. Reſponderi etiam poteſt cum Cardinali Bellarmino loco citato cap. 29. prohibitionem extendi ſolum ad Laicos, vel Clericos, aut Epiſcopos particulares, vt non obſcurè indicant illa verba decreti: *Eos autem, qui fuerint auſi, aliam fidem componere, ſiue porrigere, aut proferre his, qui volunt ad veritatis cognitionem conuerti &c. Iſtos ſiquidem Epiſcopi fuerint, aut Clerici alienos. Epiſcopos quidem ab Epiſcopatu, Clericos à Clericatu. Si verò Laici fuerint anathematizantur.* Quapropter cum additio illa *Filioque* ſit facta auctoritate Summi Pontificis in aliquo Conciliorum Latinorum, vt obſeruat etiam S. Thom. dicto artic. 4. de potentia, licet ſit incertum in quo, & poſt dictam additionem fuerint celebrata tria Concilia Generalia, videlicet ſextum, ſeptimum, & octauum, antequam Græci diſſentirent, quod tamen non poterant ignorare, cum in principio cuiuſque Concilij Gen. fuerit in vſu recitare Symbolum & profiteri fidem Catholicam; manet eos fruſtra inniti prædicto fundamento illius prohibitionis, maximè contradicente illis illo principio: Quod par in parem non habet iuriſdictionem.

Dicunt aliqui in Tertia Synodo gen. lectum fuiſſe quoddam Symbolum Neſtorianorum, & librum Theodoreti, in quo negabatur Spiritum Sanctum à Filio procedere, nec tamen hoc fuiſſe reprobatum. Reſp. primo retorquendo argumentum, nam in eodem Concilio fuit lecta epiſtola Cyrilli de Anathematiſmis Cyrilli, & Neſtorij, vt ſupra dictum eſt, vt etiam factum fuit in quarto, & quinto, in qua expreſsè dicit Spiritum Sanctum à Filio procedere, & tamen non fuit reprobata, ſed approbata. Reſp. ſecundo Theodoretum non ſolum negaſſe procedere à Filio, ſed etiam per Filium, quod tamen Græci admittunt. Reſp. tertio Concilium ſatis indicaſſe, quid ſenſerit, approbando doctrinam S. Cyrilli, & damnando Neſtorium, licet noluerit expreſsè de hoc puncto diſputare.

Ad inſtantiam de Leone Tertio. Re-

Reſpondeo hunc S.Pontificem ſic ordinaſſe, ne videretur damnare doctrinam illius Concilij, tanquam contrariam noſtro Symbolo, in quo ſolum explicatur, quod implicitè dictum erat in Nicæno, & Conſtantinopolitano; ſicut enim per Symbolum Nicænum non fuit abrogatum Apoſtolicum, & per Conſtantinopolitanum, non fuit abrogatum Nicænum, ita nec per noſtrum vllum ex illis. Alias leuiores obiectiones ex PP. habes apud Bellarminum loco citato, cum ſuis reſponſionibus.

Obijciunt 3. cum Theophylacto. Spiritus Sanctus eſt vnus; ergo ab vno principio, & vnica ſpiratione; ergo non à duobus. Reſp. quod licet etiam ſint duo ſuppoſita Diuina ſpirantia, non tamen ſunt duo principia, ſed vnicum tantum, propter vnicam virtutem ſpiratiuam; quæ ineſt in ambobus: vndè dicitur communiter, quod licet ſint duo ſpirantes, non tamen propterea ſunt duo Spiratores; ſtante regula concretorum ſubſtantialium, per quam ad eorum multiplicationem, non ſufficit multiplicitas ſubiectorum, ſeu ſuppoſitorum, ſicut ſufficit ad multiplicationem adiectiuorum, ſed præterea requiritur multiplicitas formarum, quæ hic non habetur.

Obijciunt 4. Pater in ſe habet totam vim ſpiratiuam; ergo ſufficit ad productionem; ergo fruſtra, vel ſuperfluè concurreret Filius. Confirmatur primo. Quia Pater, vt eſt prior origine Filio, habet non minus vim ſpirandi, quam generandi; nam habet ſimul volitionem, & intellectionem; ergo ſimul, & ſolus generat, & ſpirat. Confirmatur ſecundo. Pater prius origine ſpirat, quam Filius, quia prius origine habet virtutem ſpirandi; ergo in illo priori Spiritus Sanctus procedit à ſolo Patre. Reſp. negando ſecundam conſequentiam nam Pater eſt etiam ſufficiens principium creationis Mundi, & tamen, eo non obſtante, omnes tres perſonæ Mundum creant: Eſt tamen, hæc differentia; nimirum quod tres perſonæ creent vnum Mundum, eſt ſolum neceſſarium ex parte producentiam, non autem ex parte Mundi producti; neceſſè eſt enim omnes tres perſonas creare, quia habent eamdem numero potentiam creatiuam, non eſt tamen neceſsè, quod Mundus creetur à pluribus. Quod autem duæ perſonæ producant Spiritum Sanctum, hoc eſt neceſſè tam ex parte producentium, quia habent eamdem potentiam ſpiratiuam, quam ex parte Spiritus Sancti producti; eo quod niſi produceretur à duabus perſo-

nis,

Digitized by Google

nis, non diſtingueretur ab illis, & ſic non eſſent tres perſonæ. Ad primam confirmationem. Reſp. Quod licet prius origine habeat ſimul vtramque vim, nihilominus noſtro modo intelligendi prius exercet generatiuam, quam ſpiratiuam, & cum in illo priori producat Filium, neceſſariò cum ipſo Filius exercet vim ſpiratiuam. Ad confirmat. ſecundam. Reſp. ly habere prius origine ſolum denotare vim ſpirandi non communicari Patri ab alia perſona, vt communicatur Filio, non tamen hinc ſequi Patrem in aliquo ſigno rationis ſpirare, in quo non ſpirat Filius.

AXIOMA QVINTVM.

Neceſsè eſt Spiritum Sanctum procedere à Patre, & à Filio.

Ex Lib. 3. Contra Maximinum Cap. 14.

DE Patre eſt Filius, de Patre eſt Spiritus Sanctus: ſed ille genitus, iſte procedens: ideò ille Filius eſt Patris, de quo eſt genitus: iſte autem Spiritus vtriuſque, quoniam de vtroque procedit &c. Amborum eſt ergo Spiritus Sanctus, procedendo de ambobus.

DVBIVM V.

Vtrum, ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, diſtingueretur ab eo realiter.

QVæſtionem hanc inutilem exiſtimauit Gotfredus quodlibet 7. quæſt. 4. vt refert Scotus in 1. diſtinct. 11. quæſt. 2. vtpotè ex hypo-

Digitized by Google

potheſi impoſſibili procedentem; cum quo ſentit noſter Gregorius Arimin in 1.diſtinct.11. quæſt. 1. artic.2. Eorum fundamentum potiſſimum eſt ex eo, quod omnia, quæ ſunt in Deo, ſunt ſummo modo neceſſaria, & conſequenter op poſita ſunt ſummo modo impoſſibilia. Huiuſmodi eſt Spiritum Sanctum non procedere à Filio, quod eſt directè contra id, quod docet fides Catholica. Quapropter cum ex regulis dialecticorum, ex impoſſibili ſequatur quodlibet, hoc eſt quælibet pars contradictionis; conſequenter ex prædicta ſuppoſitione impoſſibili æquè benè, & rectè inferretur Spiritum Sanctum diſtingui realiter, & non diſtingui realiter à Filio: ac proindè quæſtio erit inutilis, & infructuoſa, cum ex ea nihil certi, aut determinatè ſaltem probabiliter colligi poſſit.

Scotus è contra loco citato, quem communiter ſequuntur Theologi, admodum vtilè cenſet eſſe argumentari ex ſuppoſitione aliqua impoſſibili (vt in hac quæſtione apparet). Nam ex tali hypotheſi per locum intrinſecum, & hypotheſi permanente non poteſt inferri vtraque pars contradictionis.

Doctrinam Scoti ſic explicat Vaſquez 1.par. Diſput.147. cap.1. Suppoſito, quod in homine non eſſet animal, maneret tamen in eo rationale, ſi aliquis inquireret, an maneret aliquid, quo homo ab equo diſtingui poſſet, non ſequeretur vtraque pars contradictionis; ſed dicendum eſſet manſurum nihilominus aliquid, quo homo ab equo differret, eo quod maneret illud, quo nunc formaliter ab eo diſtinguitur. Si tamen quis argueret hoc modo. Non manente animali, non poſſet manere rationale; ergo non poſſet manere ratio illa, qua differentia conſtituitur: rectè colligeret, non tamen per locum intrinſecum permanente ſuppoſitione, ſed alia parte ſuppoſitionis ex alia deſtructa. Quæſtio autem præſens procedit hypotheſi ſemper perſeuerante, ex quo ſolum licet inferre, & hoc eſt per locum intrinſecum ex ſuppoſitione argumentari. Sic ergo in propoſito quæritur, permanente ſuppoſitione facta; nempè, quod Filius à Patre gigneretur, ſed Spiritus Sanctus à Filio non ſpiraretur, in eadem tamen natura, vt modo, procederet, perſeueraretque eadem filiatio, & ſpiratio paſſiua, an maneret aliquid, quo Filius, & Spiritus Sanctus inuicem poſſent perſonaliter diſtingui; retenta autem hypotheſi nequit vtraque pars contradictionis inferri, vt in curſu diſputationis patebit. Eſt autem

tem

Digitized by Google

tem vtilis admodum hic modus diſputandi, & arguendi, vt intelligamus, quæ ſit formalis ratio, & cauſa neceſſaria diſtinctionis inter Filium, & Spiritum Sanctum: vtrum ſpiratio actiua, an filiatio. Nam ſi Spiritus Sanctus non procedens à Filio, ab eo non diſtingueretur, ſequitur neceſſariam rationem diſtinctionis in Filio nunc eſſe ſpirationem; ſi verò adhuc diſtingueretur, ſequitur aliam eſſe rationem diſtinctionis, ablata enim cauſa diſtinctionis, aufertur per locum intrinſecum diſtinctio. Porrò autem, cum hæc ſuppoſitio, quam Latini impoſſibilem eſſe dicunt, Græcis neceſſaria videatur, non erit inutilis diſputatio, ſi ex illa contra ipſos probemus Filium non poſſe diſtingui à Spiritu Sancto; Quod cum Græci aſſerere meritò refugiant, cogentur neceſſariò concedere proceſſionem Spiritus Sancti à Filio; nam ſi ex eorum ſuppoſitione deducemus abſurdum, & impoſſibile ad Trinitatem, maniſeſtè oſtendemus eam eſſe abſurdam, & impoſſibilem. Hic etiam modus arguendi in rebus alijs creatis vtiliſſimus eſſe ſolet Methaphyſicis, & Logicis, vt oſtendant rationem formalem eius, de quo diſputant; quando enim, circumſcripto quocumque alio, & aliqua ratione ſolum manente, ſequeretur effectus, & ablata tolleretur; abſque dubio eſt ea ratio formalis illius. His poſitis. Tres ſunt in hac quæſtione celebriores Theologorum ſententiæ.

Prima Scoti loco ſupracitato, cum quo ſentiunt Ocam' in 1.diſtinct.11.quæſt.2.Gabriel ibid.Henricus Quodlibet 5.quæſt.9.& alij, qui volunt, data prædicta hypotheſi, fore vt adhuc diſtingueretur realiter.

Secunda eſt ſententia quorumdam modernorum, qui diſtinguunt de ſpiratione in actu ſecundo, & in actu primo; docentque contra Scotum, ſublata ſpiratione, omninò, & ſimpliciter à Filio tolli etiam diſtinctionem, ſed ſublata ſolum actuali, & manente potentiali, volunt adhuc fore vt diſtingueretur ſpiratiuum à ſpirabili, & hoc dicunt non negari à S. Thoma, ſed non fuiſſe ſub his terminis propoſitam quæſtionem.

Tertia ſententia eſt S. Thom 1.par. quæſt. 36. artic. 2. Alenſis 1.par. quæſt.42. memb 4. Alberti in 1. diſtinct. 11. S. Bonauenturæ Duran. Richard. Gregor. ibid. & communior: ex data ſcilicet hypotheſi nullam fore diſtinctionem realem inter Filium, & Spiritum Sanctum.

Præmitto 1. ſolutioni: hic fieri quæſtionem de diſtinctione enti-

Digitized by Google

titatiua, & reali, quæ eſt inter rem, & rem; non verò de formali, & quaſi ſpecifica emanationum, vel terminorum, quæ ſtare poteſt ſimul cum identitate perſonæ. Sicut enim ſpiratio actiua, & paternitas in prima Perſona ſunt rationes ſpecificæ, & formaliter diuerſæ, ſe compatientes in eodem ſuppoſito; ſic nemo dubitat, fore diuerſam rationem generationis paſſiuæ, & proceſſionis, ſeu ſpirationis paſſiuæ, etſi nulla eſſet inter has oppoſitio, ſe compatientes in eadem perſona diuerſo modo conſiderata.

Præmitto 2. non eſſe ſenſum huius hypotheſis: An ſtante Filio, & Spiritu Sancto eo modo, quo nunc, cum eiſdem conſtitutiuis, relationibus, reſpectibus &c. diſtingueretur Spiritus Sanctus, ſi non procederet; certum eſt enim tali pacto diſtingui; quia nunc de facto diſtinguuntur, & eſſet in hoc ſenſu hypotheſis inutilis, quia ſupponeretur, quod eſſet probandum; & poſſet ſequi ex illa, ſic intellecta, vtraque pars contradictionis; id eſt quod diſtingueretur, quia nunc de facto eſt diſtinctus realiter à Filio, & ſic ſupponeretur permanere; & quod non diſtingueretur, ſi diſtinctio eſt propter originem, eo quod hæc eſt hypotheſis, ſi non procederet. (In hoc ſenſu arbitrantur aliqui Gotfredum, & Ariminen. dixiſſe eſſe hypotheſim, & quæſtionem inutilem, & ſuperfluam). Senſus ergo eſt: an ſumendo Filium, & Spiritum Sanctum vt ſic, abſque ijs, quæ conueniunt ei ratione originis, quam habet Spiritus Sanctus à Filio; id eſt ſumendo Filium abſque ſpiratione actiua, & ſumendo Spiritum Sanctum abſque relatione ſpirati ad Filium: an adhuc Spiritus Sanctus diſtingueretur realiter à Filio, ſi ab eo non procederet, ita vt nunc etiam ratio formalis diſtinctionis realis non ſit origo, eo quod ipſa ablata, poſſet ſalua manere prædicta diſtinctio. In hoc ſenſu.

Dico 1. ex illa hypotheſi data neceſſariò ſequi, quod Spiritus Sanctus non diſtingueretur realiter à Filio.

Cardinalis Caiet. 1. par. in Comment. artic. 2. quæſt. 26. probat hanc aſſertionem hoc argumento. Sicut ſe habet forma ad aliquid conſtituendum, ita ſe habet ad illud diſtinguendum ab alijs; cum hac tamen differentia, quod forma abſoluta cum conſtituat rem in ſe, & non in ordine ad aliud, ita diſtinguit illam ſecundum ſe, & conſequenter ab omnibus alijs: forma verò relatiua, cum conſtituat ſubiectum in ordine ad aliud correlatiuum, ſolum habet diſtinguere illud à ſuo correlatiuo; alias enim

enim ſe haberet in plus diſtinguendo, quam conſtituendo; ſed relatio non poteſt diſtinguere à correlatiuo, ſi non intercedat oppoſitio relatiua, quæ in Diuinis non poteſt eſſe, niſi ratione originis; ergo hac ſublata nulla erit ibi diſtinctio. Sed contra eſt, quia, vel Caietanus loquitur de diſtinctione formali relationis, vel de reali: ſi de formali, præterquamquod eſſet impertinens reſponſio, eſſet etiam falſum, quod ſolum formaliter diſtinguat à correlatiuo; nam relatio vt relatio diſtinguit formaliter ſubiectum à quocumque alio prædicamento, & relatio talis, vt eſt Paternitas, à qualibet alia rè: ſi loquatur de diſtinctione reali, poteſt relatio diſtinguere realiter, non ſolum ab oppoſita relatione, ſed etiam à diſparata incompoſſibili, & talem contendit Scotus eſſe relationem ſpirati, & geniti, eo quod non poſſint in eamdem perſonam conuenire. Aliter ergo probanda eſt.

Probatur igitur 1. ex illis Concilijs, & PP. quos adduxi Controuerſia præcedenti in Dub. Axiomatis, à quibus docetur perſonas diſtingui per relationes originis; nam ex dicta hypotheſi nulla eſſet huiuſmodi relatio; ergo nulla realis diſtinctio.

Probatur 2. ex illo axiomate S. Anſelmi, communiter recepto: In Diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat oppoſitio relatiua; ſed in data ſuppoſitione nulla eſſet oppoſitio relatiua; ergo eſſent vnum, & idem Filius cum Spiritu Sancto, & conſequenter nulla diſtinctio realis. Aliqui Recentiores tanti faciunt in ſuis M. SS. prædictas auctoritates, & hanc rationem, vt ſententiam Scoti appellent temerariam, vel periculoſam; ſed falluntur, nam facilè vendicatur Scotus ab his cenſuris, ſi dicatur PP. & Concilia loqui de diſtinctione illa, quæ actu interuenit inter perſonas, non autem de eo, quod eſſet in prædicta hypotheſi: Vtrùm ſcilicet foret alia ratio diſtinctionis; propterea, dictis auctoritatibus cenſeo inſinuari quidem magis relationes originis eſſe cauſam adæquatam diſtinctionis, & illis ſublatis nullam manere diſtinctionem, ſed, & hoc, & eius oppoſitum manere intra limites probabilitatis.

Probatur 3. ratione: quia in Deo nihil eſt aliud, quam eſſentia, & relationes; ſed eſſentia non diſtinguit; ergo relationes debent diſtinguere; ſed non omnes relationes poſſunt diſtinguere; nam illæ, quæ ſunt diſparatæ, & non ſunt oppoſitæ, non diſtinguunt, vt patet in paternitate, & ſpiratione actiua, quæ

ſunt diſparatæ,& non diſtinguunt; ergo ſolæ relationes oppoſitæ diſtinguunt. ; ſed non opponuntur niſi ratione originis ; ergo ſublatis originibus, ſeu proceſſionibus nulla erit diſtinctio.

Scotus reſpondet : non requiri tantam diſtinctionem in productionibus actiuis, nec in relationibus conſequentibus ab illas, quanta requiritur in paſſiuis; eo quod ex vna parte nihil vetat idem principium per diuerſas actiones communicare ſuum eſſe; & ex alia parte repugnat eandem perſonam duplici productione accipere ſuum eſſe. Hæc ſolutio optimè procederet, ſi proceſſio paſſiua ſit à generatione paſſiua; ſed, cum ex hypotheſi nulla eſſet origo, remanet oſtendendum, cur, cum in eadem perſona Patris ſe compatiantur relationes diſparatæ, non ſe compaterentur diſparatæ in eadem perſona Filij; ſicut enim perſona Patris, quatenus generat, eſt Pater, & quatenus ſpirat eſt Spirator, ſic & altera perſona, quatenus terminaret generationem eſſet Filius, & quatenus terminaret ſpirationem eſſet Spiritus Sanctus ; nec inde ſequeretur idem bis produci ſecundum rem, ſed productionem, quæ re ipſa eſſet vna, à nobis non apprehendi vnico, ſed duplici conceptu ; vt de facto contingit in productione actiua generationis, & ſpirationis, quæ, quia non opponuntur, diſtinguuntur ſola ratione ; nec etiam ſequeretur eandem perſonam eſſe genitam, & non eſſe genitam, ſed ſolum eſſe genitam & ſpiratam. Confirmatur hæc ratio: Quia ſi relationes diſparatæ vt ſic non habent diſtinguere perſonas ; relationes verò geniti, & ſpirati hoc habent, debent id habere ex aliqua propria, & peculiari ratione ; ſed ſublata oppoſitione ſecundum originem, nulla eſt talis ratio aſſignabilis ; ergo &c.

Probatur 4. Quia in Deo ponenda eſt ſumma vnitas cum diſtinctione perſonarum ; ſed tollitur hæc ſumma vnitas, ſi ponatur perſonas diſtingui per aliud, quam ratione oppoſitionis, quæ ſola impedit, ne oppoſita ſint vnum ; ergo ratione ſolius oppoſitionis, & proceſſionis perſonæ diſtinguuntur.

Dices : paternitas, & Spiratio paſſiua non ſunt relationes oppoſitæ, ſed diſparatæ, & tamen realiter diſtinguuntur ; ſic etiam filiatio; ergo ad realem diſtinctionem earum ſufficit eſſe diſparatas, & non requiritur eas eſſe oppoſitas.

Reſpondent aliqui illas realiter diſtingui, eo quod paternitas realiter identificatur cum ſpiratione actiua oppoſita, & ſic etiam filiatio.

tio. Sed contra hanc reſponſionem ſtat primo, quod propter eandem rationem poſſet etiam dici ſpirationem actiuam diſtingui realiter à filiatione, eo quod identificatur paternitati oppoſitæ filiationi. Contra eſt ſecundo quia hoc modo etiam eſſentia diſtingueretur realiter à proceſſione, eo quod & ipſa identificatur cum ſpiratione actiua.

Reſpondent alij, diſtingui, quia ſunt in diuerſis ſuppoſitis. Sed contra eſt; quia propter hoc Scotus contendit poſſe eſſe relationes diſparatas in diuerſis perſonis, abſque oppoſitione.

Melior reſponſio videtur eſſe eorum; qui dicunt: proceſſionem Spiritus Sancti opponi paternitati, & filiationi ſecundum originem: omne enim relatiuum opponitur non ſolum ſuo correlatiuo, ſed etiam termino, ad quem refertur; qui terminus in creatis ſimpliciter conſideratus vt plurimum eſt quid abſolutum; in Diuinis verò perſonis, quæ conſtituuntur relationibus, eſt ſemper relatio. Dixi in creatis terminum ſimpliciter conſideratum eſſe vt plurimum quid abſolutum, eo quod in ſententia, quam ſequor, licet omnis relatio ſit mutua, non tamen propterea habet pro termino formaliter aliam relationem, ſed abſolutum illud, in quo fundatur correlatio; in præſenti verò cum terminus, quem reſpicit ſpiratio paſſiua, ſint Pater, & Filius ratione paternitatis, & filiationis, in quibus fundatur relatio ſpirationis actiuæ, neceſſe eſt vt contradiſtinguantur ab illa, ratione terminationis, quod non haberet filiatio in data hypotheſi, eo quod non reſpiceret, nec reſpiceretur ab ipſa proceſſione vt terminus.

Dico 2. Sublata origine actuali Spiritus Sancti à Filio, non manere vllam rationem diſtinctionis realis inter ipſos. Hæc aſſertio eſt contra A. A. ſecundæ ſententiæ. Probatur primo. Quia SS. PP. abſolutè docent perſonas diſtingui per relationes originis; ſed relationes, quæ de facto diſtinguunt, ſunt relationes, quæ conſequuntur actualem productionem, non verò poſſibilem; ergo ſublata actuali non manet diſtinctio. Adde, quod ſicut in noſtra ſententia, non poteſt diſtingui in intellectione, & volitione Diuina actus primus, & actus ſecundus, propter ibi dicta; ita nec etiam in productionibus Diuinarum perſonarum, niſi quoad vocem, eo quod nos non poſſumus Diuina concipere, niſi per conceptus creaturarum, in quibus hæc duo diſtinguuntur, & conſequenter nec etiam ea nominare, niſi vocibus, quibus

iſta

iſta exprimimus: de cætero cum ibi ſit ſumma actualitas, & neceſſitas eſſendi, & producendi, quanto magis excludimus per actus reflexos huiuſmodi potentialitates à Diuinis perfectionibus, & productionibus, eo perfectius, & verius illa attingimus.

Probatur 2. Quia cum dicitur Spiritus Sanctus, vt ſpirabilis à Filio, diſtinguitur realiter ab illo, vel ſumitur Spiritus Sanctus, vt perſona actu exiſtens à Patre, vel ſecundum eſſe obiectiuum; ſi ſecundo modo, non eſt ens, & non poteſt realiter poſitiuè diſtingui à Filio; ſi primo modo, vel ex hoc præcisè, quod à Patre ſupponitur habere eſſe, ſupponitur eſſe perſona diſtincta à Filio, vel non diſtincta; ſi primum, ergo de facto non diſtinguitur per actualem originem à Filio; ſi ſecundum, ergo non manet in Filio potentia ſpiratiua; nam hæc neceſſariò requirit diſtinctionem à producibili, alioquin poſſet idem producere ſe ipſum. Quapropter, licet de facto propter actualem originem præſcindatur in multorum ſententia conceptus ſpiratiui, & ſpirantis; ſublata tamen per intellectum ſpiratione actuali, eſſet etiam tollenda potentia ſpirandi; nam hæc requirit diſtinctionem productiui à producibili, quæ diſtinctio non poteſt eſſe ſine actuali productione. Ex quo apparet nunc eſſe quidem duplicem rationem diſtinctionis in Filio, ipſam videlicet filiationem, quatenus conſtituit terminum proceſſionis, ac principium ſpiratiuum; & ipſam relationem Spiratoris; ſed hac ſublata, quia Filius nec eſſet terminus, nec principium ſpiratiuum; omninò ſublatum iri fundamentum diſtinctionis realis.

Dices 1. cum Scoto: in ea hypotheſi adhuc Filius conſtitueretur per filiationem perſona incommunicabilis; ergo adhuc eſſet diſtinctus à quocumque alio. Confirmatur primo. Quia per illud res à quocumque alio diſtinguitur, per quod conſtituitur in ſuo eſſe, ſed Filius conſtituitur ſecunda perſona, non per ſpirationem actiuam, ſed per filiationem; ergo &c. Confirmatur ſecundo. Quia in Cap. *Firmiter* definitur Perſonas Diuinas conſtitui proprietatibus perſonalibus; ſed ſublata ſpiratione actiua, adhuc manerent proprietates perſonales ſecundæ, & tertiæ perſonæ, filiatio nempè, & proceſſio; ergo adhuc manerent perſonæ diſtinctæ. Reſp. conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, nam data illa hypotheſi Spiritus Sanctus non eſſet alius à Filio. Ad primam Confirmationem reſpondent aliqui, limitando illud axioma ad ſolum conſtitutiuum

tiuum abſolutum, & negando illud de conſtitutiuo relatiuo; ſed hoc videtur gratis excogitatum ad effugiendam difficultatem; nam cum hoc eſſe diſtinctum ab alio nihil aliud ſit, quam hoc non eſſe illud, & omnis negatio fundetur in aliqua affirmatione, hanc rem non eſſe aliam non poteſt fundari, niſi in hoc, quod hæc res eſt talis entitas, & illa talis, & ſic non niſi in conſtitutiuo cuiuſque rei. Nam vt rectè obſeruat Angelicus Doctor quæſt. 10. de potentia artic. 5. oppoſitio ſecundum affirmationem, & negationem conſequitur diſtinctionem rei, non illam cauſat; & ideò hoc non eſt illud, quia vtrumque habet propriam entitatem. Reſp. igitur negando conſequentiam. Nam de facto Filius diſtinguitur quidem à Spiritu Sancto etiam per filiationem, cum per illam conſtituatur etiam terminus proceſſionis, & principij; ſed in facta ſuppoſitione Spiritus Sanctus non haberet per quid ab illo diſtingueretur; & eadem perſona conciperetur duobus conceptibus inadæquatis, filiationis; & ſpirationis paſſiuæ; quemadmodum modo concipitur duobus etiam inadæquatis, generationis ſcilicet; & ſpirationis actiuæ. Ad ſecundam Confirmation. Reſp. Concilium loqui de diſtinctione vt eſt de facto, non verò ex hypotheſi.

Dices 2. ſi Spiritus Sanctus procederet à Filio, & non à Patre, adhuc realiter diſtingueretur à Patre; ergo, etiam ſi à ſolo Patre procederet, diſtingueretur adhuc à Filio. Conſequentia patet, quia ſi ſemel admittitur diſtinctio realis, ſine oppoſitione relatiua, eſt ſemper admittenda. Antecedens probatur, quia alias idem eſſet Pater, & Spiritus Sanctus, & ſic Pater à Filio produceretur. Reſpondent plures recentiores huic argumento, negando antecedens; volunt enim eſſe parem rationem vtriuſque. Ad id, quod infertur, fore vt Pater à Filio procederet, concedunt ſequi, & dicunt non eſſe mirum, quod ex vno impoſſibili ſequatur aliud. Verum ſi liceret hoc effugio vti, potuiſſemus ab initio hanc quæſtionem prætermittere: Hoc enim eſt id, quod intendebant Gotifredus, & noſter Ariminen. Ex impoſſibili ſcilicet ſequi aliud, ſeu quodlibet. Cum igitur pro fundamento huius difficultatis ponatur non ſequi ex quocumque impoſſibile aliud; ſed ſolum ex illo, quod includit incompoſſibilia, aliter reſpondendum eſt; negando ſcilicet conſequentiam; ſi enim à ſolo Filio procederet, cum Filius ſit à Patre, ſaltem mediatè ab eo procederet; & ſic cum illo haberet op-

oppoſitionem mediatam, vt habet Nepos cum Auo; ſi verò à ſolo Patre procederet, nec mediatè, nec immediatè opponeretur Filio.

Dices 3. Adhuc in facta ſuppoſitione ſpiratio eſſet diuerſa productio à generatione, & illa poſterior, ſed per generationem produceretur perſona Filij; ergo per ſpirationem produceretur alia perſona. Conſequentia probatur dupliciter: primo, quia non eſſet minoris virtutis vna productio, quam altera; ſecundo, quia non poſſet vna perſona, producta per generationem, iterum produci per aliam productionem. Reſp. negando maiorem, & conſequentiam, cum ſuis confirmationibus. Tunc enim proceſſio paſſiua eſſet vna realiter cum generatione, ſicuti eſt nunc ſpiratio actiua; ac proindè conciperetur inadæquatè ſub conceptu generationis, & ſpirationis paſſiuæ; & ſic non eſſet minoris virtutis vna, quam alia, eſſet enim realiter eadem; nec ſequeretur vnam perſonam bis produci, ſed ſemel tantum vnica productione.

Dices 4. hanc eſſe expreſſam ſententiam Sancti Anſelmi: nam in lib. de proceſſione Spiritus Sancti cap. 4. vbi, cum dixiſſet Filium eſſe alium à Spiritu Sancto, quia ille de Patre naſcendo eſt, hic verò procedendo; ſubdidit: *Nam ſi per aliud non eſſent plures Filius à Spiritu Sancto, per hoc ſolum eſſent diuerſi*. Ergo &c. Reſpondet S. Thom. loco citato quæſtione de potentia: S. Anſelmum loqui diſputatiuè, non definitiuè; & 1. par. quæſt. 36. artic. 2. in reſp. ad ſeptimum, cum in argumento ſibi obiecisset hanc eamdem Auctoritatem, reſpondet, concedendo Filium à Spiritu Sancto differre quidem ex diuerſo modo productionis, vt docet ibi Sanctus Anſelmus; ſed vlterius vult hanc diuerſitatem non fore, ſi à Filio non procederet. Verum contra primam reſponſionem ſtat, quod S. Anſelmus ibi abſolutè loqui videtur, & ex prima ſententia, vt indicat contextus ipſe; nam ſoluens ibi dubitationem, quare Filius, & Spiritus ſanctus, cum ſint vnus Deus, non procedat vterque vt genitus; reſpondet eſſe diuerſos, propter adductam rationem; & talem eſſe huiuſmodi diuerſitatem, vt ſi non diuerſificarentur per aliud, illa ſola ratio eſſet ſufficiens. Contra ſecundam reſponſionem ſtat, quod Sanctus Anſelmus ibi decernit fore diuerſas origines ſolum ex principijs, in quibus Græci, & Latini conueniunt, antequam contra Græcos oſtendat procedere à Filio. Videtur ergo dicendum S. Anſelmum ibi inclinaſſe

naſſe in ſententiam Scoti, quod tacitè ibi indicat Angelicus Doctor; dum ſubdit non fore diuerſitatem illam, ſi à Filio non procederet. Verum Auctoritati huius Sancti opponimus torrentem PP. qui diſtinctionis realis cauſam referunt in actualem originem, vt viſum eſt in Controuerſia præcedenti, in Dubio Axiomatis, & hæc ſatis quoad Scoti ſententiam.

Dices 5. pro ſecunda ſententia: ſublata per intellectum ſpiratione actuali, non tollitur quidquid realiter eſt ſpiratio, nam alias tolleretur etiam eſſentia; ergo adhuc manet conceptus ſpiratiui; ſed hoc manente, adhuc manet ratio diſtinctionis; ergo ſublata actuali ſpiratione Filij adhuc maneret realis diſtinctio à Filio. Reſpondent aliqui: ſublata per intellectum huiuſmodi ſpiratione actuali, adhuc poſſe concipi Filium vt ſpiratiuum; ſed abſque fundamento in re, quia tolleretur diſtinctio requiſita. Hæc ratio gratis additur ab illis, nam aſſignatur pro ratione id, quod eſt in quæſtione. Melius ergo reſpondent ij, qui dicunt non eſſe fundamentum in re concipiendi Filium vt ſpiratiuum, propter ſummam ipſius actualitatem; vndè, quemadmodum dicitur in æternis eſſe idem poſſe, & eſſe, ſic etiam rectè poteſt dici, eſſe idem poſſe, & agere, quod non ſolum de identitate ſecundum rem, ſed etiam ſecundum rationem eſt intelligendum, vt dixi in Controuerſia de Scientia Dei.

Dices 6. pro eadem ſententia: Dato quod creatura à ſolo Patre produceretur adhuc diſtingueretur à Filio, & à Spiritu ſancto, quatenus ratione principij communis poſſet ab illis pendere; ergo ſi per impoſſibile ſola voluntas Patris ſpiraret, adhuc Spiritus Sanctus diſtingueretur à Filio potente ſpirare. Reſp. in dato exemplo manere adhuc ſufficientem rationem diſtinctionis realis, non in propoſito; ſed quia prædicta creatura adhuc eſſet ens eſſentialiter dependens, & Filius, & Spiritus Sanctus adhuc eſſent ens eſſentialiter independens; inter quæ eſſentialiter, & ab intrinſeco implicat identitas realis.

Digitized by Google

AXIOMA SEXTVM.

Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti.

Ex Lib. 5. de Trinitate, Cap. 14.

SI quod datur, principium habet eum, à quo datur, quia non aliundè accepit illud, quod ab ipſo procedit; fatendum eſt Patrem, & Filium principium eſſe Spiritus Sancti, non duo principia; ſed ſicut Pater, & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus creator, & vnus Dominus; ſic relatiuè ad Spiritum Sanctum vnum principium.

DVBIVM VI.

Vtrum Pater, & Filius ſint vnum principium Spiritus Sancti.

CVm Græci negarent Spiritum Sanctum à Filio procedere, ne cogerentur admittere duo principia ipſius: Concilium Lugdunenſe definiuit procedere ab vtroque, non tanquam à duobus principijs, ſed tanquam ab vno, quæ definitio habetur cap. vnico de ſumma Trinitate in ſexto. Propterea reprehenditur Ariminenſis, qui in 1. diſtinct. 12. quæſt. 1. aſſerit illam propoſitionem: Pater, & Filius ſunt vnum Principium Spiritus Sancti, non eſſe veram in rigore ſermonis, ſed ſolummodo in ſenſu intento à Concilio, hunc autem eſſe, quod Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio eodem modo, & perindè ac ſi ab vno principio procederet, cum tamen ſint propriè duo principia; quod nititur probare primo ex verbis Concilij, vbi ait: *Non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam*

Digitized by Google

ex vno; non duabus ſpirationibus, ſed vnica ſpiratione procedit. Ex quibus ille ſic arguit: Quia ſimpliciter eſt vnica ſpiratio, non addidit *tanquam*, vt prius fecerat, cum de principio loquitur: Ergo illa particula denotare voluit Concilium non eſſe propriè vnum principium. Probat ſecundo ex S. Hilario, qui lib. 1. de Trinitate non procul à fine aſſerit, quod Spiritus Sanctus à Patre, & Filio auctoribus confitendus eſt: quod ſi eſſent vnum principium, diceret à Patre, & Filio auctore. Ergo &c. Verum hæc ſententia non eſt admittenda; nam ibi Concilium damnat aſſerentes Spiritum ſanctum procedere à duobus principijs: non enim condemnaret Concilium propoſitionem, quæ in rigore ſermonis, & proprio ſignificato eſſet vera; vt definiret aliam impropriam, & in rigore falſam; nec argumenta ipſius conuincunt oppoſitum. Ad primum enim Reſp. particulam illam *tanquam* non eſſe diminuentem vnitatem principij; ſed ſolum expreſſiuam, & declaratiuam veritatis, nec fuiſſe iterum addendam, cum iam ſemel appoſita ſufficeret. De hoc habemus exemplum in Euangel. S. Ioan. cap. 1. vbi dicitur: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre &c.* vbi ly *quaſi* non diminuit, ſed explicat. Ad Auctoritatem S. Hilarij. Reſp. accipi ibi nomen Auctoris, non ſubſtantiuè, ſed adiectiuè: ſic explicat S. Thom. 1. par. quæſt. 36. artic. 4. in reſpon. ad 7. vbi etiam reijcit illam explicationem Ariminenſis, quæ videtur fuiſſe etiam Magiſtri ſententiarum: qui tamen in hoc communiter non recipitur.

Durandus in primo ſententiarum diſtinct. 11. quæſt. 3. dicit quæſtionem hanc non eſſe de re, ſed de modo loquendi; eo quod eſt certum Principium ſpirandi eſſe vnum, & Suppoſita ſpirantia duo, non tamen propterea putat Controuerſiam eſſe leuem, eo quod ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis: & perindè ſe haberet, ac ſi quæreretur: Vtrum, cum Deitas ſit in tribus perſonis propter vnitatem formæ ſignificatæ; tres perſonæ ſint dicendæ vnus Deus; an verò propter pluralitatem ſuppoſitorum tres Dij: Quemadmodum dicimus eſſe vnum Deum, propter vnitatem formæ; ſic etiam propter vnitatem virtutis ſpiratiuæ dicendæ erunt vnum principium ſpiratiuum; quo pacto dicimus etiam tres perſonas eſſe vnum principium omnium creaturarum propter vnitatem potentiæ creatiuæ.

Vt perfectè explicetur hæc difficultas, & vt perfectè ſoluatur

Digitized by Google

quæſtio, videndum eſt vndè concreta ſubſtantiua deſumant ſuam vnitatem, vel pluralitatem: De abſtractis enim nulla eſt difficultas; eo quod ſit certum eam ſumere ab vnitate, vel pluralitate formæ ſignificatæ, cum nihil aliud præter illam ſignificent; De concretis verò adiectiuis conuenit ferè inter omnes, vnitatem, & pluralitatem eorum deſumi ab vnitate, vel pluralitate ſubiecti; quidquid ſit de forma ſignificata: nam ſi in aliquo ſint plures artes, non tamen propterea ille dicetur eſſe plures artifices, ſed vnus; & ſi in tribus ſubiectis Diuinitus poneretur vnica albedo, non diceretur ea eſſe vnum album, ſed tria alba. Hinc eſt quod locutiones illæ Sancti Athanaſij in Symbolo: *Non tamen tres omnipotentes &c. nec tres æterni. Sed vnus æternus.* Exponuntur de nominibus ſubſtantiuè ſumptis, non verò adiectiuè; nam adiectiuè ſumendo, rectè poſſunt dici tres omnipotentes, tres immenſi, tres æterni &c. ideſt tres perſonæ habentes omnipotentiam, immenſitatem, æternitatem &c. Ad Concreta ergo ſubſtantiua deuoluitur tota difficultas, de quibus, licet aliqua in ſuperioribus Controuerſijs dictum ſit; nondum tamen expendi præcipuos modos explicandi DD. quos placet in præſenti afferre, & explicare.

Primus ſit ille Durandi in 1. diſtinct. 1. quæſt. 3. vbi licet approbet regulam Sancti Thomæ traditam 1. par. quæſt. 36. artic. 4. quod concreta ſubſtantiua ſumant vnitatem, & pluralitatem à forma ſignificata; negat tamen ſi vna perſona Diuina aſſumeret plures humanitates, fore vt dicerentur plures homines; aut, ſi tres perſonæ aſſumerent vnam humanitatem, fore vt dicerentur vnus homo; quod conſequenter ad prædictam regulam Sancti Thomæ erat concedendum. Fundamentum Durandi eſt, quia nominibus vtendum eſt, iuxta eorum impoſitionem; videmus autem non dici vnum hominem, niſi vnitati naturæ correſpondeat vnitas ſuppoſiti: nec dici plures homines, niſi plurificentur Naturæ, & ſuppoſita; ergo &c. Contra eſt, quod hinc ſequeretur, non dici vnum tantum, niſi vſu loquentium: propterea cum nomen Deus naturam Diuinam ſignificet; ſicut nomen homo naturam humanam; ſi illi non obſtat pluralitas ſuppoſitorum ad pluralitatem nominis, nec etiam obſtare deberet in illa hypotheſi.

Secundus modus eſt Marſilij in 3. quæſt. 2. artic. 3. & Gabriel in 3. diſtinct. 1. quæſt. 2. artic. 3. qui cenſent vnitatem, & pluralitatem in creatis

tis

tis deſumendam eſſe à ſuppoſitis, ſiue vnum plures naturas aſſumat, ſiue plura vnam. Verum vrgentur eadem difficultate; nam hoc pacto etiam dicendum eſſet, eſſe tres Deos, cum ſint ibi tria ſuppoſita; eodem enim modo, ante reuelationem Myſterij Sanctiſſimæ Trinitatis, nomen Deus ſignificabat Naturam Diuinam, ſicut homo ſignificat naturam humanam; nec enim eſt variata ſignificatio huius nominis poſt reuelationem huius Myſterij.

Tertius eſt Caietani 3.par.quæſt. 3.artic.7. ad ſecundum, & Canar. ibi, qui volunt ad pluralitatem requiri pluralitatem ſuppoſitorum, vt in adiectiuis, & prætereà etiam pluralitatem formarum, quæ in illis non requiritur; ac proindè neque ſi vna perſona duas humanitates aſſumeret, neque ſi tres perſonæ eamdem, forent plures homines; primo quidem modo defectu ſuppoſitorum: ſecundo verò defectu formarum. Fundamentum ipſorum eſt, quia S.Thom. in 1. par. quæſt.36.artic.4. ad 2. negat Patrem eſſe duo principia, licet habeat duas rationes principiandi ſubſtantiuè ſignificatas, Patris ſcilicet, & ſpiratoris. Et ex eo, quod in 3.par. loco citato docet, quod ſi vna perſona aſſumeret duas humanitates, non dicerentur duo homines; quia ex vſu loquentium non plurificatur nomen, niſi plurificatis perſonis. Sed in hac explicatione manet adhuc difficultas: Quomodo tres perſonæ ſint vnus Deus; nam ſi ad pluralitatem ſubſtantiui non ſufficit pluralitas formæ, ſed requiritur etiam pluralitas ſuppoſitorum; cur ad vnitatem ſufficiet vnitas formæ ſine vnitate ſuppoſitorum.

Quartus Modus eſt S. Thom. 1. par. quæſt.39. artic. 3. vbi tradit hanc regulam: quod in adiectiuis vnitas, vel pluralitas attenditur ſecundum ſuppoſita, in ſubſtantiuis verò ſecundum formam ſignificatam; propterea Thomiſtæ laborant in conciliando hoc loco cum ſupracitatis. Caietanus ait aſſignaſſe diſcrimen, quod ad multiplicationem ſubſtantiui non eſt ſatis multiplicatio ſuppoſitorum, vt in adiectiuis, ſed requiritur etiam multiplicatio formarum. Sed contra eſt, quia æquè de pluralitate aſſerit attendi ſecundum formam, & nunquam meminit ſuppoſitorum. Alij aliter conciliare nituntur.

Verum quidquid ſit de hoc; Cenſeo eſſe tenendam regulam, quam in dicta quæſt. 39. aſſignat propter efficaciam rationis, quam ibi adducit; videlicet, quia ſubſtantiua ſignificant formam per modum ſubſtantiæ, & per ſe ſtantis;

tis; ſubſtantia autem, ſicut per ſe habet eſſe, ſic etiam habet per ſe vnitatem, vel pluralitatem, quæ conſequuntur ad eſſe: adiectiua verò, quia ſignificant formam per modum adiacentis, & accidentis, ac innitentis alteri; & accidens, ſicut habet ſuum eſſe in ordine ad ſubiectum, ſic etiam in ordine ad illud habet vnitatem, & pluralitatem; & propterea, ſecundum vnitatem, vel pluralitatem ipſorum, habent & ipſa vel vnum, vel alterum.

Duo tamen ſunt in hac regula aduertenda. Primum eſt eſſe quædam nomina media, quæ quoad modum ſignificandi ſunt ſubſtantiua; quoad rem verò ſignificatam ſunt adiectiua, vt artifex, creator, Opifex &c. in quibus regula Doctoris Angelici deficit; nam quoad vnitatem, & pluralitatem ſequuntur ſubiectum, non formam: Si quis enim habeat duas artes, dicitur vnus artifex; fortaſſe ex eo, quia huiuſmodi nomina impoſita ſunt magis ad ſignificandum ſubiectum, vt habet formam, quam formam vt eſt in ſubiecto; Quod ſi Deus dicitur vnus artifex, & vnus Creator, licet habeat tria ſuppoſita, in quo videtur habere locum regula concreti ſubſtantiui; hoc eſt, quia Deus eſt artifex, & creator, quatenus eſt hic Deus ſubſiſtens in tribus perſonis; quemadmodum etiam ſi tres perſonæ aſſumerent vnam numero naturam, diceretur vnus artifex ratione illius, quamquam eſſent tres perſonæ.

Secundum eſt nomina ſubſtantiua eſſentialia directè, & formaliter ſignificare naturam, connotando ſuppoſita, vt adiectiua formam, connotando ſubiectum; perſonalia verò, vt Petrus, ſuppoſitum &c. formaliter & directè ſignificare perſonalitatem, connotando naturam; & cum vtraquè directè ſignificent per modum ſubſtantiæ, in Deo propriè dici tres perſonas, & vnum Deum. Quibus poſitis,

Dico proprijſſimè Patrem, & Filium eſſe vnum principium Spiritus Sancti, ac etiam vnum Spiratorem; eo quod hæc nomina ſunt concreta ſubſtantiua; poſſe tamen dici duos ſpirantes, & duos æternos propter regulam aſſignatam, & explicatam.

Dices primo, vel nomen principij in illa propoſitione ſupponit pro eſſentia, vel pro aliqua proprietate communi Patri, & Filio, vel pro perſona: non primum; eſſentia enim eſt communis etiam Spiritui Sancto; nec ſecundum, quia hæc proprietas non poſſet eſſe aliud, quam ſpiratio communis,

nis, quæ tamen eſt poſterior principio ſpirandi; ergo debet eſſe perſona; & ſic cum ſint duæ perſonæ, erunt etiam duo principia.

Reſpond. huic argumento Gabriel in 1.diſtinct.12.quæſt.1.ad 2. Nomen principij ſupponere pro conſtituto ex eſſentia, & ſpiratione, quod ſit quartum conſtitutum per intellectum; atque ita ſupponere aliter, quam cum tres perſonæ dicuntur principium creaturarum; nam tunc ſupponit pro eſſentia communi. Fundamentum Gabrielis eſt, quod principium productiuum Spiritus Sancti eſt aliquid notionale commune Patri, & Filio; non eſt autem aſſignare aliud commune. Et confirmat hoc, quia per paternitatem Pater reſpicit Filium, non verò Spiritum Sanctum, & ſic de filiatione.

Contra hanc reſponſionem opponunt aliqui, quod ſiue ſumatur ſpiratio pro actione ſpirandi, ſiue pro relatione, quæ ſequitur, ſemper eſt poſterior principio ſpirandi, eo quod relatio ſupponat actum, & actus principium agendi. Hanc oppoſitionem conantur infringere aliqui, dicendo relationem ſpiratoris aliquo modo antecedere ſe ipſam, quatenus conſtituit ſpiratiuum; vt dicunt alij de paternitate. Sed fruſtra; nam ſpiratio quocumque modo accepta ſupponit perſonam Patris, & Filij. Melius ergo deſtruitur reſponſio Gabrielis, ſi dicatur, quod intellecta perſona Patris, & Filij, conſtituta per ſuam proprietatem, ſufficienter intelligitur ſpiratio, ſecluſo quocumque alio.

Dicendum igitur nomen principij ſupponere pro eſſentia, & volitione, vt eſt determinata per relationem paternitatis, & filiationis; nam vt ſic illa eſſentia rectè concipitur vt principium ſpirandi. Ad fundamentum Gabrielis. Reſp. in principio ſpirandi diſtingui rationem formalem principiandi, quæ eſt eſſentia, & volitio communis ſecundum rem, & conditionem requiſitam, quæ eſt paternitas, & filiatio, vt præcedunt origine proceſſionem per volitionem; quæ relationes, quamuis ſecundum rem non ſint communes; tamen ratione conditionis requiſitæ ſecundum rationem conueniunt. Vtraque enim origine præcedit proceſſionem per volitionem, ac proindè principium ſpirandi partim eſt commune ſecundum rem, partim eſt commune ſecundum rationem, cum fundamento tamen in re. Ad Confirmationem Zumel, & alij reſpondent per paternitatem non conſtitui Patrem in eſſe principij

for-

formalis; ſed eam eſſe ſolum conditionem. Cui reſponſioni addendum eſt, eſſe quidem conditionem requiſitam, non tamen ſub ratione paternitatis; ſed vt conſtitutiua perſonæ prioris origine, quam proceſſio per volitionem, & idem dicendum eſt de filiatione.

Dices 2. Si principium eſt vnum propter virtutem ſpiratiuam vnam; ergo propter virtutem generatiuam, & ſpiratiuam, quæ eſt in Patre, Pater dicendus erit duo principia: & ſi propter vnitatem ſuppoſiti Pater dicitur vnum principium; Pater, & Filius propter pluralitatem dicentur plura principia. Reſpondent plures Thomiſtæ maximè ex recentioribus, S. Thomam negare, quod Pater ſit duo principia, quia ſecundum rem eſt vna ratio principiandi, poſſe tamen dici duo principia ſecundum rationem, & re vera, ſecundum regulam traditam, ſic eſſet dicendum. Sed obſtat, quod idem S.Thom. quæſt.36. artic. 4. cauſam huius refert in vnitatem ſuppoſiti; quare videtur ſentire idem, quod Caietanus 3. par. quæſt. 3. artic. 7. docet, nempè S. Thomam requirere ad pluralitatem ſubſtantiui, etiam pluralitatem ſuppoſitorum: Sed contra hoc eſt, quod idem Angelicus Doctor in 3.diſtinct.1.quæſt.1. artic.5. ad ſecundum, expreſſè dicit ſpectandam pluralitatem formæ, non verò ſuppoſitorum, & ſi Verbum aſſumpſiſſet duas naturas, quarum vna diceretur Iesvs, altera Petrus, futuros duos homines, contra quam docuit tertia parte conſequenter ad regulam traditam, & melius; nam, qui vidiſſet duas humanitates, non dubitaſſet appellare duos homines.

AXIOMA SEPTIMVM.

Spiritus Sanctus Patris, & Filij Spiritus eſt.

Ex Lib. 5. de Trinitate Cap. 11.

I*Lle Spiritus Sanctus, qui non Trinitas, ſed in Trinitate intelligitur, in eo, quod propriè dicitur Spiritus Sanctus, relatiuè*

latiuè dicitur, cum & ad Patrem, & ad Filium refertur; quia Spiritus Sanctus & Patris, & Filij Spiritus eſt; ſed ipſa relatio non apparet in hoc nomine, apparet autem cum dicitur Donum Dei.

DVBIVM VII.

Vtrum Spiritus Sanctus petat per ſe produci à duobus.

NVllus Catholicus negat Spiritum ſanctum procedere à duobus; vt ſupra viſum eſt; cum in vtroque ſit eadem vis ſpiratiua. Eſt etiam communis ſenſus Theologorum procedere neceſſariò à duobus, vt ſit tertia perſona diſtincta, quod tamen conſequenter loquendo non eſſet aſſerendum ab ijs, qui docent fore vt diſtingueretur à Filio, etiam ſi ab eo non procederet. Difficultas præſens eſt: Vtrum proceſſio iſta ita exigat ex ſua ratione eſſe à duobus ſuppoſitis, vt ſi fingamus eſſe ab vno tantum, vt in hypotheſi, de qua ſupra; tolleretur eius ratio, aut aliqua proprietas Spiritus ſancti. Hæc quæſtio non videtur eſſe diuerſa ab ea, in qua quæritur: Vtrum potentia ſpirandi per ſe exigat duo ſuppoſita; quidquid contradicat Vaſquez tom.2. primæ partis diſput. 150. cap.1. vbi ait: Certum eſſe, quod potentia ſpirandi per ſe, & neceſſariò eſt coniuncta, vel potius identificata duobus ſuppoſitis; & quæri ſolum: vtrum pluralitas ſuppoſitorum comparetur per ſe, & in quarto modo, ideſt per modum principij ad Spiritum Sanctum, dato quod per ſe ſit in duobus ſuppoſitis; nam eadem neceſſitate, qua potentia ſpirandi eſt per ſe in duobus ſuppoſitis ſecundum rem, eadem quoque Spiritus ſanctus à duobus procedit; & ſicut quæri poteſt: Vtrum Spiritus ſanctus ex vi ſuæ proceſſionis formaliter petat eſſe à duobus; quæri etiam poteſt: vtrum potentia ſpirandi vt ſic determinet ſibi duo ſuppoſita, an vnum tantum; eadem enim ratione de vtraque quæſtione iudicandum eſt. In qua duæ ſunt celebriores ſententiæ.

Digitized by Google

Prima eſt Scoti in primo diſtinct. 12. quæſt. 2. aſſerentis non requiri per ſe pluralitatem ſuppoſitorum; ſed ſolum procedere à duobus, eo quod eadem virtus ſpiratiua ſit in duobus. Hanc probabilem exiſtimat etiam Caietanus.

Secunda ſententia eſt Henrici in ſumma artic. 34. Capreoli in 1. diſtinct. 12. quæſt. 1. Caietani 1. par. ad quæſt. 36. artic. 4. Vaſquez loco citato, Suarez lib. 10. cap. 6. quos ſequuntur Ruuius, Amicus, Alarcon, Arriaga, & alij, & communiter tribuitur Sancto Thomæ, tam in 1. par. loco citato in reſponſione ad primum quam in 1. diſtinct. 11. quæſt. 1. artic. 2. ſcilicet requiri per ſe duo ſuppoſita ex parte principij. Propterea.

Dico 1. de facto Spiritum Sanctum procedere, vt amorem mutuum, & ſic à duobus. Et probatur ex S.P.N. hic in Axiomate, ac etiam lib. 6. de Trinitate cap. 5. vbi ait: *Etiam Spiritus Sanctus in eadem vnitate ſubſtantiæ, & æqualitate conſiſtit. Siue enim ſit vnitas amborum, ſiue ſanctitas, ſiue Charitas, ſiue ideo vnitas, quia Charitas, & ideo Charitas, quia ſanctitas, manifeſtum eſt quod non aliquis duorum eſt, quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligatur, generatoremque ſuum diligat, ſintque non participatione, ſed eſſentia ſua, neque dono ſuperioris alicuius, ſed ſuo proprio ſeruantes vnitatem Spiritus in vinculo pacis.*

Probatur 2. quia Spiritus Sanctus procedit per volitionem, quæ ſecundum rationem ſupponit proceſſionem per intellectionem; ſed per primam proceſſionem vis ſpiratiua Patris communicatur Filio, & ſic, prius quam procedat, ſupponitur vis ſpiratiua in duobus; ergo à duobus, vt amor mutuus eorum, procedit.

Dico 2. Spiritum Sanctum ex vi ſuæ proceſſionis formaliter, & intrinſecè poſtulare duo ſuppoſita ſpirantia. Probatur primo auctoritate S.P. in dicto Cap. 5. lib. 6. de Trinitate, vbi ait: *Spiritus ergo Sanctus commune aliquid eſt Patris, & Filij quicquid illud eſt: at ipſa communio conſubſtantialis, & coæterna* (nota ly Conſubſtantialis) proſequitur deinde S. P. *Quæ ſi Amicitia conuenienter dici poteſt, dicatur, ſed aptius dicitur charitas. Et hæc quoque ſubſtantia, quia Deus ſubſtantia, & Deus Charitas, ſicut ſcriptum eſt.* Si ergo huiuſmodi communio eſt conſubſtantialis, & ſubſtantia, profectò per ſe ei competit eſſe ab his duobus: nihil enim magis per ſe eſt, quam quod conſubſtantiale, & ſubſtantia eſt.

Pro-

Digitized by Google

Probatur 2. quia de ratione talis proceſſionis eſt procedere per modum amoris mutui; qui, ad hoc vt ſit mutuus, eſſentialiter, & per ſe requirit ad minus duos; ita vt Richardus à S. Victor. lib. 3. de Trinitate cap. 3. 7. & 11. doceat non poſſe amorem eſſe perfectum, & iucundum, niſi ſit ſaltem duorum; & cap. 16. ait nihil definiri contrarium naturæ, ſi plenitudo Sapientiæ dicatur eſſe in vna perſona tantum: in vna namque perſona plenitudo Sapientiæ eſſe poteſt; at plenitudinem amoris natura ſua exigere plura ſuppoſita, vt perfectus ſit; perfectio enim amoris in eo conſiſtit, vt mutuus ſit; ergo cum Spiritus Sanctus procedat non ſolum vt amor, ſed etiam vt amor mutuus, & perfectus, per ſe exigit duo ſuppoſita, à quibus procedat.

Probatur 3. Quia Spiritus Sanctus procedit, vt nexus Patris, & Filij; non poſſet autem hanc characteriſticam proprietatem habere, ſi ab vno tantum procederet, quod deſcripſit S. P. loco citato ſupra pro prima aſſertione, cum ait: *manifeſtum eſt, quod aliquis duorum eſt, quo vterque coniungitur, quo genitus à genitore diligatur; genitoremque ſuum diligat*; quod etiam docent alij PP. relati à Vaſquez diſput. 151. cap. 1. Ergo neceſſariò, & eſſentialiter, ac per ſe requirit produci à duabus perſonis. Quod etiam docuit S. Thom. loco citato ad primum, cum ait procedere vt vnitiuum duorum.

Dices 1. pro Scoto: Si Spiritus Sanctus poſtularet per ſe produci à duobus, vel hoc eſſet propter rationem amoris procedentis, vel quia eſt amor Diuinus; Non primum, quia ad productionem amoris non requiritur per ſe aliud, quam obiectum amabile, propoſitio talis obiecti amabilis, & voluntas; ſed hæc omnia poſſunt ſaluari in vna perſona; ergo non requiruntur neceſſariò, & per ſe duæ. Minor probatur in amore ſui ipſius, ac etiam in amore alterius non mutuo, qui ſaluatur communiter in vna ſola perſona. Secundum probatur, quia ſi conciperemus voluntatem, vt eſt in Filio non eſſe fœcundam, ſed tantum vt eſt in Patre, vt accidit in intellectu, adhuc intelligeretur ſpiratio Diuina, ac etiam eius terminus, qui eſſet Spiritus Sanctus: ergo per ſe non requiruntur duo ſuppoſita ad eius productionem ratione amoris Diuini. Confirmatur, quia nec vis ſpiratiua in alterutra perſona eſt imperfecta; nec alterutri deeſſet conditio requiſita ad ſpirationem, quæ eſt proprietas antece-

dens origine ipſam proceſſionem voluntatis. Reſp. ad maiorem: nopoſtulare per ſe produci à duobus; non ex eo præcisè, quod ſit amor procedens, ſed quod ſit amor Diuinus procedens perfectus, quod non haberet, vt docet Richardus locis citatis, ſi non procederet à duobus ſuppoſitis: ſicut nec etiam haberet eſſe nexus duorum. Ad Confirmationem. Reſp. virtutem ſpiratiuam in alterutra perſona eſſe quidem perfectam; ſed per ſe requirere eſſe in vtraque, & productionem eſſe ab vtraque, propter ſupradicta.

Dices 2. Eſſe principium Spiritus Sancti ita conuenit Patri, & Filio ſimul, vt tamen vterque ſeorſim habeat perfectam rationem principiandi; ergo, dato quod alter non ſpiraret, adhuc maneret ſpiratio in altero; ergo non eſt per ſe ab vtroque. Hæc vltima conſequentia probatur, quia terminus ab eo tantum eſt per ſe, à quo neceſſariò recipit ſuum eſſe. Reſp. diſtinguendo antecedens: reperitur tam in Patre, quam in Filio ſeorſim principium productiuum quo tantum, & præcisè, concedo antecedens: principium quo, & conditiones requiſitæ, vt vnuſquiſque eorum ſeorſim poſſit operari, nego antecedens. Paternitas enim, & filiatio requiruntur, vt conditiones neceſſariæ, vt ſupradictum eſt; & ideò negatur vtraque conſequentia. Ad probationem vltimæ conſequentiæ Reſp. terminum in noſtro caſu neceſſariò recipere eſſe ab vtroque, quia altero deficiente, deficeret conditio neceſſariò requiſita. Neque hoc arguit imperfectionem vllam in Patre, vel Filio ſeorſim, ſed prouenit ex natura talis termini; qui cum ſit nexus duorum, à duobus petit produci; nec etiam ſequitur Patrem, & Filium ſingillatim ſumptos non eſſe principium perfectum Spiritus Sancti, tum quia eadem virtus totalis ſpiratiua eſt in vtraque perſona ſingillatim; tum etiam, quia conditio requiſita non ſpectat ad rationem principij.

Dices 3. Creatio iuxta D. Thomam & plures alios Theologos ita eſt de facto à tribus perſonis, vt ſi eſſentia ſaluaretur in vna perſona, nihilominus adhuc etiam poſſet eſſe ab illa; quia ratio eſſentiæ & omnipotentiæ eſt communis; ſed non minus eſt communis Patri, & Filio voluntas, quæ eſt vis ſpiratiua, quam eſſentia tribus; ergo ſicut creatio, & creaturæ non ſunt per ſe ex tribus; ita neque Spiritus Sanctus eſt per ſe ex duobus. Reſp. cum S. Thoma in 1. diſtinct. 11. quæſt. 1. artic. 2. eſſe diſparem rationem;

crea-

creaturæ enim ad ſui productionem requirunt ſolum omnipotentiam, vbicumque hæc ſit; At Spiritus Sanctus cum procedat vt Amor mutuus, & vt diſtinctus à Patre, & Filio, ac proindè vt tertia Perſona in Trinitate, requirit neceſſariò duo ſuppoſita. Propterea Alarcon Diſput.9. de Trinitate cap.4. in fine: obſeruat in Spiritu Sancto eſſe prædicatum intrinſecum, exigens ad ſui productionem duo ſuppoſita; in creaturis verò non eſſe prædicatum vllum; quod exigat omnipotentiam eſſe in tribus. Vide etiam Arriagam Diſput. 50. ſect. 7. numero 37.

Opponunt aliqui ex Modernis hoc diſcrimen procedere de facto; eo quia, cum Spiritus Sanctus de facto procedat vt amor mutuus, in tali modo procedendi dicit ordinem ad duo ſuppoſita, quem non dicunt creaturæ ad tria; ſed de poſſibili militare eamdem rationem, eo quod procedere vt amorem mutuum nihil aliud addit ſupra rationem amoris, quam reſpectum rationis; quatenus ſcilicet idem amor, qui eſt à Patre, concipitur tendere in Filium, vt in obiectum, & è conuerſo; quæ relatio conſurgit ex eo, quod vis ſpiratiua eſt in vtroque; ergo, cum vtraque perſona ſit perfectè conſtituta in actu primo ad ſpirandum, ſi altera non ſpiraret, procederet idem amor ſubſtantialiter; ſed non cum eadem relatione rationis: & hoc modo exponunt auctoritatem illam D. Thom. & id, quod habet in quæſt.36. 1.par. artic.4. ad primum. Sed fruſtra primo, quia in æternis eſt idem eſſe, ac poſſe; & nos quærimus hic de facto de Spiritu Sancto, qui nunc eſt: an per ſe petat eſſe à duobus; non verò de Spiritu Sancto chymærico, qualem iſti fingunt, cuius exiſtentia implicat; ſi enim non implicaret, iam daretur à parte rei. Secundo, quia falſum eſt illam relationem eſſe ſolum rationis; nam ſicut de facto in creaturis cognitio, & amor relatione reali reſpiciunt & principium, à quo producuntur, & obiectum, in quod tendunt; multo magis in Diuinis, vbi eſt perfectiſſima ratio producendi, procedendi, & tendendi in ſuum obiectum.

Dices: Si eſſet verum, Spiritum Sanctum petere per ſe procedere à duobus, iam Pater, & Filius producerent illum, quatenus Pater, & Filius ſunt, non verò quatenus Spirator; ſed hoc eſt falſum; ergo & id, vnde ſequitur. Reſp. ly quatenus in præſenti poſſe ſumi dupliciter: primo ita vt reduplicet rationem formalem; ſecundo vt reduplicet ſolam conditionem requiſitam ex parte prin-

cipij

cipij quo. Si primo modo ſumatur, negatur ſequela maioris; ſi verò ſecundo modo, conceditur; nam re vera Pater, & Filius vt tales, ſunt conuenientes in eadem virtute ſpiratiua, tamquam principio quo Spiritus Sancti, & hoc requirit Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis; & quatenus huiuſmodi ſunt quid ſubſiſtens, conſequenter principium quod; & propterea rectè poteſt dici procedere ab ipſis vt ſunt diſtincti, quia hoc requiritur; ſed tamen etiam vt conueniunt in vna virtute ſpiratiua, quod eſt idem ac dicere Spiritus Sanctus requirit, vt ſit ab vna virtute, quæ ſit in pluribus diſtinctis. Videatur Zumel diſput.4. ad artic.4. quæſt.36.1.par. & Ioan.Morandus Tract.6. qui eſt de SS. Trinitate quæſt. 28.

CONTROVERSIA SEXTA.

De Miſſione Diuinarum Perſonarum.

AXIOMA PRIMVM.

Alicui Perſonæ Diuinæ conuenit mitti.

Ex Lib. 2. de Trinitate Cap. 5.

CVm eum (ideſt Filium) *Pater Verbo miſit, à Patre, & Verbo eius factum eſt, vt mitteretur. Ergo à Patre, & Filio miſſus eſt idem Filius &c. Cum itaque hoc à Patre, & Filio factum eſſet, vt in carne Filius appareret, congruenter dictus eſt miſſus ille, qui in ea carne apparuit. Miſiſſe autem ille, qui in ea non apparuit.*

DVBIVM I.

Vtrum alicui Perſonæ conueniat mitti.

PRæmitto Miſſionem includere duos reſpectus: vnum miſſi ad mittentem, alterum miſſi ad terminum; qui enim mittitur ab aliquo mittitur: & quoad primum reſpectum, poſſe concipi aliquem à mittente mitti tribus modis: primo per imperium; ſecundo per con-

conſilium; tertiò per originem, ſiue proceſſionem. Ex quibus duo primi important aliquam imperfectionem in eo, qui mittitur, & ideò Perſonæ Diuinæ non poſſunt conuenire: primus enim importat ſubiectionem; ſecundus verò ignorantiam. Tertius nullam prorſus importat imperfectionem; eo quod nulla eſt imperfectio ab alio habere originem.

Quoad ſecundum verò reſpectum aduerto aliquem poſſe mitti ad aliquem terminum, vel locum duobus modis. Primo ad terminum, in quo prius non erat vllo modo; & ſic mittuntur homines, & Angeli: non poteſt verò mitti ſic Diuina perſona; cum enim quælibet ſit immenſa, non poteſt mitti ad vllum terminum, in quo antea nullo modo eſſet. Secundo ad terminum, in quo prius quidem erat, ſed tamen non omnibus modis, quibus poterat eſſe, & in hoc ſenſu procedit dubium. In quo.

Dico: Miſſionem aliquibus Diuinis perſonis conuenire. Probatur primo ex Sacra Scriptura Ioan. cap. 8. *Non ſum ego ſolus, ſed ego, & qui miſit me Pater*. Et Cap. 3. *Miſit Deus Filium ſuum*. Cap. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem mittam vobis à Patre*.

Probatur 2. ratione. Quia nomine miſſionis hic venit æterna proceſſio Perſonæ Diuinæ cum habitudine ad effectum temporalem, ſiue viſibilem, ſiue inuiſibilem. Sed Filius, & Spiritus Sanctus ab æterno procedunt, ille à Patre ſolum, iſte à Patre, & Filio: & in tempore quodammodo exeunt, eo ſenſu, quo Chriſtus Dominus dixit: *Exiui à Patre, & veni in Mundum*. Et hoc vel in ordine ad æternam manifeſtationem, vel collationem alicuius doni creati. Ergo rectè dicti ſunt miſſi. Et de Filio S. P. in Axiomate dicit: *Filius congruenter dictus eſt miſſus &c.*

Dices 1. Miſſio dicit Minorationem, & conſequenter imperfectionem in eo qui mittitur; importat enim dependentiam, & ſubiectionem in illo; ergo non poteſt conuenire Perſonis Diuinis. Reſp. tunc ſolum importare has imperfectiones; quando is, qui mittitur, exit per imperium, vt cum ſeruus mittitur à Domino, vel per conſilium, vt cum quis edoctus ab alio de eo, quod ignorabat, ex eius conſilio procedit ad aliquod opus, quo caſu in miſſo importatur ignorantia. Quæ non habent locum in Diuinis; vbi ſolum importatur miſſio per originem, cum habitudine ad effectum &c. quæ rectè cohæret cum æqualitate perſonarum, & nullam inducit imperfectionem.

Di-

Digitized by Google

Dices Chriſtus Dominus habuit præceptum à Patre de ſuis operationibus, & conſequenter in omnibus miſſionibus proceſſiſſe per imperium, & non ſolum per originem. Reſp. tale præceptum non fuiſſe impoſitum Perſonæ Diuinæ, vt in natura Diuina exiſtenti, in qua procedit æqualis Patri; ſed fuiſſe impoſitum ratione naturæ humanæ, in qua minor eſt Patre.

Dices 2. qui mittitur ſeparatur ab eo, à quo mittitur; ſed nulla ex Diuinis perſonis poteſt ſeparari ab alia; ergo nulla poteſt mitti. Reſp. ad miſſionem ſufficere ſolam diſtinctionem originis, cum habitudine ſupradicta; & nullam eſſe, aut poſſe ibi eſſe ſeparationem naturæ, cum ſint omnes tres vnum in natura: nec loci; nam perſona miſſa non incipit eſſe, vbi nullo modo prius eſſet; hoc enim fit per motum localem, qui non habet locum in Diuinis. Per hæc poteſt reſponderi ad quæcumque alia argumenta deſumpta ex motu locali.

AXIOMA SECVNDVM.

Miſſio in Diuinis dicitur ſolum temporaliter.

Ex Lib. 2. de Trinitate Cap. 5.

Plenitudo temporis cum veniſſet, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere: ideſt factum in tempore, vt incarnatum Verbum hominibus appareret, quod in ipſo Verbo ſine tempore erat, in quo tempore fieret. Ordo quippè temporum in æterna Dei Sapientia ſine tempore eſt.

DVBIVM II.

Vtrum miſſio Diuinæ Perſonæ ſit æterna, vel temporalis.

FVndamentum dubitandi eſt: quia Miſſio ex dictis includit duo. Primum eſt proceſſio vnius Perſonæ ab alia, quæ eſt æterna. Secundum eſt progreſſus ad aliquem terminum, qui eſt temporalis. Quapropter miſſio partim videtur eſſe æterna, partim temporalis, æterna quantum ad principium, temporalis quoad terminum.

Præmitto ſolutioni cum S.Tho. 1.par.quæſt.43.artic.2.has rationes, & ſex prædicata in Diuinis habere diſtingui Generatio, & Spiratio, Proceſſio,& exitus,miſſio,& datio. Quo poſito.

Dico 1. Generationem, & Spirationem in Diuinis dici ſolum ab æterno, vt docet Angelicus Doctor loco citato, & Probatur. Quia in his tam habitudo ad principium generans, & ſpirans, quam habitudo ad terminum generatum, & ſpiratum ſunt æternæ: quapropter, cum ibi nihil ſit temporale, manet quod vtraque, quocumque modo ſub his rationibus conſideretur, ſit ſolum æterna.

Dico 2. cum eodem Sancto Doctore. Proceſſionem, & exitum dici & æternaliter, & temporaliter. Quod probatur, quia Filius ab æterno proceſſit, vt ſit Deus, & temporaliter, vt ſit etiam homo. Ratio à priori eſt, quia hæc prædicata ſignificant ſolam originem, abſtrahendo à termino. Ergo indifferenter poſſunt dici, vel ab æterno, vel ex tempore, prout applicantur proceſſioni, quæ habeat vel terminum æternum, vel temporalem.

Dico 3. Miſſionem, & Dationem in Diuinis dici ſolum in tempore, iuxta illud Apoſtoli ad Galatas cap.4.ver.4. *Cum venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum.* Ratio eſt: quia, licet hæc duo ſignificent ſeu inuoluant Proceſſionem æternam, ſimul tamen denotant terminum temporalem.

Dices 1. Quemadmodum miſſio dicitur temporalis propter terminum temporalem; ſic etiam poterit dici æterna propter proceſſionem æternam. Reſp. negando conſequentiam. Ratio eſt, quia miſſio non

non exiſtit, niſi quando exiſtit eius integra ratio; quod ſit ſolam, quando ad proceſſionem æternam accedit terminus temporalis; Quapropter cum per terminum temporalem compleatur, & perficiatur, dicitur ſolum temporalis. Quemadmodum creatio, quę licet exiſtat per potentiam Dei, quæ eſt æterna, completur tamen per effectum temporalem; & ideò dicitur temporalis, non verò æterna.

Dices Chriſtum Dominum includere duo, ideſt naturam humanam, & Verbum Diuinum, quorum illa eſt temporalis, & hoc æternum; & ratione huius dicitur fuiſſe ab æterno, & ratione illius in tempore; ergo ſimiliter miſſio, ratione vtriuſque, poterit dici & temporalis, & æterna. Reſp. eſſe diſparem rationem; nam Chriſtus ſupponit pro perſona Diuina, cui per communicationem idiomatum conueniunt prædicata vtriuſque naturæ, tam Diuinæ, quam humanæ. At miſſio Diuinæ Perſonæ non ſupponit pro ſola proceſſione æterna, ſed pro coniuncto ex proceſſione æterna, & termino temporali, & ideò ſolum dicitur temporalis, ſicut etiam creatio.

Dices 2. ex S. Gregorio Hom. 26. in Euang. habetur: *Eo mittitur Filius, quo generatur*. Sed generatio Filij eſt æterna; ergo & miſſio. Reſp. cum S. Tho: loco citato in reſpon. ad primum S. Gregorium loqui ibi de generatione Filij temporali à Matre, non verò de æterna à Patre. Vel, ſi magis placet, cum eodem Angelico Doctore, quia Filius habet vt poſſit mitti, quia eſt genitus ab æterno.

Dices 3. Cuicumque conuenit aliquid temporaliter, mutatur; ſed perſonæ Diuinæ non poſſunt mutari; ergo miſſio illarum non eſt temporalis, ſed æterna. Reſp. maiorem eſſe falſam; nam in tempore, & ex tempore conuenit Deo eſſe Dominum, & Creatorem, & Verbo eſſe Incarnatum, & tamen non poteſt dici quod Deus, aut Verbum Diuinum mutentur. Ratio eſt, quia hæc ſunt prædicata relatiua, quæ ſolum per poſitionem termini, ſine vlla intrinſeca mutatione fundamenti, adueniunt, & recedunt: poſito termino adueniunt, & ſublato ſiue deſtructo recedunt; vt patet etiam in creatis in ſimilitudinibus, in paternitate, in dominio, & ſimilibus, vt ſæpè docet etiam Sanctus Thomas, & dixi in logica cap. de Relatione. Et ſic cum in præſenti Diuina perſona incipit eſſe nouo modo in aliquo, vel ab aliquo, habetur temporaliter, non quidem per mutationem Diuinæ Perſonæ, ſed per mutationem creaturæ: & ideò, conceſſa minori, neganda eſt conſequentia.

AXIOMA TERTIVM.

Miſſio inuiſibilis Perſonæ Diuinæ, fit ſolum ſecundum donum gratiæ gratum facientis.

Ex Lib. 3. de Trinitate Cap. 4.

SPiritus Sanctus procedit temporaliter ad ſanctificandam Creaturam.

DVBIVM III.

Vtrum miſſio inuiſibilis Diuinæ Perſonæ ſit ſolum ſecundum donum gratiæ ſanctificantis.

DVæ ſunt in hoc puncto Theologorum ſententiæ oppoſitæ. Prima tribuitur à Vaſquez Caietano in Comment. artic. 3. quæſt.43. 1.par. S.Tho: & eſt Durandi lib.1. ſent. diſtinct.14.quæſt. 3.S.Bonauenturæ diſtinct.15.artic. 2.quæſt.1. Arriagæ Diſput.55.ſect. 4. dicto 6. qui docent miſſionem inuiſibilem fieri non ſolum per donum gratiæ ſanctificantis, ſed etiam per donum fidei informis; imò per cogitationem, & dilectionem Dei quamcumque; eo quod per hos effectus Deus incipiat aliquo nouo modo eſſe in creatura.

Secunda ſententia eſt S.Thomæ loco citato, cui ſubſcribit Vaſquez in dubitatione circa doctrinam prædicti articuli; qui docent, loquendo abſolutè, & ſimpliciter, miſſionem inuiſibilem fieri ſolum per donum gratiæ ſanctificantis. Propterea.

Dico cum S.Thoma, abſolutè, & ſimpliciter loquendo, prædictam miſſionem fieri ſolum per donum gratiæ gratum facientis. Probatur primo ex verbis S. P. in

Axio-

Axiomate, ex quibus ſic ducitur argumentum. Spiritus Sanctus procedit temporaliter ad ſanctificandum; ſed ſanctificatio creaturæ non fit niſi per ſolam gratiam ſanctificantem; ergo ſolum per hanc mittitur inuiſibiliter perſona Diuina.

Probatur 2. Quia præter modos communes, quibus Deus dicitur eſſe in quacumque creatura, etiam ab initio productionis cuiuſque, nempè per eſſentiam, potentiam, & præſentiam: eſt etiam ſpeciali modo in creatura rationali, vt obiectum cognitum in cognoſcente, & amatum in amante; & quia creatura cognoſcendo, & amando attingit Deum, ideò non ſolum ſpeciali modo dicitur Deus eſſe in creatura rationali, ſed etiam in ea habitare vt in ſuo templo. Sed nullus effectus poteſt eſſe huius ratio, niſi gratia gratum faciens. Ergo per ſolam gratiam gratum facientem fit miſſio inuiſibilis.

Probatur 3. Quia Miſſio inuiſibilis fit, vt creatura habeat Deum inhabitantem in ſe, iuxta illud Chriſti Domini: *Veniemus, & apud eum faciemus*. Sed illud ſolum dicimur habere, quo liberè poſſumus vel vti, vel frui; & habere poteſtatem fruendi Diuina perſona eſt ſolum per gratiam gratum facientem. Ergo ſolum per eam fit miſſio inuiſibilis.

Dices 1. Cum quis prophetat, aut facit miracula, non facit hæc niſi per virtutem Spiritus Sancti; ſed hæc poſſunt fieri etiam per perſonas exiſtentes in peccato mortali, vt patet in Caipha, & Saule; ergo poteſt dari miſſio Diuinæ perſonæ ad alia, præter quam per gratiam ſanctificantem. Præterea Deus à nobis poteſt cognoſci, & diligi, non ſolum vt auctor gratiæ, ſed etiam vt auctor naturæ, & ab ijs etiam, qui non habent gratiam ſanctificantem per actus non formatos gratia, & charitate, vt cognitione, & dilectione naturali, vel etiam attritione ſupernaturali, quæ fit per amorem Dei, ſed imperfectum, & non attingentem eſſentiam Charitatis ſupernaturalis, puta per amorem concupiſcentiæ, quod non poteſt fieri, niſi per auxilium ſupernaturale: ergo etiam hoc modo poteſt fieri miſſio. Denique non apparet ratio efficax, cur non poſſet dici Perſonam Diuinam mitti duobus modis, nempè, vel vt inhabitet, & permaneat, vel vt per tranſitum ſit, & moueat, cum vtrobique ſit nouus ſemper effectus, ratione cuius poteſt dici nouo modo tunc Perſonam Diuinam eſſe in creatura, quam mouet.

Reſpondet Vaſquez loco citato, per hæc ſolum poſſe dici fieri miſſionem ſecundum quid, quia aliquo

uina perſona mittitur ſolum ſecundum dona gratiæ gratum facientis, non eſt amplius ipſa perſona, quæ donetur, ſed ipſa gratia, & ſolum dona eius; quod eſt error eorum, qui dicunt Spiritum Sanctum non donari, ſed ſolum eius dona; ergo &c. Reſp. per donum gratiæ gratum facientis fieri, vt non ſolum anima liberè ipſo dono creato vtatur; ſed etiam vt ipſa Diuina perſona fruatur, quod eſt formaliſſimè ipſam Perſonam Diuinam dari, & donari: ac proindè prædicta communis aſſertio nullum continet errorem.

Dices 3. Illa particula *ſecundum* denotat rationem cauſæ, & eſt ſenſus quod gratia ſanctificans ſit cauſa, quod perſona Diuina mittatur, & inhabitet: ſed hoc eſt falſum; nam potius è contra res ſe habet; eſt enim Perſona Diuina, quæ facit, vt habeatur Gratia, & Charitas, iuxta illud D. Pauli ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum SanĉŁum, qui datus eſt nobis*. Ergo non rectè dicitur, quod Spiritus Sanctus mittatur ſecundum dona gratiæ gratum facientis.

Reſpondet S. Tho: illam particulam ſecundum non ſignificare, quod gratia gratum faciens ſit cauſa, quod habeatur Diuina Perſona; ſed quod diſponat animam ad illam habendam. Poſſet etiam dici, quod cum in hac miſſione, & manſione ſit diſtinguere tria genera cauſarum, nempè materialem, ſiue ſubiectiuam, quæ eſt ipſa anima; Finalem, quæ eſt ipſe Deus ſuper omnia dilectus; & efficientem, quæ eſt ipſa perſona Diuina, non quidem ſola, ſed ſimul cum alijs, iuxta commune proloquium. Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa: requiritur cauſa formalis informans ipſum ſubiectum. Quæ licet non ſit cauſa, quod perſona inhabitet, ſed ſolum diſpoſitio; requiritur tamen ad perfectam rationem manſionis, iuxta ſuperius dicta, vt forma informans ſubiectum.

Dices 4. S. P. Auguſtinus lib. 4. de Trinitate Cap. 20. docet, quod Filius, cum ex tempore mente percipitur, mitti dicitur; ſed Filius non ſolum per gratiam ſanctificantem, ſed etiam per gratias gratis datas mente percipitur, id eſt per fidem, & ſcientiam; ergo perſona Diuina alio modo mittitur, quam per ſolam gratiam gratum facientem. Reſpondet S. Tho: loco citato, Filium poſſe quidem cognoſci per aliquos effectus; non tamen per aliquos effectus inhabitare in nobis, vel haberi à nobis, ſine gratia gratum faciente. Quod non ſiluit San-

Sanctus Pater; nam eo loco, cum dixiſſet: *Tunc vnicuique mittitur, cum à quoquam cognoſcitur, atque percipitur quantum cognoſci, & percipi poteſt*. Subiungit ſtatim. *Pro captu vel proficientis animæ in Deum, vel perfectæ in Deo animæ rationalis*. Quæ verba profectò important, & requirunt ipſam gratiam ſanctificantem.

Dices 5. Cum Rabano. Spiritus Sanctus datus eſt Apoſtolis ad operationem miraculorum, ſed hoc non eſt donum gratiæ gratum facientis, ſed gratis datæ: ergo Perſona Diuina non datur ſolum ſecundum gratiam gratum facientem. Reſp. S. Thom. quamlibet gratiam gratis datam eſſe manifeſtationem gratiæ gratum facientis; & idcircò Apoſtolum vocare eam manifeſtationem Spiritus; Quod ſi detur caſus, vt ſit ſolum ſignum ſine gratia ſanctificante (vt in Caipha, Saule, & Balaam, quando prophetauerunt exiſtentes in ſtatu culpæ læthalis) non diceretur dari ſimpliciter Spiritus Sanctus; ſed cum limitatione, & determinatione, vt Spiritus propheticus. Propterea poſui in Concluſione abſolutè, & ſimpliciter loquendo, Miſſionem ſolum ſecundum gratiam ſanctificantem.

AXIOMA QVARTVM.

Patri non conuenit mitti; ſed Filio, & Spiritui Sancto.

Ex Lib. 2. de Trinitate Cap. 5.

S*Olus Pater numquam legitur miſſus.*

DVBIVM

DVBIVM IV.

Vtrum Patri conueniat mitti ſicut Filio, & Spiritui Sancto.

DIco miſſionem conuenire ſolum Filio, & Spiritui Sancto, non verò Patri. Probatur primo Auctoritate S.P. in Axiomate. Secundo probatur ratione: Quia miſſio in ſuo conceptu eſſentiali, vt ſupra dictum eſt, importat proceſſionem ab alio, quæ in Diuinis eſt ſecundum originem, ſed Pater non eſt ab alio, vt eſt Filius, & Spiritus Sanctus. Ergo mitti non conuenit Patri; ſed Filio, & Spiritui Sancto.

Dices 1. Mitti Diuinam perſonam, eſt idem formaliter, ac eam dari, ſed Pater dat ſeipſum (non enim haberi poteſt, niſi ipſe donet ſe ipſum). Ergo poteſt dici quod etiam Pater mittat ſe ipſum. Reſp. quod mitti formaliter non importat ſolum liberalem communicationem, qualis eſt illa, qua Pater dat ſe ipſum creaturæ ad fruendum; ſed præterea importat Auctoritatem dantis reſpectu illius, quod datur; & ſic dari conuenit tantum perſonæ, quæ eſt ab alio, quales ſunt Filius, & Spiritus Sanctus; ac proindè eis ſolum conuenit mitti.

Dices 2. Miſſio fit per inhabitationem Diuinæ perſonæ in nobis ſecundum gratiam gratum facientem, vt dictum eſt in præcedenti dubio; ſed etiam Pater inhabitat in nobis ratione talis gratiæ, iuxta illud Ioan. 4. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Quod eſt dictum de omnibus tribus perſonis; ergo mitti non minus conuenit Patri, quam Filio, & Spiritui Sancto. Reſp. quod ad veram miſſionem præter inhabitationem per gratiam requiritur in perſona, quæ mittitur, proceſſio ab alio, quam non habet Pater, & ideò non poteſt dici miſſus.

Dices 3. Quidquid conuenit alicui perſonæ, conuenit omnibus, præter notiones, & perſonas, ideſt rationes perſonales ſingulares, & proprias cuiuſque perſonæ in particulari: ſed miſſio non ſignificat neque notionem, cum ſint tantum quinque, & in eis non numeretur Miſſio &c. neque rationem perſonalem propriam alicuius perſonæ

in particulari; conuenit enim duabus perſonis; ergo cuilibet Perſonæ Diuinæ conueniet mitti. Reſp. quod licet Miſſio non ſit nec perſona, nec notio, nihilominus, vt importat proceſſionem à mittente, includit in ſui ſignificatione implicitè notionem in generali, quatenus ſcilicet eſſe ab alio eſt commune duabus perſonis productis, & ideò non conuenit Patri, qui non producitur.

Dices 4. Miſſio Perſonæ Diuinæ attenditur ſolum ſecundum dona gratiæ gratum facientis, vt dictum eſt, & conſequenter ſecundum donum Charitatis, quæ vel eſt idem realiter cum ipſa gratia ſanctificante, vel cum ea inſeparabiliter coniuncta: ſed hæc dona attribuuntur ſolum Spiritui Sancto non vero Patri, aut Filio: ergo ſolum Spiritui Sancto conuenit mitti, non verò Filio. Reſp. quod licet omnia dona, vt dona ſunt, attribuantur Spiritui Sancto, nihilominus quædam ſecundum proprias rationes attribuuntur Filio, vt ſunt ea, quæ pertinent ad intellectum. Ad illud de Gratia, & Charitate. Reſp. diuerſam eſſe miſſionem Filij ab illa Spiritus Sancti, eo quod in effectibus reſpiciant quidem ambæ ipſam gratiam, & ipſam Charitatem; ſed ita vt miſſio Spiritus Sancti ſit quidem formaliter per ipſam charitatem ſecundum modum charitatis; quatenus ſcilicet per charitatem anima ipſi Spiritui Sancto aſſimilatur: Miſſio verò Filij, cum ſit Verbum ſpirans amorem, non attendatur ſecundum quamlibet perfectionem intellectus, ſed ſolum ſecundum illam inſtructionem, quæ prorumpat in affectum amoris, ac proindè vna eſt ab alia, ſiue eam præſupponit.

Dices 5. miſſio Filij, & Spiritus Sancti habent vnum, & eumdem numero effectum, nempè gratiam ſanctificantem: ergo ſunt vna, & eadem miſſio, non verò diuerſæ. Reſp. negando conſequentiam; nam primo diſtinguuntur ratione proceſſionis, cum Filius mittatur vt genitus, Spiritus verò Sanctus, vt ſpiratus: præterea, licet quoad effectus communicent in radice gratiæ, diſtinguuntur tamen in ipſis effectibus gratiæ; nam miſſio Filij eſt ad illuminandum intellectum, miſſio verò Spiritus Sancti ad inflammandum affectum: & ſic patet quod vna non poteſt eſſe ſine alia, & quod neutra eſt ſuperflua.

AXIO-

Digitized by Google

AXIOMA QVINTVM.

Miſſio inuiſibilis fit ad omnes, qui ſunt participes gratiæ.

Ex Lib. 5. de Trinitate Cap. 20.

Secundum quod Filius mittitur inuiſibiliter, fit inuiſibiliter in hominibus, aut cum hominibus: hoc autem antea factum eſt in Patribus, & Prophetis.

DVBIVM V.

Vtrum miſſio inuiſibilis fiat ad omnes, qui ſunt participes gratiæ.

Reſp. affirmatiuè. Et probatur primo Auctoritate S.P. qui loco citato in Axiomate tertio docet miſſionem inuiſibilem eſſe ad ſanctificandam creaturam; & præterea etiam in lib.4. eiuſdem operis de Trinitate Cap.20. ait: *Aliter mittitur, vt ſit cum homine*: (loquitur de Sapientia Dei) *aliter miſſa eſt, vt ſit ipſa homo* (ideſt Sapientia genita) *in animas enim Sanctas ſe transfert, atque amicos Dei, & prophetas conſtituit, ſicut etiam implet Sanctos Angelos, & omnia talibus myſterijs congrua per eos operatur*. Sed omnes, qui ſanctificantur, ſunt participes gratiæ. Ergo omnes, ad quos fit talis miſſio, ſunt participes gratiæ.

Probatur 2. quia miſſio Diuinarum perſonarum requirit, vt qui mittitur incipiat nouo modo eſſe vbi prius non erat, qui nouus modus in eo, ad quem fit dicta miſſio inuiſibilis, attenditur ſecundum innouationem per gratiam, & inhabitationem Diuinarum perſonarum: ergo in omnes, ad quos fit miſſio inuiſibilis, reperiuntur hæc duo, & conſequenter Diuinæ gratiæ ſunt participes.

Dices 1. Patres veteris teſtamenti fuerunt participes Diuinæ

Digitized by Google

gratiæ, & tamen ad eos non eſt facta miſſio inuiſibilis; ergo miſſio inuiſibilis non fit ad omnes illos, qui ſunt Diuinæ gratiæ participes. Antecedens quoad ſecundam partem probatur ex illo Ioan. cap. 7. *Nondum erat ſpiritus datus, quia nondum erat* IESVS *glorificatus*. Ergo miſſio inuiſibilis non fit ad omnes, qui ſunt participes gratiæ. Reſp. Euangeliſtam ibi loqui de miſſione, ſeu datione, quæ fit cum ſigno viſibili, quæ facta fuit in die Pentecoſtes.

Dices 2. Profectus in virtute non eſt niſi per gratiam: ſed miſſio inuiſibilis non attenditur ſecundum profectum virtutis; hic enim eſt continuus in animabus Sanctis; Charitas enim aut ſemper proficit, aut deficit, & ſic miſſio in proficientibus eſſet continua: ergo non ſemper miſſio inuiſibilis fit ad omnes participes gratiæ. Reſp. etiam ſecundum profectum virtutis, & augmentum gratiæ fieri miſſionem inuiſibilem; Nam vt dicit S.P. lib. 4. de Trinitate cap. 20. *Tunc cuiquam mittitur Filius; cum à quoquam cognoſcitur, atque percipitur quantum cognoſci, & percipi poteſt pro captu vel proficientis animæ in Deum, vel perfecta anima rationalis in Deo*. Nihilominus, vt docet Sanctus Thomas 1. par. quæſt. 43. attenditur præcipuè talis miſſio cum quis proficit in aliquem nouum actum, vel nouum ſtatum gratiæ, v.g. cum quis proficit in gratiam miraculorum, aut prophetiæ, vel ex feruore Charitatis exponit ſe martyrio, vel abrenunciat omnibus, quæ poſſidet, vel aggreditur quodcumque opus arduum.

Dices 3. Chriſtus Dominus, & Beati pleniſſimè ſunt participes gratiæ. Sed ad eos non fit miſſio; de ratione enim miſſionis eſt, vt fiat ad aliquid aliquo modo diſtans; Chriſtus autem vt homo, & Beati omnes ſunt perfectè vniti Deo: ergo miſſio inuiſibilis non fit ad omnes participes gratiæ. Reſp. cum S. Tho: loco citato artic. 6. ad 3. Chriſto Domino fuiſſe factam miſſionem inuiſibilem à principio incarnationis, non autem poſtea; ex tunc enim fuit plenus gratia, & omni ſapientia. Ad Beatos verò eſſe factam miſſionem in principio Beatitudinis eorum, & ſucceſſiuè fieri vſque ad diem iudicij ſecundum aliquas reuelationes.

Dices 4. Sacramenta nouæ legis continent gratiam ſanctificantem, quam conferunt, & tamen ad ea non fit talis miſſio; ergo miſſio inuiſibilis non fit ad omnes participes gratiæ. Reſp. cum S. Tho: loco citato ad quartum: Miſſionem ſumi à termino; in Sacramentis verò gratiam ſanctifican-

can-

cantem non eſſe formaliter vt formam iuſtificantem, ſed ſolum inſtrumentaliter, ſicut forma artificiati in inſtrumentis artis, & ſecundum quemdam diſcurſum ab agente in patiens; ac proindè non eſſe participantia gratia eo modo, quo requiritur ad miſſionem.

AXIOMA SEXTVM.

Conueniens fuit Filium, & Spiritum Sanctum viſibiliter mitti.

Ex Lib. 2. de Trinitate Cap. 5.

CVm itaque hoc à Patre, & Filio factum eſſet, vt in carne Filius appareret, congruenter dictus eſt miſſus ille, qui in ea carne apparuit, miſiſſe autem ille, qui in ea non apparuit. Quoniam illa, quæ coram corporeis oculis noſtris foris geruntur, ab interiore apparatu naturæ ſpiritalis exiſtunt: propterea conuenienter miſſa dicuntur &c. (infra). *Iam in promptu eſt intelligere etiam de Spiritu Sancto cur miſſus dicatur. Facta eſt enim quædam creaturæ ſpecies ex tempore, in qua viſibilis oſtenderetur Spiritus Sanctus, ſiue cum in ipſum Dominum corporali ſpecie velut columba deſcendit; ſiue cum, decem diebus peractis poſt eius aſcenſionem, die Pentecoſtes factus eſt ſubitò de cælo ſonus, quaſi ferretur flatus vehemens, & viſæ ſunt illis linguæ diuiſæ tamquam ignis, qui & inſedit ſuper vnumquemque eorum. Hæc operatio viſibiliter expreſſa, & oculis oblata mortalibus, miſſio Spiritus Sancti dicta eſt.*

DVBIVM

Digitized by Google

DVBIVM VI.

Vtrum conuenienter fuerit facta miſſio viſibilis Filij: & Spiritus Sancti.

REſp. affirmatiuè cum S. Thoma loco ſupracitato artic. 7. & Probatur ratione ipſa, qua vtitur S.Tho: ibi, & antea S.P. eo loco, à quo deſumptum eſt Axioma. Quia nempè inuiſibilia Dei homini per viſibilia manifeſtari oportuit: hic enim eſt modus connaturalis homini, & Deus omnibus prouidet ſecundum vniuſcuiuſque modum: ergo, ſicut ſe ipſum, & proceſſiones æternas, quæ ſunt inuiſibilia, per viſibilia corporea hominibus quodammodo demonſtrauit: ita conueniens fuit, vt inuiſibiles miſſiones perſonarum ſecundum aliquas viſibiles creaturas manifeſtaret: & hoc eſt viſibiliter mitti, vt ait S. P. in Axiomate.

Aduerte hic cum S. Tho: in his miſſionibus viſibilibus Filium mitti in carne, quia mittitur vt ſanctificationis auctor. At Spiritum Sanctum, quia mittitur vt ſanctificationis donum, mitti in ſignis, quæ ſunt ſanctificationis indicia, & prout talia ſunt.

Dices 1. Si conueniret Spiritui Sancto viſibiliter mitti, diceretur de eo quod ſit minor Patre; ſicut dictum eſt de Filio, quia viſibiliter miſſus eſt: ſed numquam legitur quod Spiritus Sanctus ſit minor Patre; ergo non conuenit ei mitti viſibiliter. Reſp. eſſe diſparem rationem de Filio, ac de Spiritu Sancto; nam de Filio dicitur, quod ſit minor Patre, non præcisè ex eo, quod viſibiliter miſſus eſt, ſed quia viſibilem creaturam, in qua miſſus eſt, nempè viſibilem carnem aſſumpſit in vnitatem Perſonæ. Non ſic de Spiritu Sancto qui numquam creaturas, in quibus apparuit, aſſumpſit in talem vnitatem.

Dices 2. Miſſio viſibilis attenditur ſecundum aliquam creaturam viſibilem aſſumptam, vt in Filio; ſed Spiritus Sanctus numquam aſſumpſit aliquam creaturam viſibilem; ergo Spiritus Sanctus non mittitur viſibiliter. Minor probatur, quia alias poſſet dici, quod mittitur in omnibus creaturis, quia

in

in omnibus eſt prorſus eodem modo, ac in illis, in quibus, ſeu ratione quarum dicitur miſſus. Si dicatur eſſe in his ſpeciali modo, quia eſt in illis vt in ſigno expreſſiuo ſuæ præſentiæ, & aſſiſtentiæ. Contra eſt, quia etiam hoc modo eſt in Sacramentis, & in omnibus figuris legalibus, & tamen ratione illorum non dicitur miſſus. Reſpondet tamen S. Tho: loco citato Spiritum Sanctum dici viſibiliter miſſum in quantum fuit monſtratus in quibuſdam creaturis ſicut in ſignis ad hoc ſpecialiter factis. Nam & illa columba, & ille ignis ad hæc tantum ſignificanda repentè extiterunt; quod idem ſentit de flamma, quæ in rubo apparuit Moyſi; & columna, quam populus in eremo ſequebatur; & fulgoribus, & tonitruis, quæ fiebant cum lex daretur in monte. Ad hoc enim illarum rerum tunc primo extitit ſpecies, vt aliquid ſignificarent, & prædicarent. Ex quibus infert, quod neque viſiones imaginariæ Prophetarum fuerunt miſſiones viſibiles Spiritus Sancti, vt docet S.P. lib.2. de Trinitate cap.6. eo quod non fuerunt exhibitæ oculis corporeis per formas corporeas: neque ſigna Sacramentalia noui, & veteris teſtamenti, quia in illis aliquæ res præexiſtentes aſſumuntur ad aliquid ſignificandum.

Dices 3. Quælibet creatura viſibilis eſt effectus demonſtrans totam Trinitatem, vel vt imago, vel ſaltem vt veſtigium eius; ergo per creaturas viſibiles non magis dici poteſt mitti Spiritum Sanctum quam aliam perſonam. Reſp. quod ſicut Diuinæ Perſonæ diuerſis nominibus appellantur, quamuis inter ipſas perſonas nulla ſit naturæ diuerſitas, aut ſeparatio; imò & appropriatur vnicuique aliquod attributum, licet illud idem ſit omnibus commune, v. g. Patri potentia, Filio Sapientia, & Amor Spiritui Sancto: ita nullum eſt inconueniens, quod ad demonſtrandam hanc, vel illam perſonam aſſumatur ſpecialiter hæc, vel illa creatura, licet quælibet res creata ſit effectus totius Sanctiſſimæ Trinitatis.

Dices 4. Filius viſibiliter miſſus eſt per digniſſimam creaturam viſibilium, nempè per naturam humanam; ergo & Spiritus Sanctus, cum ſit æqualis Filio, debuit mitti ſecundum aliquas creaturas rationales. Reſpondet S. Thomas loco citato in reſpon. ád quartum, eſſe diſparem rationem, nam Filius fuit miſſus vt ſanctificationis auctor, ac proindè oportuit, vt eius viſibilis miſſio fieret ſecundum naturam rationalem, cuius eſt agere, & cui poteſt competere ſanctificari. Non ſic debebat

eſſe

eſſe in miſſione viſibili Spiritus Sancti; nam ad eam ſufficiebat aliqua creatura, quæ eſſet indicium ſanctificationis, ad quod ſufficiebat alia creatura. Nec oportuit, ait ibi Angelicus Doctor, quod creatura viſibilis ad hoc formata eſſet aſſumpta à Spiritu Sancto, ideſt vnita ei per vnionem hypoſtaticam in vnitatem perſonæ, eo quod non aſſumeretur ad aliquid agendum, ſed ſolum ad indicandum, ac proindè nulla fuit neceſſitas, quod duraret, niſi quamdiù perageret officium ſuum. Quibus addere poſſumus, quod officium miſſionis viſibilis Filij erat perpetuum, cum æternum haberet ſacerdotium; & ideò in æternum manere oportebat in ea natura, in qua ſolum poteſt eſſe Sacerdos: non ſic Spiritus Sanctus cuius miſſio viſibilis erat tranſiens.

Dices 5. Ex S. P. N. Auguſtino lib.3. de Trinitate cap.5. & 45. habetur, ea quæ fiunt viſibiliter per Angelos, Diuinitus diſpenſari per miniſterium Angelorum. Ergo quando viſibiles ſpecies apparuerunt, fuit totum factum per miniſterium Angelorum, & conſequenter ipſi Angeli dicendi ſunt miſſi, non verò Spiritus Sanctus. Reſp. ab eodem Sancto Doctore Creaturas illas viſibiles fuiſſe quidem formatas miniſterio Angelico, non tamen ad ſignificandum Angelorum perſonas, ſed ſolum ad ſignificandam perſonam Spiritus Sancti, qui erat in illis ſpecialiter, vt ſignificatum in ſigno, & ideò non repræſentabant Angelos.

Dices 6. Cum Spiritus Sanctus mittitur viſibiliter, hoc fit ad manifeſtandam miſſionem inuiſibilem; Manifeſtantur enim inuiſibilia Dei per viſibilia creaturarum: ergo ad quem miſſio inuiſibilis facta non fuit, nec etiam miſſio viſibilis fieri debuit; & è contra quibus miſſio viſibilis facta eſt, conſequenter etiam miſſionem inuiſibilem factam fuiſſe dicendum eſt. Hoc tamen patet eſſe falſum; nam multis quotidiè fiunt miſſiones inuiſibiles, quibus nulla miſſio viſibilis facta eſt: ergo cùm apparent huiuſmodi ſpecies creaturarum non poteſt dici quod tunc mittatur Spiritus Sanctus. Reſpondet Angelicus Doctor: non eſſe de neceſſitate miſſionis inuiſibilis, quod manifeſtetur exteris per aliquod ſignum viſibile. Et ratio eſt illa, quam aſſignat Sanctus Paulus Apoſtolus Epiſt. prima ad Corint. cap. 12. nempè quod manifeſtatio Spiritus datur alicui ad vtilitatem Eccleſiæ. Quod principaliter factum eſt per Chriſtum Dominum, & per Apoſtolos, & ad aliquos primiti-

mitiuos Sanctos, in quibus quodammodò Eccleſia fundabatur; Et ideò Chriſto Domino fuit facta talis miſſio ab inſtanti ſuæ conceptionis, ad oſtendendam inuiſibilem miſſionem. In Baptiſmo verò facta eſt in ſpecie columbæ, ad oſtendendam auctoritatem ipſius Saluatoris ad dandam gratiam per ſpiritualem regenerationem; ideò enim Pater dixit: *Hic eſt Filius meus dilectus*: In transfiguratione ſub ſpecie nubis lucidæ, ad oſtendendam exuberantiam doctrinæ, & ideò dictum eſt: *ipſum audite*. Ad Apoſtolos ſub ſpecie flatus, ad oſtendendam poteſtatem miniſterij in diſpenſatione Sacramentorum, vt dixit eis Dominus: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*. Et in die Pentecoſtes ſub linguis igneis, ad oſtendendum officium doctrinæ. Vnde dicitur, quod *cæperunt loqui varijs linguis*.

Si quæras, vtrum apparitiones illæ viſibiles Diuinarum perſonarum, quæ in Scriptura Sancta leguntur factæ Patribus veteris teſtamenti, ſint dicendæ veræ miſſiones. Reſpondet S.P.N. lib. 2. de Trinitate cap. 17. negatiuè, eo quod non fuerint factæ ad deſignandum inhabitationem Diuinæ perſonæ per gratiam, ſed ad manifeſtandum aliquid aliud. Quem ſequitur Sanctus Thomas loco citato in reſpon. ad ſextum, dicendo: non debuiſſe fieri miſſionem viſibilem Spiritus Sancti; eo quod prius facienda eſſet miſſio viſibilis Filij, quam Spiritus Sancti, eo quod Spiritus Sanctus manifeſtet Filium, ſicut Filius Patrem.

Ex hac explicatione viſibilis miſsionis, & rationis, propter quam fit, infertur quod, quando miſsio inuiſibilis eſt ſolum in vtilitatem perſonæ particularis, cui fit, non eſt neceſsè, quod ſit coniuncta cum miſsione viſibili.

AXIOMA SEPTIMVM.

Perſona Diuina mittitur & ab ea, à qua procedit; & etiam à ſe ipſa.

Ex Lib. 2. de Trinitate Cap. 5.

A *Patre & Filio miſſus eſt idem Filius &c. quapropter Pater inuiſibilis vna cum Filio ſecum inuiſibili eumdem Filium viſibilem faciendo, miſiſſe eum dictus eſt.*

DVBIVM VII.

Vtrum aliqua perſona mittatur ab alia perſona, quam ab ea, à qua æternaliter procedit.

Dico 1. Si perſona mittens intelligatur eſſe principium, & cauſa effectus, ſecundum quem attenditur miſſio: Omnes tres perſonas poſſe dici mittere perſonam miſſam. Probatur ex Iſaia cap. 48. vbi Propheta loquitur de Filio, & in perſona eius dicit *miſit me Dominus Deus, & Spiritus eius;* & tamen Filius non procedit à Spiritu Sancto. Ergo perſona mittitur etiam ab ea, à qua non procedit; & hoc eſt quod docet S. Pater in Axiomate cum dicit Filium miſſum fuiſſe à Patre, & à ſe: quod etiam adducit S. Thomas loc. cit. artic. 8.

Dico 2. Si mittens deſignetur, vt principium perſonæ, quæ mittitur, tunc non poſſe dici quamlibet perſonam mittere, ſed ſolum illam, cui conuenit eſſe principium illius perſonæ, quæ mittitur. Et hoc modo Filius mittitur à ſolo Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque, & Pater à nullo, & ideò S.P. lib. 4. de Trinitate cap. vltimo ait: *Pater à nul-*

nullo mittitur; quia à nullo eſt.

Dices 1. Mittens debet habere auctoritatem reſpectu miſsi; ſed reſpectu Diuinæ perſonæ non poteſt haberi auctoritas, niſi ſecundum originem; ergo neceſsè eſt, quod perſona, quæ mittitur, mittatur ſolum à perſona, à qua habet originem. Reſpondeo hoc argumentum confirmare noſtram ſecundam concluſionem, & nihil derogare perſonæ, cum enim dicitur mittens debere habere auctoritatem reſpectu miſsi, non ſignificat ſuperioritatem, ſiuè excellentiam maiorem, ſed ſolum dignitatem principij, ideſt quod perſona miſſa habeat originem ab ea, à qua mittitur; cum quo rectè ſtat, quod omnes tres perſonæ concurrant ad eundem numerò effectum, ratione cuius Perſona illa dicitur mitti.

Dices 2. Si in aliquo ſenſu poteſt dici, quod perſona Diuina mittitur ab ea, à qua non procedit; poterit etiam dici, quod Spiritus Sanctus mittatur ab homine; nam & in ordinatione Diaconi; & in ordinatione Sacerdotis dicitur ab Epiſcopo: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Sed hoc eſt contra doctrinam S. P. N. Auguſtini qui lib. 15. de Trinitate cap. 26. ait: *Quomodo ergo Deus non eſt, qui dat Spiritum Sanctum? imò quantus eſt, qui dat Deum? Neque enim aliquis diſcipulorum eius dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippè, vt veniret in eos, quibus manus imponebant; non ipſi eum dabant.* Ergo dicendum eſt perſonam Diuinam non mitti vllo modo, niſi ab eo, à quo procedit. Reſp. non poſſe dici abſolutè hominem dare Spiritum Sanctum; ſed ſolum miniſterialiter, ſeu inſtrumentaliter; neque enim poteſt cauſare effectum gratiæ, vt cauſa principalis, & hoc eſt quod intendit S. P. loco citato.

Abſoluo hoc exiguum opuſculum de tam arcano, & profundiſsimo Trinitatis Myſterio eiſdem verbis, quibus S. P. N. abſoluit ſuum de eodem celeberrimum opus: à quo hæc deſumpſi: & ſimul cum eo ſic oro.

Domine Deus noſter, credimus in te Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Neque enim diceret veritas: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, niſi Trinitas eſſes. Nec baptizari nos iuberes Domine Deus in eius nomine, qui non eſt Dominus Deus. Neque diceretur voce Diuina. Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt; niſi Trinitas ità eſſes, vt vnus Dominus Deus eſſes. Et ſi tu Deus Pater ipſe eſſes, & Filius Verbum tuum IESVS *Chriſtus ipſe eſſes, & donum veſtrum Spiritus Sanctus, non legeremus in litteris veritatis: Mi-*

ſit Deus Filium ſuum. Nec tu, ò vnigenitè, diceres de Spiritu Sancto quem mittet Pater in nomine meo, & quem ego mittam vobis à Patre. Ad hanc regulam fidei dirigens intentionem meam quantum potui, quantum me poſſe feciſti, quæſiui te, & deſideraui intellectu videre quod credidi, & multum diſputaui, & laboraui. Domine Deus meus vna ſpes mea, exaudi me, ne fatigatus nolim te quærere, ſed quæram faciem tuam ſemper ardenter. Tu da quærendi vires, qui inuenire te feciſti, & magis magiſque inueniendi te ſpem dediſti. Coram te eſt firmitas, & infirmitas mea, illam ſerua, iſtam ſana. Coram te eſt ſcientia, & ignorantia mea. Vbi mihi aperuiſti, ſuſcipe intrantem. Vbi clauſiſti, aperi pulſanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge in me iſta, donec me reformes ad integrum. Scio ſcriptum eſſe: in multiloquio non effugietur peccatum; ſed vtinam prædicando Verbum tuum, & laudando te tantummodo loquerer: non ſolum fugerem peccatum, ſed meritum bonum acquirerem, quamlibet multum ſic loquerer. Neque enim homo de te Beatus, peccatum præciperet germano in fide Filio ſuo, cui ſcripſit dicens. Prædica Verbum, inſta opportunè, importunè. Nunquid dicendum eſt iſtum non multum locutum, qui non ſolum opportunè, verum etiam importunè Verbum tuum Domine non tacebat? Sed ideò non erat multum, quia tantum erat neceſſarium. Libera me Deus à multiloquio, quod patior intus in anima mea miſera in conſpectu tuo, & ✠ confugientem ad miſericordiam tuam. Non enim in cogitationibus taceo, etiam tacens vocibus. Et ſi quidem non cogitarem, niſi quod placeret tibi, non vtique rogarem, vt me ab hoc multiloquio liberares. Sed multæ ſunt cogitationes meæ, tales quales noſti, cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Dona mihi non eis conſentire, & ſi quando me delectant, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari. Nec in tantum valeat apud me, vt aliquid in opera mea procedat ex illis, ſed ab eis mea ſaltem ſit tuta ſententia, tuta conſcientia, te tuente. Sapiens quidem, cum de te loqueretur in libro ſuo, qui Eccleſiaſticus proprio nomine iam vocatur: multa (inquit) dicimus, & non peruenimus, & conſummatio ſermonum vniuerſa eſt ipſe. Cum ergo peruenerimus ad te, ceſſabunt multa iſta, quæ dicimus, & non peruenimus; & manebis vnus omnia in nobis; & ſine fine dicemus vnum, laudantes te in vnum, & in te facti etiam nos vnum. Domine Deus vnus, Deus Trinitas, quæcumque dixi in his libris de tuo, agnoſcant & tui: Si qua de meo, & tu ignoſce, & tui. Amen.

LAVS DEO.

Digitized by Google

INDEX NOTABILIVM.

Primus numerus paginam ſecundus columnam indicat.

A

ABbatis Ioachim error circa Trinitatem Perſonarum damnatus à Concil. Later. ſub Innocentio III. pag. 43,2.

Actiones immanentes Intellectus, & Voluntatis Dei ſunt id, quo producitur Verbum & Spiritus Sanctus,& quomodo. 9.2.

Actio eſt perfectio agentis, & de formali dicit relationem, & eſt etiam in ipſo agente. 159.2.

Actio ſecluſo motu eſt habitudo principij ad id, quod eſt à principio. 160. 2.

Actus Notionales ſunt ipſæ Origines. 155.1.Non identificantur adæquatè Eſſentiæ.156.1.Non differunt ab eſſentialibus niſi per relationes connotatas.ibid.2.Sunt voluntarij.179.1.

Albedo eadem numero in duobus parietibus non haberet oppoſitionem, aut relationem realem. 96.2.

Aliqua realiter, & formaliter identificantur, & tamen vnum non eſt de conceptu quidditatiuo alterius. 47. 1.

Alogianorum hæreſis de Proceſſione Verbi Diuini.11.1.Vnde ſic appellati. 192.1.

Amor idem comparatus ad obiectum neceſſarium eſt neceſſarius, & ad contingens eſt liber. 204.1.

Angelorum Miniſterio fuerunt formatæ figuræ illæ, in quibus vt in ſignis repræſentabatur Spiritus Sanctus. 264.1.

Apparitiones viſibiles Diuinarum Perſonarum factæ PP. Veteris Teſtamenti non ſunt dicendæ Miſſiones. 265. 2.

Argumentum à commutata proportione non valet niſi circa quantitatem molis.& cur. 90.3.

Arriani negarunt Verbum in Diuinis eſſe nomen proprium. 192.1.

Attributa Diuina ſunt communia tribus Perſonis Diuinis,quia adæquate identificatur Naturæ Diuinæ, non ſic relationes.45.1.Quodlibet eorum eſt illimitatum. 61.2. Quomodo dicant perfectionem infinitam. 68.1. Sunt perfectiones reales Dei, licet ab eo non diſtinguantur realiter. 72.1.

Auctoritas Imperatoris Iuſtiniani ex Concilio Toletano ſecundo,adducta à Vaſquez contra ſubſiſtentiam abſolutam Dei,non habetur in Codicibus Caſtig. 114.1.

Axioma illud *Neceſſaria ſunt priora liberis*. Quomodo intelligendum. 204.1. illud aliud *In Diuinis omnia ſunt vnum vbi non obuiat oppoſitio relatiua*.Explicatur. 227.2.

B

BEata Clara de Monte Falco ordinis noſtri Monialis in ſuo corde habuit tres globulos repræſentantes Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis. 74. 1.

C

CAuſæ plures ſecundæ contingenter exiſtunt, & neceſſariò operan-

ran-

rantur. 204.2.

Cenſura Vaſquez reijcienda. 112.1.

Chriſtus Dominus habuit præceptum in ſuis Miſſionibus non vt Perſona Diuina; ſed ratione Naturæ humanæ. 249.1.

Circuminſeſſio Diuinarum Perſonarum facit vt perfectio vnius ſit formaliter in alia. 76.2.

Cognitio intuitiua quomodo exigat obiecti exiſtentiam. 207.1.

Cognitio creaturarum futurarum eſt libera reſpectu illarum, & neceſſariò concurrit ad productionem Verbi. 208.1.

Cognitio creaturarum poſſibilium non eſt perfectio ſecundaria; & ſi eſſet nihilominus concurreret ad productionem Verbi Diuini. 208.2.

Compoſitio quomodo repugnet ſimplicitati Dei. 57.1.

Concilium Florentinum, & Toletanum XI. expreſſe docuerunt dari Relationes inter perſonas Diuinas. 30.1. In Rhemenſi Gilbertus ſuum retractauit errorem, de diſtinctione reali Diuinarum relationum ab eſſentia. Diuus Bernardus interfuit. 34.1. In Florentino habetur perſonas, & relationes ab eſſentia ſolà ratione diſtingui. 36.2.& 37.1. In Lateranenſi ſub Innocentio Tertio damnatus fuit error Abbatis Ioachim de Trinitate Perſonarum; & vindicatus Magiſter ſententiarum ab errore, quem illi tribuebat dictus Abbas. 34.2. Toletanum XI. Vormatienſe, & Florentinum docent, pluralitatem Perſonarum haberi per relationes, non verò per abſoluta. 137.1. In Calcedonenſi Theodoretus opera S. Leonis Papæ reconciliatus, & ſuæ ſedi reſtitutus fuit. 211.1. In Gentiliaco coram Pipino diſputatum eſt de Sanctiſſima Trinitate inter Latinos & Græcos. 211.1. In Toletano XI. habetur Relationes Diuinas ad inuicem oppoſitas eſſe realiter diſtinctas. Sicut etiam in Lateranenſi Cap. *Firmiter*. 1. 86.1. In Epheſino fuit lecta Epiſtola S. Cyrilli ad Neſtorium, in qua habetur Proceſſio Spiritus Sancti à Filio, & fuit approbata, vt etiam in Quarta, Quinta, & Septima Synodo. 214.1. Decretum Epheſini de non addendo aliquid Symbolo ad quos ſpectet, & quomodo intelligendum iuxta verba eiuſdem. 221. 1. In Concilio Generali ſeptimo Actione ſeptima legitur Symbolum cum illa particula *Filioque*. Lateranenſe ſub Innocentio Tertio. Lugdunenſe ſub Gregorio X. & Florentinum ſub Eugenio Quarto idem ſtatuerunt, ſicut etiam fecerant Toletanum Primum, Tertium, & Vndecimum. 214.2. In Nicæno cur non fuit facta mentio de hac Proceſſione Spiritus Sancti à Filio. 221.1. Lugdunenſe definiuit Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio non tamquam à duobus Principijs; ſed vt ab vno. 234. 1.

Concreta ſubſtantialia vnde ſumant vnitatem, & pluralitatem. 236.1.

Concurſus intentionalis Dei ad aliquid producendum eſt etiam phyſicus. 206.1.

Congruentiæ manuducentes ad cognitionem Sanctiſs. Trinitatis. 169.1.

Conſtitutio Diuinarum Perſonarum datur à parte rei. 148. non tamen

da-

datur compoſitio realis. 149.1.Conſtitutiua illarum habent eſſe independenter ab intellectu; non tamen diſtinctionem realem,aut actualem ex natura rei. ibid.
Conſtitutio eſt duplex:compoſitorum vna, Simplicium altera; quomodo admittatur in ea dependentia vel Cauſalitas. 150.1.& 2.
Creaturæ futuræ in actu ſignato ſunt, cum earum cognitio concurrit ad productionem Verbi Diuini. 208.1. Si creaturæ non eſſent poſſibiles; nec produceretur Verbum Diuinum; nec eſſet Deus qui eſt. 209. 1.

D

DEus quomodo dicatur, & ſit ſubſtantialiter Sapiens. 32.1.Videt ſuam Eſſentiam vt eſt; ideoque non diſtinguit abſoluta à relatiuis; videt tamen diſtinctionem virtualem vt eſt, & vt terminatur ad nouos conceptus, actualem videt quæ ſit à nobis. 44.1.& 2.
Dicere, & intelligere quomodo diſtincta ſunt in Diuinis. 160.2. Dicere eſt actus notionalis Patris, & eſt idem ac Verbum producere. 196. 1.
Diſtinctione Virtuali ſufficienter explicatur communicabilitas Eſſentiæ, & incommunicabilitas Perſonæ. 44. 1. ac etiam locutiones PP. & Conciliorum. 45.2. Quæcumque diſtinctio perfecta importat quod vnum non ſit de conceptu alterius. 53.2. Realis inter abſoluta non reperitur,niſi in Creatis. 92.2.
Donum Gratiæ gratum facientis facit vt anima fruatur ipſa Diuina Perſona.255.1.Dona Gratiæ attribuuntur Spiritui Sancto, quædam tamen attribuuntur etiam Filio. 258.1.
Durandi ſententia, negans Perſonas Diuinas eſſe per Intellectum, & Voluntatem, cenſura digna iudicatur à DD.11.1.ſicut etiam illa,quæ diſtinguit realiter Spirationem actiuam à Paternitate,& Filiatione. 88. 1.

E

AEqualitas reperitur perfectius in Diuinis,quam in creatis. 97. 1. In aliquo ſenſu eſt relatio rationis, in alio realis. ibid.1.& 2.
Eſſentia Diuina quomodo dicatur communicari non communicatis Relationibus.41.1.& 2.Eius formale conſtitutiuum eſt actualis intellectio ipſius Dei. 22.1. Non poteſt comparari cum relationibus Diuinis, ſicut comparatur ratio entis cum ſuis inferioribus. 49.1.& 62.1. Cum dicitur, Eſſentia Diuina eſt Paternitas; qualis prædicatio ſit per S.Tho.49.2.& 50.1. De ratione ipſius eſt non eſſe productam ab alio. 52. 2. Non eſt de intrinſeco conceptu relationum ibid.1.Vt ratione noſtra contradiſtincta ab attributis non imbibitur intimè in illis. 61.2. Vt ratione noſtra à relationibus præciſa, exiſtit per ſe exiſtentia perfecta, quæ in creaturis dicitur ſubſiſtentia.106.1.&c.Non operatur, niſi vt eſt in Perſonis, & tam ipſa, quam Perſonæ ſunt operatiuæ. 115.1. Noſtro imperfecto modo concipitur vt prius exiſtens, quam Verbum Diuinum. 208. 1.
Exceſſus, & inæqualitas non habent locum in Entibus infinitis. 73. 1.

quod

quod in Perſonis Diuinis pulchrè explicatur à S.P. 74.1.
Exiſtere per ſe eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ formaliter debet conuenire Eſſentiæ vt ſic. 107.1.
Exiſtentia Diuina appellatur etiam rectè ſubſiſtentia ab Agathone Summo Pontifice, à S. P. N. à SS.DD. Hieronymo, Hilario, Cyrillo: Ioan. Damaſceno & S. Tho: quidquid in contrarium dicat Vaſquez. 107. 2.

F

Fæcunditas quomodo conueniat Deo, & creaturis. 10.1.
Filius in Diuinis rectè dicitur genitus Natura,& per intellectum. 10. 1. non eſt Filius quia imago. Sed e contra. 25.2.
Filiatio quomodo ſit in Patre, & non conſtituat eum Filium. 84.2.
Filius dicitur mitti quo generatur, vel ratione generationis temporalis, vel quia ex eo quod eſt genitus ab æterno habet poſſe. 251.2. Qua ratione dicatur minor Patre; numquam verò Spiritus Sanctus, licet & hic fuerit miſſus. 262.2.
Formale conſtitutiuum Diuinæ Naturæ eſt intellectio Diuina. 22.1. & 26.1.
Forma quælibet non ſemper tribuit ſubiecto ſuam denominationem, ſed ſolum quando ſubiectum eſt capax. 154.1.
Fundamentum relationis realis debet eſſe diſtinctum in vtroque extremo. 96. 2.

G

Generationis viuentium definitio, & quænam includat mutationem. 16.1. Generatio,& ſpiratio in Diuinis verè dicuntur eſſe ab æterno. 150.1.
Giberti Porrectani error circa relationes Diuinas: illius retractatio. 34.1. Eius fundamento ſatisfit. 39.1. & 2.
Gratia ſanctificans eſt diſpoſitio ad perfectam manſionem Diuinarum Perſonarum in anima. 255.2. In Sacramentis eſt ſolum vt in inſtrumentis. 261.1.
Gratia gratis data eſt manifeſtatio gratiæ gratum facientis. 256.2.
Gregorij noſtri Ariminenſis ſententia de conſtitutione Diuinarum Perſonarum non meretur cenſuram. 152.2.
Græci Schiſmatici negant Spiritum Sanctum procedere à Filio. 210.2. &c. Initium & progreſſus huius erroris. 211.1.&c.

H

S. Hieronymus, & alij SS. DD. docuerunt dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam: ideoque cenſura Vaſquez in hoc non eſt admittenda. 112.1.&c.
Hypoſtaſis & *Perſona* fuerunt voces diu controuerſæ inter PP. Latinos, & Græcos. 102.1.
Hypotheſi facta quod natura Diuina non eſſet niſi vna perſona; idem eſſet omninò per quod exiſteret per ſe, & id per quod incommunicabiliter exiſteret. 115.1. Ex hypotheſi impoſſibili quomodo liceat arguere. 124. 2.

I

Idem ſecundum diuerſa connotata à parte rei eſt principium conueniendi, & differendi. 43.2. Identitas, æqualitas, & ſimilitudo in Diuinis quomodo ſint relationes reales;

Digitized by Google

les, vel rationis. 95.1.& 2.

Immanentia vnius Perſonæ in alia nullam continet repugnantiam, aut inconueniens. 79.2. ſatisfit obiectis. 80. 1.

Indigentia quid importet, & in quo differat ab exigentia. 67.2.

Ingenitum eſſe à PP. diuerſimodè accipitur. 186.1. & à DD. 188. 2. Sumptum negatiue poteſt dici etiam de Eſſentia Diuina. ibid. communiter dicit negationem fundatam in ratione Primi Principij, ſicut etiam innaſcibile. 189.2. connotatum materiale eorum non eſt Paternitas formaliter ſumpta; ſed materialiter tantum. 190.1.& 2.

Innaſcibilitas eſt notio diſtincta à Paternitate. 191.1.

Intellectio eſt formale conſtitutiuum Diuinæ naturæ. 22.1.& 26.1.

Intellectio, & volitio non dicunt oppoſitionem. 4.1. ſunt in Deo vna entitas ſimpliciſſima; ſed virtualiter duplex actio. 8.1.

Intelligere, & velle quandoque accipiuntur vt prædicata abſoluta, quandoque vt notionalia. 2.1.&c.

Intelligere, & dicere quomodo differant inter ſe. 179.1.&c.

S. Ioan. Damaſcenus vindicatus ab errore circa Proceſſionem Spiritus Sancti ab Eminentiſſimis Cardinalibus Caietano & Beſſarione. 218.1.

L

Latius patet ratio entis increati quam ratio Deitatis, ſiue Eſſentiæ Diuinæ. 60.1.

Loca difficilia S.P.N. circa quæſtionem an Relationes Diuinæ dicant perfectionem. 81.1.& 2. Explicantur alijs ſententijs eiuſdem S.P. 82.1.&c.

Lumine ſolo naturali nulla præſuppoſita reuelatione non poteſt cognoſci, aut colligi eſſe plures Perſonas in Diuinis à 163. vſque ad 169.

M

Manifeſtatio ſumitur vel actiuè, vel paſſiuè, hoc ſecundo modo omnes Perſonæ manifeſtantur Verbo, non verò primo. 196.1.&c.

Medium quomodo poſſit dari inter ens increatum, & ens creatum.

Miſſio quot reſpectus includat. 247. 1. nomine miſſionis reſpectu Diuinarum perſonarum quid veniat. 248.2. nullo modo importat imperfectionem. ibid. non requirit, nec poteſt habere ſeparationem naturæ, aut loci à mittente. 249.2. Dicitur ſolum temporaliter ſicut etiam datio. 250.2. non exiſtit niſi quando exiſtit eius terminus temporalis. 251. 1.

Miſſio inuiſibilis fit ſecundum donum Gratiæ ſanctificantis. 252.2. vt creatura habeat Deum inhabitantem in ſe. 253.1. ratione ſolius Prophetiæ, vel operationis miraculorum aut Attritionis non dicitur propriè miſſio. 254.1. Miſſio tam viſibilis quam inuiſibilis conuenit ſolum Filio, & Spiritui Sancto. 259. 1. includit in generali notionem eſſendi ab alio 258.1. Filij diſtinguitur ab illa Spiritus Sancti, & ratione proceſſionis, & ratione effectuum. 258. Inuiſibilis fit ad omnes qui ſunt participes Gratiæ. 259.1. & 2. Fit etiam ad progreſſum in Gratia, & virtutibus, præcipuè tamen ad nouum actum, vel ſtatum. 260.2. Quomodo facta fuerit Chriſto Domino, & Beatis. 260.2. viſibi-

by Google

lis tam Filij, quam Spiritus Sancti conuenienter facta fuit. 261.1.&c. Filij cur facta per creaturam rationalem; non verò Spiritus Sancti. 264. 1. & 2. Inuiſibilis non exigit neceſſario, vt manifeſtetur per viſibilem. ibid. Viſibilis fit ad vtilitatem Eccleſiæ. ibid. Explicatur exemplis. 265.1.
Mitti conuenit aliquibus Perſonis Diuinis. 247. non tamen poſſunt mitti per imperium, vel per conſilium. 248.1. nec etiam ad terminum, in quo antea nullo modo eſſent. ibid. Mitti dicitur Perſona Diuina ſecundum dona gratiæ ſanctificantis. 255.1.& 2. Quo ſenſu S.P. dicat *Filium mitti cum mente percipitur*. 256.1 Quo ſenſu poſſet dici Perſonam mitti ab ea, à qua non procedit. 266.1. Mitti cur non dicatur Spiritus Sanctus ab homine, cum dicit *Accipe Spiritum Sanctum*. 267.1. & 2.
Multiplicato inferiori debet etiam multiplicari ſuperius, quando identificantur realiter. 93.1.
Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis ſecluſa omni reuelatione non poteſt à creaturis cognoſci. 162.2. Cognitio, quam habuerunt Philoſophi ex lectione ſacrorum librorum; & Sibyllæ, ex reuelatione fuit. 163. vſque ad 166. Quo ſenſu S. Thomas dixerit nos poſſe cognoſcere non eſſe impoſſibile. 166.2.

N

NEgationes aliquæ ſignificant aliquid poſitiuum, non ſolum in concreto, ſed etiam in abſtracto. 189. 1.
Nomen *Principij* reſpectu Spiritus Sancti ſupponit pro eſſentia, & volitione, determinatis per Paternitatem, & Filiationem. 239.2.
Nomen hoc *Perſona* eſt commune tribus Diuinis ſuppoſitis & quomodo. 98. & 99. ſignificat relationem implicitè. 132.1.
Nomen *Qui eſt* Deus ipſe vt proprium ſibi impoſuit. 106.2.
Nomen Filij Dei requiſitum à Salomone Prouer.cap.30.quale ſit.153.1.& 2.
Nomen *notionis* introductus fuit à S.P. in Tract. de Trinitate. 170.1. aliter à Grammaticis, & aliter à Theologis accipitur. ibid.
Non eſt nobis notum lumine naturæ, dari intra Deum actionem habentem terminum realiter diſtinctum ab agente. 167.2.
Notio quid ſit. 171. in quo conueniant notiones cum Relationibus, Proprietatibus, & Perſonis, & in quo differant. 171.2. Non omnes eundem notionum numerum admittunt. 172.1. Quinque ſunt communiter receptæ. ibid. 2. Inter eas non numeratur inſpirabilitas, & quare. 174.1.&c. quid hæc ſignificet. 176.1. Quo ſenſu negare notiones eſſet hæreſis, & quo ſolum temeritas. 177.1.& 2.
Numerus in rebus corporeis habetur per ſeparabilitatem realem; in ſpiritualibus verò numerus etiam per ſolam ſeparationem rationis. 90 1.

O

OBiecta præcedunt cognitionem quando illam cauſant, ſecus verò quando cauſantur ab illa. 205. 1.
Oratio S.P.N. Auguſtini pro complemen-

mento ſuorum librorum de Trinitate,& huius Operis. 267.2.
Origenis error quod Verbum in Diuinis non dicatur propriè. 19.1.
Origines actiuæ identificantur cum Perſonis producentibus in Diuinis. 159.1. ratione noſtra concipiuntur progredi à Potentia generatiua, vel ſpiratiua. 160.1.illis etiam formaliter conſtituuntur Diuinæ Perſonæ. 142.1. Actiuæ identificantur adæquatè cum Perſonis producentibus. 156.2.
Origines pertinent ad conſtitutionem Diuinarum Perſonarum,& quomodo. 139.1.
Origo & relatio ſunt idem ex natura rei. 140.1.
Origo, & progreſſus erroris Græcorum de Proceſſione Spiritus Sancti, & ſchiſmatis eorumdem. 211.1.&c.
Oſius Epiſcopus nomen *Hypoſtaſis* primus accepit pro ſuppoſito; ſeu ſubſiſtentia incommunicabili. 102.1.

P

Pater, & Paternitas in quo differant; & quomodo ſint Deus. 61.2. Si non ſpiraret quomodo tolleretur relatio Spiratoris. 92.1. In eo conceptu ſub propria ratione perſonæ Patris non eſt prius dicere quam intelligere, vel è contra. 141. 1. Paternitas ſola ex relationibus Diuinis ſe tenet ex parte principij productiui Verbi Diuini. 206.1.
Pater Æternus, eo ipſo quo eſt dicens, eſt etiam cognoſcens ſuam Eſſentiam comprehenſiuè. ibid. 2. Paternitas,& ſpiratio actiua quo pacto diſtinguantur. 225.2.
Pater,& Filius ſunt vnum Principium Spiritus Sancti. 234. Expenduntur de hoc verba Concilij Lugdunenſis. ibid. 1.& 2.ſunt tales propriiſſimè & propterea dicuntur vnus ſpirator. 237.1.& 2.dicuntur tamen duo ſpirantes, & quare. ibid.2.quo ſenſu dici poſſet *Quatenus Pater, & Filius ſunt, producunt Spiritum Sanctum*. 245. 2.
Particulæ *Tamquam*, & *Quaſi* non ſemper diminuunt. 235.1.
Paſſio per S.Tho: ſecluſo motu eſt ſolum habitudo eius, qui eſt à principio ad ipſum principium. 160.2.
Perfectio entitatiua in ſuo conceptu formali quid dicat.65 1.Simpliciter ſimplex non exigit eſſe ſupra omnem aliam perfectionem.70.1.Quælibet cuiuslibet Perſonæ habetur formaliter in qualibet alia Perſona per Circuminſeſſionem. 76. 1. &c. Perfectio Dei quomodo ſimul ſit abſoluta, & relatiua, & non conſtituat ens per accidens.84.1. Perfectiones relatiuæ continentur Eminenter in Eſſentia propter eius fœcunditatem. 73.1.
Perſeitas in Deo eſt duplex. 154.2.
Perſonæ Diuinæ ſunt inuicem inexiſtentes etiam ſecundum relationes proprias.78. 1. ſunt ſubſiſtentes non ſolum ſubſtantiuè ſed etiam adiectiuè.121.1.&c.non diſtinguuntur proprietatibus abſolutis. 136.1. Diſtinguuntur formaliter per relationes. 42.2. per quas etiam conſtituuntur. 143. 1. idcircò non poteſt concipi perſona ſine relatione, & origine. 146. 1. Eas conſtitui proprietatibus perſonalibus,vt habetur in Cap *Firmiter*, quomodo intelligendum. 230. 2.&c.
Philoſophi Gentiles,de quibus SS. PP.

narrant ſcripſiſſe de Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis; quomodo illud cognouerint. 164. in hoc non eſt eadem ratio de illis, ac de Sibyllis. 166. 1.

Prædicata in rigore contradictoria nec rei finitæ, nec infinitæ conuenire poſſunt. 41.1. Tranſcendentalia, quæ formaliter identificantur cum relationibus, & perſonalitatibus Diuinis, multiplicantur & ipſa ad multiplicationem perſonarum. 126. 2.

Prius eſt ratione noſtra generare, quam velle generare. 82.2.

Principia producentia non ſemper habent tantam diſtinctionem, quantam habent termini. 89.2.

Procedere Spiritum Sanctum vt Amorem mutuum dicit relationem realem. 228.2.

Proceſſiones Diuinæ non ſunt per modum effectus à cauſa. 2.1. ſunt emanationes, quæ etiam actiones rectè dicuntur. 3.1. Earum prima eſt per intellectum, ſecunda per voluntatem. 6.1. nullo modo requirunt in Deo potentiam realiter paſſiuam. 7.2. illa Filij licet infinita non exhaurit omnem vim productiuam. 9.1.non poſſunt eſſe plures, quam duæ ibid illa Spiritus Sancti cur non ſit generatio. 16.2.

Proprietas perſonalis Patris quomodo ſit, vel non ſit in Filio. 53. 2. Quo ſenſu PP. dicant proprietatem Patris Eſſentiam Filij conſtituere, 54 1.

Q

QVando liceat arguere ab hypotheſi impoſſibili. 224.1.& 2.

Quaternitas non eſt admittenda in Deo ex Concilio Lateranenſi Cap. *Damnamus*. 88.1.

Quæſtio illa vtrum, ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, diſtingueretur ab illo, vtiliter agitatur in ſcholis, contra Gotfredum. 224 1.&c.

R

RElatio in communi quid ſit. 29.1. in Deo ſunt ponendæ relationes reales. 30.1. non ſolum ratione Eſſentiæ, ſed etiam ſecundum proprium relationis conceptum. ibid.2. Actio realis eſt quædam relatio. 31.2. Quo ſenſu à S.Tho: relatio dicatur realis ratione fundamenti. 32.2. Relationes Diuinarum Perſonarum non diſtinguuntur realiter ab Eſſentia Diuina. 35.2. nec etiam formaliter ex natura rei; vt habetur in Actis Concilij Florentini. 36.1.& 2. Non ſunt de intrinſeco conceptu Eſſentiæ vt ſic. 48.1. &c. Quomodo pertineant ad eſſentiam Diuinam. 54.2. Non ſunt formaliter de Eſſentia Naturæ Diuinæ, vt ratione noſtra contradiſtincta. 55. 2. Quo pacto conueniat illis ratio *in*, & ratio *ad*. 62.2. In ſuo conceptu formali dicunt perfectionem contradiſtinctam ab eſſentia Diuina. 65.1. Verè ſunt entia realia tam ſecundum eſſe *in*, quam ſecundum eſſe *ad*. ibid.2. ſunt maximè conuenientes ipſi Deo. 66.1. ſinè illis Pater non eſſet nec Pater, nec perfectus Deus. ibid. 2. ſunt perfectiones infinitæ ſecundum propriam lineam. 67. 2. & 69.2. Non poſſunt perfectè præſcindi ab eſſe infinito.68.2. Habent infinitatem non ſolum à terminis, ſed etiam in-

Digitized by Google

intrinſecè. 89.1. ſunt etiam perfectiones ſimpliciter ſimplices. 70.1. Tres relationes quæ conſtituunt tres Diuinas Perſonas rectè dicuntur tres perfectiones relatiuæ. 70.2. dicuntur etiam rectè perfectiones quatenus conuenientes, & integrantes ſunt. 71.2. ſunt omnino inter ſe æquales ſecundum propriam rationem. 72.2. Pertinent ad Diuinam integritatem. 83.2. Quæ ad inuicem ſunt oppoſitæ, realiter etiam diſtingui eſt de fide. 86. 1. Ad multiplicationem relationum ſufficit diſtinctio virtualis. 91.2. Realis diſtinctio ſolum datur quando ſunt oppoſitæ. ibid. Relationes identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis in Diuinis, quo ſenſu ſint rationis; & in quo reales. 95. 1. cum originibus ita comparantur relationes Diuinæ, vt non ſit prioritas inter illas. 141. 1. In Diuinis ſub proprio conceptu diſtinguunt Perſonas, & vt formæ hypoſtaticæ eas conſtituunt. 143.2. non ſupponunt, ſed conſtituunt, & diſtinguunt extrema. 153.2.

Reuelatione, & Fide Myſterij Sanctiſſimæ Trinitatis ſuppoſita, plures inueniuntur coniecturæ & rationes probabiles manuducentes ad eius cognitionem. 168.2.

S

SAbellian ivnicam tantum perſonam in Diuinis admittentes, in ſexta Synodo damnati. 114.2.

Scotus vindicatus à cenſura quorumdam recentiorum. 227.2.

Spiritus Sancti proceſſio cur non ſit generatio. 16.2. Sententia ſingularis Durandi de hoc refertur: & reijcitur, ſatisfit fundamentis ex SS.PP. deſumptis. 10.1.& 19.1.&c. Diuerſi modi explicandi hanc diſtinctionem. 20.1. Reſoluitur cum S. Patre & S. Tho: 20.1.21.2.25.1. Alij dicendi modi reijciuntur. 24.2. quo ſenſu Spiritus Sanctus dicatur Verbum Filij à S. Baſilio. 196. 1. & 2. procedit etiam à Filio. 210. &c. Probatur ex Scripturis Sacris, ex Concilijs, & Auctoritatibus quindecim PP. Latinorum, & totidem Græcorum, ac etiam rationibus. à 212. vſque ad 219. ſatisfit Græcorum obiectionibus. à 219. vſque ad 223. Quo ſenſu ſit accipiendum, quod procedat à Patre per Filium. 217.2. ſi non procederet à Filio non diſtingueretur realiter ab illo. 226.2. ſublata origine actuali ab eo, & manente quocumque alio, non maneret vlla ratio diſtinctionis realis inter illos. 229. 2. & data illa hypotheſi non eſſet alius à Filio. 230.2. ſi procederet à Filio, & non à Patre, quomodo ab hoc diſtingueretur. 231.2. Facta illa ſuppoſitione, ſpiratio non eſſet productio diuerſa à generatione. 232. 1. & ſublata ſpiratione actuali non manet fundamentum in re concipiendi Filium vt ſpiratiuum. 233. 1. & 2.

Spiritus Sanctus Patris, & Filij Spiritus eſt. 240. & de facto procedit vt amor mutuus; ideoque à duobus. 240. 1. ex vi ſuæ proceſſionis formaliter & intrinſecè exigit duo ſuppoſita ſpirantia. ibid 2. Procedit enim vt nexus Patris, & Filij. 241. 1. ideoque virtus ſpiratiua per ſe petit eſſe in vtraque perſona.

na. 244.1. quæ reperitur tam in Patre, quam in Filio ſeorſim, vt principium quo præciſè; ſed non habentur condiciones requiſitæ ad producendum ſeorſim; ſed in ambobos coniunctim. ibid. Quod prouenit ex natura talis termini. ibid. 2. non ſic creaturæ reſpectu omnipotentiæ Dei creantis. 245.1.

Spiritus Sanctus non dicitur ſimpliciter dari, eum datur gratia gratis data ſine gratia ſanctificante; ſed ſolum cum limitatione. 256. 2. Dicitur viſibiliter miſſus in quantum fuit monſtratus in ſignis ad hoc ſpecialiter deputatis. 263. 1. non mittitur ab hominibus. 267.1.&c.

Subſiſtentia latius patet, quam Perſona, & hypoſtaſis. 110.1. relatiua terminat abſolutam, & quomodo. 128. 1. & 2. tam abſolutam quam relatiua in Diuinis eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. 127.1.

Subſtantia dicta eſt vel à ſubſiſtendo, vel à ſubſtando, vel ab vtroque. 109. 2.

Sibyllæ piè creduntur habuiſſe lumen ſupernaturale in præmium Virginitatis ex S.P.164. Erythreæ, vel Cumanæ Vaticinium de Chriſto Filio Dei apud S.P. 163.2.

Syllogiſmi aliquot expoſitorij, licet conſtent terminis ſingularibus, non concludunt; quid ad eorum bonitatem requiratur. 40.1.& 2.

T

Terminus vltimo conſtitutiuus Perſonæ non eſt ſubſiſtentia quæcumque, ſed ſubſiſtentia incommunicabilis etiam per S. Tho: 116. 1.&c.

Terminus formalis proceſſionis, & communicationis quomodo ſint idem, & quomodo differant. 157. 1. totalis quomodo aſſignandus in productionibus Diuinis. 157. 1.&c.

Tres ſubſiſtentiæ relatiuæ in Deo ſunt admittendæ non ſolum in concreto; ſed etiam in abſtracto. 110. 1. & 1.120.1.&c. Tres etiam durationes relatiuæ poſſunt admitti; & pariter tres exiſtentiæ relatiuæ. 129. 1. &c.

Trinitas Perſonarum collectiuè ſumpta non eſt magis perfecta, quam ſingulæ Perſonæ diuiſiuè. 74.2.

V

Verbum Diuinum à Patre procedere, vnde habeatur. 13.2.&c. Eius proceſſionem eſſe veram generationem eſt de fide. 15.1. & ratione probatur. 16.1. in ſuo conceptu importat emanationem à dicente. 193. 1. eſt expreſſiuum eorum omnium, quæ ſunt in Patre. 198. Procedit ex cognitione eſſentiæ, Perſonarum, & creaturarum etiam futurarum, non ſolum quidditatiua, ſed etiam intuitiua, à 201. vſque ad 203. & licet procedat ex cognitione ſui ipſius. Spiritus Sancti & creaturarum, non tamen procedit ab iſtis. 205.2. ei conuenit reſpectus ad creaturas ratione eſſentiæ modificatæ per proprietatem Filij. 210.1.& 2.&c.

Verbum mentale habet duos reſpectus, ſicut etiam vocale. 193. 2. Quomodo differat in nobis Verbum noſtrum ab eo quod eſt dicere, & intelligere, & quomodo in Diuinis. 194.1. Verbum eſt nomen perſonale in Diuinis. 194.2. quo pacto

Digitized by Google